N 4

M. JACOBI THOMASII
ORATIONES SELECTÆ,
IN ACADEMIA LIPSIENSI EX AUDITORII PHILOSOPHICI CATHEDRA RECITATÆ,

ARGUMENTI VARII.

LIPSIÆ,
Sumtibus Hæred. FRIDERICI LANCKISII,
ANNO M. DCC. XXXVII.

VIRO

in ſublimi rerum ſacrarum pariter ac literarum humaniorum ſapientia eruditionis admirandæ, e lucubrationum varii generis præſtantia celebritatis eximiæ, in officiorum adminiſtratione dexteritatis edecumatæ,

VALENTINO ALBERTI,

SS. Theologiæ Doctori, ejusdemque in Academia Lipſienſi extraordinario, Logicæ ac Metaphyſicæ ordinario Profeſſori publico, Facultatis Philoſophicæ Aſſeſſori, Collegii B. Virginis Seniori, Academiæ Decemviro, & Electoralium Alumnorum Ephoro,

S. P. D.

M. JACOBUS THOMASIUS.

Rope biennii jam elapsum est spacium, ex quo typographi officinam egressæ sunt Præfationes illæ meæ, quas diversis temporibus, cum auspicandæ more consueto mihi essent publicæ disputationes, hac in Academia recitaveram. Iis jam, (quod felix esse faustumque jubeat DEUS!) succedunt Orationes, a me in generis diversi solennibus Lipsiæ nostræ Academicis habitæ. Ex his illam, quæ penultima hic legitur, oppositam errori eorum, qui præexistentiam animarum humanarum asserunt, meministi fuisse Tibi, Venerande Compater, Collega conjunctissime, *a me dedica-*

dedicatam, cum Tuo impulsu admonitus, ante annos octo & quod excurrit, eam orbi literato communicarem. Causam non habui, cur non cæteris quoque universis, huic, quam adeo diligebas, sororio non tantum vinculo connexis, sed & socias prodire jam simul in scenam gestientibus, Ducem, ut ita loquar, Te destinarem, cujus contemplatione meminissem erectos fuisse aliorum vel in unicam istam oculos. Imo religio mihi fuit fœtum illum, cui antehac publicam in lucem primum prodeunti Te susceptorem elegeram, cum denuo nunc, licet aliis viginti stipatus, in apricum egrederetur, abs Te divellere, quemque jam Tuum fecissem, alteri addicere. Equidem præter istam de animarum præexistentia *orationem meam, jam olim aliæ duæ diversis temporibus evulgata*

gatæ sunt: sed harum neutri dedicatoria fuit epistola præfixa. Nam illam pro Aristotele, quod jure suo usus fuerit, negans idoneum Ethicæ Auditorem esse juvenem, *(quam hic nonam numero,) non nisi appendicem quandam esse jusseram Breviarii mei Ethicorum ad Nicomachum; altera* de Jacobo Wellero, *(corporis hujus decima sexta,) quotacunque pars fuit scriptorum ab aliis quamplurimis in memoriam Optimi Theologi hujus, atque junctim Lunæburgi absque dedicatione ulla editorum programmatum, sermonum, carminum. Reliquæ omnes nunc demum privatam scriniorum meorum egressæ custodiam sub aëre libero conspicabiles omnibus se sistunt. Quicquid ergo harum est orationum, Tui nominis prænotatione insinuandum esse putavi Lectoribus, cum omnino*

con-

considerem fore, ut qui Tua cupidissime intuentur, iisdem non ingrata saltem sit eorum cognitio, quae usitato inter literatos adoptionis jure Tibi transcripta intelligerent. Quin vero consilium hoc meum in optimam sis partem interpretaturus, dubitare vetat exploratus mihi tot annorum spatiis eximius in me amor Tuus. Quem obstrictissimo Tibi ut continuare porro digneris, obsequendi promtitudinem vicissim pollicitus rogo. Vale. Scrib. Lipsiae, d. 3. Mart. Anno 1737.

AD LECTOREM BENEVOLUM.

PRÆFATIO AUTORIS.

QUicquid mearum jam orationum, juxta ſeriem temporum, quibus habitæ ſunt ſingulæ, ordinatarum hic vides, LECTOR BENEVOLE, in duas veluti claſſes partiri licebit, ita, ut priores ſeptem *juvenilium* titulo diſtinguas a quatuordecim reliquis tanquam *virilibus*. Ac juveniles illas conſtitueram quidem initio tenebris ſuis relinquere, quod in iis paſſim luxuriantis ingenii pariter ac ſtili veſtigia deprehenderem: veruntamen cum argumenti & ipſæ eſſent minime pœnitendi, paſſus mihi denique

nique ſum perſuaderi, ut has quoque una cum cæteris prodire juberem in apertum; præſertim qui abs Te mihi pollicerer eam, qua ſolemus moribus ætatis parum providæ nonnihil condonare, benignitatem. Quam in viriles quoque meas precor exerceas, ubi & illis juvenilium aliquid macularum adhæreſcere animadvertes. Jam viriles etiam has orationes in duo videor genera diſpeſcere ſic poſſe, ut ipſarum aliæ argumenti fuiſſe dicantur ab ipſo tempore juſtis quaſi limitibus, extra quos evagari non ſit conſultum, circumſcripti; aliæ argumenti liberrimæ perorantis poteſtati relicti. Prioris commatis illæ ſunt, quibus memoriam *repurgatæ miniſterio Lutheri religionis* celebravi, *a)* item illa

 de

a) nimirum XVIII. & XIX. quarum prior p. 399. inſcripta eſt *de Indulgentiis Pontificiis &* *earum*

de Jacobo Wellero, b) neque non *evcharistica pro pace Turcica. c*) Nulla enim est harum, quæ se non accommodet tempori. Atque his ob affinitatem accenseri & illa meretur, qua ostendi, *jure suo fuisse usum Aristotelem, dum negavit, idoneum Ethicæ Auditorem esse juvenem. d*) Sane vero congrua fuit ea professioni doctrinæ moralis, *e*) atque sic per eam simul tempori, quo sum eam hac ipsa oratione recitanda auspicatus. Has ergo tales argumenti fuisse dixerim minus liberi, sed a temporibus quodam-

earum expugnatione, posterior p. 425. *de congressu Lutheri cum Cardinale Cajetano.* Atque hujus monetæ etiam e juvenilibus est secunda p. 20. *de Disputatione Lipsica Lutheri cum Eccio.* Et vero juveniles omnes argumenti sunt a temporibus quasi præscripti. *b*) quam quære p. 349. *c*) eam habes p. 372. *d*) p. 144. *e*) Professionem hanc Ethicam mutavi postea cum Dialectices, & hanc vicissim cum Oratoriæ Professione.

dammodo imperati. Ex adverso liberrimi argumenti atque adeo secundi generis orationes eas omnes pronunciare posse videor, quotquot haberi solent in gradibus Academicis (Baccalaureatus, Licentiaturæ Philosophicæ, Magisterii) conferendis. Licitum enim est hic pro libitu, quicquid in mentem venerit, aut præ aliis arriserit, e copiosissimo penore Philologiæ, Philosophiæ, Historiæ depromere, quasique præludio quodam illum, quem Promotionis vocare solemus, actum illustriorem ita reddere. Atque huic ordini adscribo, quicquid orationum est a me pronunciatum in conferendis honoribus philosophicis. Sum enim hoc in opere libertate usus mea, jam *de felicitate literatorum, f*) aut *præstantia theoretica vitæ g*) disserens, qua ratione accom-

f) Orat. VIII. p. 139. g) Orat. XXI. p. 495.

accommodavi me ſtudiis Juvenum prima laurea decorandorum excitandis ad ſtrenue continuanda eruditionis curricula; *h*) jam meo obtemperans ingenio, quod ſum expertus ad hiſtoriam, præcipue philoſophicam, propenſiſſimum. Huc ergo refer orationem *de Secta Nominalium*, *i*) quæ & ſequenti *de Ideis Platonicis k*) occaſionem obtulit. Refer huc porro illam *de Syncretiſmo Peripatetico*, *l*) neque non totius corporis hujus penultimam, *de animarum præexiſtentia. m*) Cæterum hiſtoriam quoque, licet alterius generis, ſapiunt aliæ tres, una *de Georgio Principe Anhaldino*, *n*) altera *de Regibus Polonia*, *o*) tertia *de Alexandro Aleſio*: *p*) quarum

h) vide p. 144. ab init. & conf. p. 499. *i*) p. 241. Eam tum habui, cum dialecticæ Profeſſionis munere fungerer. Vid. p. 243. *k*) p. 275. *l*) p. 323. *m*) p. 457. *n*) p. 198. *o*) p. 222. *p*) p. 300.

rum ſcribendarum occaſio ſimul nata fuit contemplatione temporis ejus, quo ſingulæ ſunt a me habitæ q) Scholia, quæ plurimarum paginarum finibus adjeci, retinui pleraque, quaſia priſtinis alleveram ſchedis: acceſſerunt his tamen nonnulla tum demum, cum denuo curam ſuſciperem deſcribendarum orationum in uſum typographorum. Hæc, AMICE LECTOR, monere viſum eſt eum præcipue in finem, ut harum Orationum, quas diverſorum eſſe generum profiteor, faciliorem agere delectum queas. Vale.

INDEX

q) intelliges hæc e p. 202. in fin. p. 225. ſub init. & p. 301. 302.

INDEX ORATIONUM.

VII. De

XV. De

JUVANTE TRIUNO!

ORATIO I.

Ostendens, Mysterium SS. Trinitatis ex ratione, clauso Scripturæ Sacræ libro, ductu luminis naturalis cognosci & demonstrari neqvaqvam posse,

Habita in Templo Academico

A. 1644. d. 20. Junii.

RECTOR MAGNIFICE, &c.

Cùm plurimis in rebus commendari soleat silentium, tùm oportere præcipuè in pertractando religionis negotio reverenter id adhiberi, creditum est à gentium plerisqve, metuentibus videlicet, ne aut ineptâ loqvacitate arcana sacra detrimentum caperent dignitatis, aut nefariâ vulgatione periculum crearetur Reipublicæ. Romanos legimus non urbis tantùm suæ latinum nomen, sed Dei qvoqve, cujus illa in tutelâ foret, ignotum esse voluisse, sancito etiam in eos capitis supplicio, qvi ausi fuissent propalare; qvòd persvasum iis esset, nisi tectissimè haberentur Deorum tutelarium

nomina, carminibus evocari posse in urbium perniciem; hancqve ob causam Angeronæ suæ simulacrum collocasse, ore obligato obsignatoqve veluti silentium denunciantis *a)*. Idem omninò Harpocratis statua in omnibus ferè Ægypti templis, ubi colerentur Isis & Serapis, digito labiis impresso submonere visa est *b)*: nisi qvòd non tàm suis commodis inserviri hoc silentio putarent Ægyptii, qvàm existimationi Numinis, qvod illorum religio, cùm ore humano non posset nominari *c)*, silentio adorandum statuit *d)*. Qvam sententiam Platonem alicubi atqve Porphyrium secutos constat, viros in Ægyptiorum Theologiâ minimè rudes: qvorum alter *e)* perdifficile esse ait, opificem & parentem hujus universi investigare animo, ubi verò fuerit pervestigatus, in vulgus indicare neminem posse; alter *f)* silentio colendum esse

a) Vide Macrob. lib. III. Saturn. c. 9. Plin. lib. III. c. 5. Camerar. Centur. II. horar. subcisiv. c. 10. Pier. lib. XXXVI. Hieroglyph. c. 13. *b)* Augustin. XVIII. de Civ. Dei 5. Politian. c. 83. miscell. *c)* Hermes cit. Lactant. lib. IV. c. 7. *αἰτία δὲ τούτου τοῦ αἰτίου ἡ τοῦ θείου ἀγαθοῦ βούλησις, ἣ θεὸν προηνέγκεν, οὗ τὸ ὄνομα οὐ δύναται ἀνθρωπίνῳ στόματι λαληθῆναι.* *d)* Idem Hermes Ægyptius: *ἀνεκλάλητε, ἄρρητε, σιωπῇ φωνούμενε*, cit. Ailb. Orat. de Deo uno ac trino. Conf. Mornæ. c. 4. de verit. Relig. p. 47. Pier. Hieroglyph. lib. XXIX. præf. & c. 2. Politian. l. c. *e)* Plato in Tim. *ποιητὴν καὶ πατέρα τούτου τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν.* *f)* Porphyr. lib. 2. de sacrif. cit. Jac. Martin. II. Exerc. metaph. 4. theor. 2. p. 673.

esse Deum pronunciat, qvem eloqvi non possimus. Hæc igitur opinio in alienas à sincerâ fide gentes incubuit. Ad Christianos venio, qvorum eqvidem suspicor esse neminem, qvi juxta cum veteribus illis Romanis superstitiosam Divini nominis abolitionem probet, aut si ea, qvæ de Deo veroqve illius cultu in sacro codice perscripta ipse cognoverit, ignaris enunciet, idcircò proditionis opprobrium pertimescat, optaturus potius, ut non angustioribus limitibus religionem suam, qvàm terrarum orbem circumscribi contingat. Nempe cùm Principum qvidem secreta effutire minimè deceat *g*), Dei consilia, supremi Regis facere ut dispalescant, non perfidiæ crimen habetur, sed officium pietatis. Hactenus igitur lingvæ nostræ permissum est operam suam rebus divinis addicere: effundat se in laudes Creatoris, qvæqve scire DEUS homines voluit, intrepidè profiteatur, & ab hâc confessione non vetitis ullis, non minis, non tormentis abstrahi se patiatur. Putet tamen, terminos sibi loqvendi constitutos, qvos violare manifestæ sit temeritatis. Non inficior, esse qvamplurima, qvorum notitiâ, per DEI benignitatem, à profanis gentibus distingvamur, ut tacere nobis non sit necesse, sed decorum loqvi. Sunt tamen haudqvaqvam pauciora, qvæ DEUS gravi consilio in abscondito esse voluit, ut ea sacro silentio venerari satius

A 2 sit.

g) Tob. XII. 8.

ſit, qvàm impurâ loqvacitate temerare. Non longè abeamus. Primum noſtræ Religionis caput ipſe DEUS eſt, qvem unum eſſe novimus eſſentiâ, trinum perſonis; qvem non aræ tantùm noſtræ & pulpita, ſed domeſtica qvoqve cubicula reſonant. Huic lingva noſtra preces dedicat, huic laudes concinit, huic carmina modulatur: tantum verò ſibi non ſumit, ut explicari à ſe hoc myſterium & depromtis à ratione argumentis demonſtrari poſſe confidat; ſed voluntarium hîc ſibi ſilentium imperat, reiqve magnitudine perculſa admiratur tacitè, qvod effari ſentit qvàm ſibi ſit impoſſibile. Qvæ cùm ita ſint, fateor eqvidem, proclivius longè futurum erat mihi, dum inchoatam nuper Sacroſanctæ Trinitatis feſtivitatem pio etiamnum cultu Eccleſia proſeqvitur, religioſo ſilentio obſignare hoc ſecretum, in qvo explanando omnem humanæ eloqventiæ irritum fore conatum intelligerem, qvàm orationem afferre imparem huic argumento; præſertim qvi probè ſentirem, meliora me audire poſſe, ſi alii dicerent, qvàm dicere, ſi alii audirent. Veruntamen cùm mihi hoc tempore dicendi provincia obveniſſet, ita temperandam putavi locutionis neceſſitatem, ut nec omninò nihil facerem verborum, nec ſilentii leges violarem. Qvapropter in præſentiarum oſtendere conſtitui, rationem humanam propriis nitentem adminiculis neqvaqvam aſſurgere poſſe, qvod qvidam

b) opi-

h) opinati ſunt, in manifeſtam de tribus diſtinctis hypoſtaſibus, in unâ numero Divinitatis eſſentiâ comprehenſis, cognitionem *i)*: velut aperto prælio cum Ratione cominus colluctaturus, ſuæqve illam infirmitatis commonefacturus. In qvo dùm verſor, non tàm veſtrum, Auditores Optimi, ſilentium mihi paciſcor, qvod alioqvi rei tàm ſacræ daturi eſtis, qvàm benevolentiam, qvâ futurum eſt, ut absqve remorâ & hæſitatione meæ curſum orationis abſolvam.

Sic igitur eſt, Ratio humana, hæreditario ſuperbiæ vitio corrupta, cùm Fidei ſibi dominio obtemperandam eſſe audit, qvibus poteſt modis obnititur, qvòd non accipere ſervitutem, ſed imponere aliis geſtiens, injuriam interpretetur, legibus alienis coerceri. Cùm ergò Chriſtiana Religio caput aliqvod doctrinæ promulgat, convocatis illa in unum cogitationibus periculum

h) Rationis acumini in manifeſtando SS. Trinitatis myſterio patrocinantur Raymundus de Sabunde, Pontificius, in Theol. natur. à tit. XLVI. usqve ad LV. è Calvinianis Barthol. Keckermannus lib. I. Syſtem. Theol. c. 3. & Phil. Mornæus c. 5. de verit. Relig. qvi tamen cæteris modeſtior. *i)* Negativam hîc rectè defendunt Thomas Aqvinas, Scholaſticus ſcriptor, Part. I. Q. 32. art. 1. E noſtris Joh. Gerhard. in Loc. de trib. Eloh. c. 12. itèm in Exeg. Loc. III. c. 1. th. 5. Balth. Meiſn. I. Phil. Sobr. Sect. 4. c. 9. q. 2. Heinr. Eckhard. Faſcic. Controv. c. 2. q. 4. p. 38. Jac. Martini II. Exerc. Metaph. 4. theor. 9. E Calvinianis Clem. Timpler. IV. Metaph. 2. probl. 9.

riculum facit, num suis sibi viribus viam aperire possit in mysterii sublimitatem. Qvam si dumetis ab ea parte, qvâ ingressum parat, obsitam, tricisqve imperviis impeditam conspicatur, desperato successu actutum resilit, ac veluti repulsam indignata, qvod credere jubetur, protervè recusat, non adeò immemorem esse Deum æqvitatis clamitans, rerum ut incredibilium à nobis fidem exigat. Qvod si credenda res ejusmodi sit, ut nisi assensum accommodet, manifesto transfugio Christianismi castra deseruisse judicetur: jam aliud (qvæ ejus est versutia) consilium comminiscitur, qvo & suæ consulat existimationi, & deficiendi necessitatem excludat. Specimen hujus astutiæ primarium circà articulum de SS. Trinitate præbet. Hic profectò ita comparatus est, ut eum, qvi negare ausit, pro Gentili habeatur, qvi apprehendere velit, necesse habeat abdicare judicium sensus; qvorum alterum cum Religionis discrimine conjunctum est, alterum cum contemtu Rationis. Qvid hîc faceret ingeniosa Ratio? Subscriberet huic postulato? an detrectaret? Atqvi illud erat autoritati propriæ renunciare, hoc pietati. Inter has igitur angustias constituta eò tandem erupit, ut callidè dissimulatâ suâ ignorantiâ, ne approbare videretur, qvod non exploràsset, majorem viribus sapientiam jactitare falsò cœperit, palàm testata, se qvoqve propriis argutiis Sacrum illum Ternarium facere posse qvàm maximè

ximè perspicuum. Eho inepta! qvid tibi blandiris? Reconditum Divinæ Majestatis sacrarium, in qvod beatissimis Angelis non nisi tectas facies *k*), & conniventes oculos inferre fas est, tu scilicet lusciosa, cùm vix qvæ pedibus obversantur, agnoscas, perlustrabis penitus? An nescis, te in solem oculos defigere, ut cæcutias? Oceanum pertentare, ut absorbearis? Cœlum Icariis alis petere, ut ruas? Credidimus verò hactenus unanimi consensu, Fidei esse principium, in qvo non rationem accersere magistram, sed Dei vocem oporteat, qvòd infinitus Pater, ratione qvadam humanis sensibus imperscrutabili, ab æterno Filium genuerit, ejusdem gloriæ, ejusdem majestatis, ejusdem æternitatis participem; qvòd ab horum utroqve pariter ab æterno processerit Spiritus Sanctus, neutro inferior & ipse gloriâ, majestate, æternitate; qvòd hæ tres personæ sine ullâ perturbatione, confusione, permixtione, unâ penitus essentiâ conjunctæ mutuò, singulæ tamen à singulis sine ullâ distractione, alienatione, divulsione distinctæ sint hypostasi, ut adeò Pater sit Deus, Deus sit Filius, Spiritus Sanctus Deus, nec tres tamen Dii, sed unus Deus. Hæc igitur, inqvam, simplici fide hactenus amplexi, factâ etiam vi nostræ curiositati, qvibus modis hæc ita fieri potuerint, non rationem à Deo, non oculatum testem poposcimus: cùm tu subitò

k) Esa. 6. v. 2.

nobis exoreris, nasutula Ratio, tuisqve inflata ratiociniis magnam præ te nubem fers argumentorum, qvibus hæc tàm abstrusa, tàm recondita, tàm ab omni sensu aliena, nemini non manifesta, ac vel ipsis manibus palpanda polliceris redditúram. Aureum montem hoc interpretor, sed valdè vereor, ut sis præstando. Nolo deprimere, qvicqvid tibi post tàm exqvisitæ sapientiæ amissionem residuum est luminis naturalis: sed nec ferre possum, ut per te eleventur sacrarum revelationum precia. Largior sanè, non ademtam tibi omnem facultatem, rectè de Deo utcunqve sentiendi; neqve hoc inficior, contemplationem ordinis tàm concinni in hâc rerum diversissimarum universitate, tantum apud te valere meritò, ut ne qvidem fas sit dubitare, esse omninò aliqvod Numen, qvod eas condiderit & conservet conditas. Etiam unitatem DEI tibi aliqvo modo subolere haud inficior. Trinum autem istud, qvod sub hâc unitate delitescit, qvâ tandem viâ, obsecro, pervestigaturam te speras? Sciscitare ex creaturis, ex qvibus necesse est pronunciandi qvædam de DEO argumenta hauseris: respondebunt, Deum esse, sapientem loqventur, omnipotentem clamabunt, benignum inculcabunt; cæterùm, qvod ad personas attinet, Trinum esse non docebunt. Neqve enim illa seu simulacra seu vestigia accipio pro argumentis, qvæ in Sole, in animâ hominis, in obviis arboribus qvibusvis

busvis & fluviis obversantia pias de Sanctissimâ Trinitate meditationes etiam mihi suggerunt. Reperio ibi, qvod illius Ternarii, jam aliunde persvasi, recordationem objiciat; qvod controversi fidem faciat, non reperio. Taceo, qvod in iis continetur similitudinis, id majore dissimilitudinum copia obfuscari. Istas, inqvies, imagines obtusas nihil moror: sed est mihi qvæpiam acutior colligendi ratio, per qvam pares gressus, (si non majores,) cum illis factura sum, qvi hîc scripturæ effatis unicè nituntur. Qvam acuta, imò qvàm lubrica ea sit, mox videbo: interim meminisse conveniebat, mysterium hoc tàm esse imperꝟestigabile, ut omnem ingenii etiam acutissimi scrutantis inqvisitionem eludat.... DEUS, ne qvid erres, pro domicilio habet lucem inaccessam *l)*: parum dixi, pro latibulo habet tenebras *m)* densissimas, qvas discutere non oculus rationis utcunqve scintillans, sed illud demum splendidissimum lumen *n)* potest, qvod omnem hominem, veluti Sol qvidam Justitiæ *o)* illustrat, Deumqve, qvem nemo vidit unqvam *p)*, obsessis caligine mortalibus ostendit. Poteras igitur, vesana Ratio, conscia propriæ lippitudinis à rei tàm remotæ indagatione honestissimè abstinere, & abjicere præposteram curam adjuvandi solis ignobili face. Sed ut tuæ nobis, audaciæne dicam an de-

 mentiæ,

l) 1. Tim. 6. v. 16. *m)* Ps. 18. v. 12. *n)* Joh. 1. v. 9. *o)* Malach. 4. v. 2. *p)* Joh. 1. v. 18. 1. Joh. 4. v. 12.

mentiæ, ratio meliùs conſtet, ego, qvando tibi ſemel arduum hoc iter ingredi decretum eſt, pedibus meis tua veſtigia premam. Qvòd ſi acciderit, ut tuo ductu in errorum præcipitia, & voragines dubitationum delabar, non injuriam tibi putabis fieri, ſi apertè nugivendam te & maximam impoſtricem vocavero. Finge me igitur, tuis illectum magnificis promiſſis, abſtruſiſſimum Trinitatis ſacræ myſterium abs te doceri velle, & collectis adeò tuis argumentis in me experire, qvantum poſſis. Ego formidoloſo greſſu inſeqvar, & latentem in qvâvis herbâ angvem metuam. Hæc verò lex erit nobis poſita, ut accipere mihi tua conſulta, niſi omnibus approbata rationis ſuffragiis fuerint, ne ſit integrum, liceat etiam in re dubiâ frontem obvertere, & veluti clavum clavo, ita opinione opinionem elidere. Veſtrum intereà, Auditores Honoratiſſimi, judicium erit, egóne tutiorem Magiſtram in hoc negotio nactus ſim, an illa Diſcipulum cautiorem? Initiò igitur hoc tibi dari poſtulas, argutula Ratio, *omne bonum aliis ſeſe communicare.* Non repugno. *Igitur & DEUM*, infers, *bonitatis ſuæ alios feciſſe participes credibile eſt.* Imò manifeſtum, inqvam ego, per creaturas, in qvas ſuæ bonitatis totos modios erogavit. *Non huc te ducebam*, inqvis, *ſed, qvia Deus infinitus eſt, ut infinitam qvoqve iſtam communicationem augurarere, atq; hinc initium caperes de pluralitate perſonarum in divinis ſuſpicandi.*

Ego

Ego verò, qvid hîc suspicer, nescio. Certè summum istud bonum novi sic esse infinitum, ut idem qvoqve sit liberrimum. Forsan itaqve, si potuit se diffundere, noluit: qvi enim ego sciam voluisse? Qvid verò, si non potuerit? Certè infinita natura consortium multitudinis omnibus modis refugit; aut si admittit, citiùs Epicuro placebis, innumerabilem Deorum copiam asserenti *q)*, qvàm illis, qvi tres tantùm hypostases profitentur. Neqve in hoc mihi scitè videris philosophari, qvòd ipsam ilicò rei bonæ essentiam communicari debere innuis. Num igitur tibi bona satis non videntur cœlestia corpora, qvod de suis qvidem qvalitatibus aliqvid in nos effundant, cæterùm suas essentias retinent sibi? *At ista*, regeris, *rerum divinarum communio non aliorum causâ, sed ipsius Dei admittenda est. Nam cùm felicitatis momentum haud exiguum in societate positum sit, neqve ullius gaudii solida videatur possessio, nisi habeas, cui communices: miserum profectò Deum, si ab æterno hâc beatitatis parte caruerit. Qvò faciliùs adduci debes, ut credas, eum vel ante Mundi exordia Filium sibi & Spiritum socios adscivisse, qvorum puta in sinum liqvidissima deponeret fructum voluptatis.* O delicatula! qvam probè calles absolutæ voluptatis numeros! Ain verò, Deum, nisi socios habuerit, miserum? Jure hoc diceres, si ipse magnitudinem suæ felicitatis, qvod hominibus qvi-

q) Vid. Cic. lib. I. de naturâ Deor.

dem sæpe contingit, non undiqvaqve caperet. Vide qvâ Deum perfectionis notâ spolies. Non enim, qvia socios habuit, ideò beatus fuit, sed ideò fuit longè beatissimus, qvia socio non indiguit. Metues hîc fortasse, *ne crimen invidentiæ r) non effugiat Deus, qvi sibi soli possederit fortunas suas, nemine in communis gaudii usuram adhibito.* Et qvem, amabo, adhibuerit tantæ capacem eminentiæ, qvam se ipsum? Respondebis: *Filium ab se genitum, & Spiritum egressum.* Jam igitur collapsa est illa unitas. Nam si hoc à me postulas, ut tres distinctas personas imaginer, qvarum tamen una numero permaneat essentia, semel dicam, iniqvissima es, qvæ, cùm inter nos convenerit, ut ratione utamur, tu in demonstrando, ego in assentiendo, ea jam, nescio unde, affers in medium, qvæ nec probari abs te, nec à me comprobari, nisi proculcato rationis judicio, possint. Nunc reliqva licebit proferas. *DEUS in perpetuo negotio fuit.* Accipio: indignum enim est, tantas æternitatis moras in otio ignavo transactas à vegetissimo Numine autumare: imò nec arbitror ullâ intercapedine abruptum fuisse operandi studium. *Qvid igitur egerit Deus ab æterno, qvàm Filium genuerit, spiraverit Spiritum?* Nosti qvid interrogatori tuæ fortis respondisse olim Hipponensis Episcopus feratur s). Sed hoc omitto. Expecta-

r) Vide Sabund. tit. 50. Theol. natur. s) Augustinus, qvæsitus, *qvid fecerit Deus ante conditum mundum?*

pectabam, ut eâdem promptitudine mundum vindicares æternitati, qvod ex isto videlicet principio observantissimum rationis Aristotelem *t*) fecisse legi. *Nobilior est*, inqvies, *Filii generatio, qvàm fabricæ operis ab artificis essentiâ discrepantis u).* Sed qvæ me ratio coget, ut si hominem videam, qvi ex alienâ materiâ domum excitat, eundem ad generationem sui similis propriam substantiam impendere, Deum qvoqve inferam, qvia universam hujus Orbis structuram, suæ essentiæ non participem fabricaverit, æqvalem qvoqve sibi naturâ Filium gignere oportuisse? Nonne, si traducere ad Deum, qvicqvid in homine deprehendero, instituam, futurum pariter est, ut non contentus Dei Filium invenisse, matrimonii prætereà, qvale inter homines esse intelligo, exemplum circumspiciam in Divinis? Qvod tu fortasse *nimiam scrupulositatem* vocabis, *& removendam* *esse*

respondisse vulgò fertur; *præparâsse infernum curiosa sciscitantibus.* Meisner. Part. I. Phil. Sobr. p. 373. *t*) Lib. VIII. Physic. *u*) Sabund. tit. 46. *Sicut homo artifex producit domum, in qvantum artifex, & non in qvantum homo, de alienâ materiâ à se; & etiam producit hominem sibi similem viventem de suâ propriâ naturâ & substantiâ, in qvantum homo, & non in qvantum artifex: — Conformiter Deus, qvi est ipsum esse æternum produxit totum esse mundi tanqvam artifex. — Deus vivus produxit Deum vivum de suâ naturâ gloriosissimâ. — Nonne ista productio — erit conveniens Deo, in qvantum Deus, & maximè propria?*

esse dices *hujusmodi imperfectionem à DEO, qvippe qvi solus sibi gignendo Filio suffecerit.* Sed hîc nova video præcipitia. Cur enim purissimo Numini generationem tribuamus, qvæ Spiritibus aliis absqve imperfectionis argumento nemo vindicabit? Video te jam novos anhelitûs ducentem, & composito ad majorem severitatem vultu graviores impetûs minitantem. Qvicqvid imminet, excipiendum est. *Dubium,* ais, *esse non potest, qvin excellentissimo DEUS intellectu sit præditus.* Vehementer probo: nefas enim est arbitrari, in ente nobilissimo existere aliqvid, qvod non idem summum obtineat nobilitatis gradum. *Nobilissimi autem intellectus objectum,* ita pergis loqvi, *nobilissimum esse oportet. Deus itaqve intellectionis suæ vim ab æterno in seipsum, cùm nihil haberet præstabilius, in qvo eam exerceret, reflexit.* Qvid tùm posteà! *Dum hoc modo sibi Deus intelligendo vacaret, concepit in se ipso, peperitq; absolutissimam hic imaginem.* Qvo colore hoc svades? *Qvia qvalibet intellectio qvoddam objecti sui simulacrum effigiat.* Nescio: sed perge. *Ista imago nihil qvicqvam discrepat ab essentiâ Dei, sed ita eam repræsentat, ut abeat in ipsissimam. Qvo efficitur, ut illa imago, (qvam anteà Filium Dei dixi, simili sensu, qvo eruditiores animi conceptûs ingenii fœtûs nuncupare solemus,) æqvè cum Deo æterna, æqvè infinita, æqvè, ut absolvam, Deus sit.* Nihilne amplius? *Nihil, nisi ut, qvæ de Intellectione Dei dicta sunt, ea ad ejusdem*

jusdem Voluntatem applicans, procedentem ex Deo Spiritum, (qvem aliàs copulam Amoris inter Patrem & Filium vocant,) tibi imagineris. Qvod ita habendum est: fieri non potuit, qvin Pater conceptam ab se Divinitatis plenissimam imaginem summo amore complexus, atqve ab eadem vicissim compari fuerit affectu exceptus. Hac nimirum perpetua Divinæ Voluntatis occupatio extitit, qvâ Deus, cùm extrà se, in qvo appetitui suo satisfieret, nihil haberet, conversâ in se ipsum appetendi facultate purissimos suæ plenitudinis fontes identidem delibavit. Qvemadmodùm itaqve juge intellectûs exercitium secundam nobis, ita tertiam Divinitatis personam voluntatis indefessa vegetatio expressit. Cùmq; ab actu essentiæ Divinæ actus intellectûs, & ab hoc voluntatis actus non differat nisi ratione, duo exinde seqvi vides: unum, qvòd in DEO peculiares duo existendi modi, hic intelligendo, ille volendo, oriantur; alterum, qvòd hoc pacto summa essentiæ divinæ unitas neqvaqvam exspiret, neutro existendi modo extrà Deum evagante. O temeraria ratio! Hæne sunt illæ machinæ, qvibus in penetralia DEI irrepere conaris? Eqvidem conaris, sed ausu, qvàm eventu majore. Primùm enim, qvis hoc tibi assentietur, Deum reflexu intellectionis imaginem concepisse? Esto sanè nos homines nihil intelligere valeamus, ne nos qvidem ipsos absqve imaginibus istiusmodi, rerumqve qvibusdam simulacris ac speciebus. De Angelis qvid fiet? Sed

&

& hos ſpeciebus, prout vocant, intelligibilibus ad exercendam intelligendi poteſtatem uti acċepimus. Ajunt tamen eosdem, ut ſeſe ſinguli cognoſcant, ſpeciebus non indigere, ſed qvemlibet ſeipſnm per eſſentiam propriam perſpicere *vv*). Qvantò magis credibile eſt, ſimpliciſſimum Numen neqve cùm ſeſe, neqve cùm res à ſe conditas intellectione apprehendit, nullam imaginem formare! Sed fac, ſimulacrum ſui abs DEO concipi: qvid eſt, qvòd peculiarem ſtatim exiſtendi modum inde colligis? Affer igitur mihi cauſam, qvamobrem ſimulacra rerum, qvæ animabus noſtris, tanqvam earum ſoboles inhærent, eas in perſonas totidem non diſtribuant, in Deo unica ſui effigies ſingularem hypoſtaſin conſtituat? Dicis, *in imaginem hanc conceſſiſſe, qvicqvid eſt in Deo Divinitatis; qvoniam in Deo nihil ſit ab ejus eſſentiâ alienum diverſumq;.* In qvo tu mihi non Trinitatem Chriſtianorum, ſed Gentilium nefandas ſuperſtitiones confirmare videris. Nam ſi, qvicqvid à divinâ mente imaginis concipitur, id in peculiarem perſonam abeat, qvam pro Deo habere, diviniſqve honoribus proſeqvi oporteat: an non ſentis, hâc ratione paratum eſſe patrocinium Cererem, Neptunum, Vulcanum, Junonem, Veſtam, & id genus alia veri Numinis opprobria colentibus? Dicent enim, ſe in illis imagines ſive ideas Elementorum, in divinâ mente

vv) vide Tolet. in lib. 3. de animâ c. 4. q. 11. p. 137.

mente refulgentes, tot videlicet, qvemadmodùm tu vis, divinitatis personas justissimâ religione venerari *x*). O te egregiam tanti mysterii patronam! qvæ dum generationem æterni Filii investigare niteris, fenestram aperuisti monstrosissimæ impietati. Scisne autem, qvid obtineas tandem, etiamsi omnia tibi assentiar? Hoc nimirum, Personas Deitatis non realiter à sese, sed ratione differre, qvod salvâ certè Christianæ fidei integritate affirmari non potest. Porrò qvod de Voluntate Dei, mutuaqve Amoris reciprocatione attulisti, qvoniam iisdem perplexitatibus dubiisqve involutum est, suâ sponte ruinam ducit, prioribus labefactatis. Qvare laborem ejus operosè convellendi lucrifaciam. Unum adhuc abs te scire desidero: putesne Filium qvoqve & Spiritum voluntate intellectuqve pollere? Si annues, contendam ego, utrumqve se ipsum cognoscendo & appetendo novos Filios, novos Spiritûs producere; sin minus, qvâ tu illis fronte plenissimam Divinitatis possessionem arrogabis? Nunc superest, ut, qvandoqvidem lubrica admodùm, imò periculosa & errorum plenissima via est, qvam inire me dolosa Ratio jubet, eam deseram, ac studiosè declinem, adscito mihi alio itineris duce, qvi certiore semitâ & breviore compendio ad augustissimam veræ Religionis arcem perducat. Totas argumentorum co-

x) vid. Galeott. Mart. c. 17. de doctrinâ promisc. p. 126.

hortes emiſit Ratio, qvibus mihi Trinitatis perſvaſionem incuteret. Suſtinui incurſum, nihil ſum commotus. Adſit jam Scriptura ſacra, & interpoſitâ ſuâ autoritate vel verbo mihi imperet, qvod credam: actutum efficaci ſcientiæ manus dabo, & habebo pro certiſſimo, qvod ambitioſa Ratio nullis perſvaſionum adminiculis efficere poterat. Audiam vel illud rotundiſſimum Spiritûs Sancti dictamen: *Tres ſunt, qvi teſtimonium perhibent in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt y)*: jam victus ſum, nec habeo qvicqvam, qvod contrà auſim hiſcere. Obmuteſcat igitur Ratio, obmuteſcat, partemqve putet ſapientiæ non poſtremam, æqvo animo neſcire velle cauſas myſteriorum, qvas absconditas eſſe DEUS nobis voluit. Sinat verò loqvi ſcripturam, neqve Deo, arcana ſuæ doctrinæ enarrandi capita, nugis ſuis interſtrepat. Profectò præpoſteræ foret dementiæ, ne qvid gravius dicam, ſecreta divinitatis ab homine malle, qvàm à Deo ipſo edoceri, atqve ab eâ magiſtrâ ſibi explanationem graviſſimi hujus myſterii polliceri, qvam conſtet plenâ manu argumenta ſubminiſtrare, qvibus jurati Sacræ Trinitatis hoſtes eam adoriantur, vellicent, impugnent, modis deniqve omnibus ex animis hominum proſcribere conentur. Vos verò, Auditores honoratiſſimi, ſatis opinor, intelligitis, qvàm ſciola Ratio nimium intelligendo

y) 1. Joh. 5. v. 7.

do efficiat,ut nihil intelligat, qvàmqve præsentis sit res periculi, Icario qvasi volatu & plusqvàm Phaëthonteâ audaciâ ignotæ se viæ concredere. Qvanqvam autem ipse sentio, me in detegendis Rationis imposturis multa strictissimè percurrisse, prætermisisse etiam nonnulla: confido tamen fore, ut tùm vestra audientium perspicacia, tùm angustia temporis mihi observandi, facilem sit hujus facti excusationem præstitura. Non diutiùs orandi officium prorogabo, ubi primum vota DEO T. O. M. nuncupavero.

Gratias agimus Tibi, Æterne Pater, Domine Cœli & Terræ, qvòd hæc arcana abscondideris à sapientibus & prudentibus hujus seculi, parvulis autem & simplicibus revelaveris *z)*. Gratias agimus Tibi, Jesu Christe, Fili Dei vivi, Salvator noster unice, qvòd hanc sapientiam constitutis nobis in tenebris ignorantiæ & superstitionum, è sinu Patris Tui allatam, tanqvam interpres & internuncius patefeceris. Gratias agimus Tibi, Sancte Spiritus, Doctor Ecclesiæ perpetue, qvòd acceptam semel de Deo veram doctrinam, degentibus nobis in effœtâ mundi senectâ, intemeratam servaveris. Confitemur Tibi, & ingenuè testamur, DEUS Triune, nos sublimem tanti mysterii notitiam non è domo attulisse, non è libro Creaturarum legisse, non pervestigâsse ductu rationis huma-

z) Matth. 11. v. 25.

næ, sed è verbo tuo haustam, repudiato sensuum judicio, simplici fide apprehendisse. Nullas hîc nostras vires jactamus, sed Tuam solius benignitatem extollimus. Te Deum Patrem veneramur, Te Deum Filium adoramus, Te Deum Spiritum Sanctum invocamus. Qværsumus Te, Domine Clementissime, jubeas nobis hanc confessionem esse perpetuam, nec intercidere apud nos patiaris Sanctissimi Nominis tui memoriam, sed inter bellicos tumultûs, & insultantium ab omni latere hostium minas, Academiam nostram & Remp. incolumem præsta, Templa sacrosqve cœtus ab omni corruptione serva, fortunas etiam nostras in hâc tantâ publicæ privatæqve rei convulsione sospita, nosqve universos sub umbrâ alarum tuarum protege: donec expleto, qvod nobis vitæ superest, spacio, beatissimorum Spirituum choris associati, liberiore Tui aspectu fruamur, tuamqve ter sanctam Majestatem nunqvam interrumpendis carminibus laudemus, celebremus, evehamus!

ORATIO II.

De Disputatione Lipsicâ Lutheri cum Eccio,

Habita in Templo Academico

A. 1646. d. 18. Februarii,

cùm ab obitu Lutheri elapsum esset seculum.

RE-

RECTOR MAGNIFICE, &c.

LOngo rerum uſu & lapſu temporum didicerunt mortales, ſæpe in unius capitis incolumitate poſitam eſſe univerſæ alicujus multitudinis ſalutem ita, ut eo ſuperſtite floreant omnia, extincto concidant. Qvam rem penſiculatiùs intuenti duo occurrunt hominum genera, qvibus hæc tanta laus debeatur. Aut enim rebus ſacris præfecti, morum integritate vitæqꝫ ſanctimoniâ conſpicui, precum oblatione vindictam irati Numinis à ſuis temporibus declinantes in poſteram ætatem rejiciunt; aut gubernaculis Reip. admoti negotia communia eo conſilio, eâ prudentia, eâ fortitudine adminiſtrant, ut oblita qvaſi juris ſui Fortuna (liceat Poëtarum ſtilum imitari) imperium illorum ingratâ viciſſitudine interpellare, velut admiratrix ſummarum virtutum, videatur. Atqve ut à poſterioribus incipiam, verſatur inprimis ob oculos exemplum Epaminondæ Thebani, cujus patriam obſervatum eſt & ante eum natum & poſt defunctum alieno ſemper imperio ſerviiſſe; qvamdiu verò civibus ille ſuis præfuerit, dominium exercuiſſe in reliqvam Græciam. Neqve nos hiſtoria Romana exemplis deſtituit. Produco Beliſarium, in qvem ſacratiſſimus Imperator Juſtinianus omnem belli molem conjecerat. Eqvidem eo Duce nunqvam caruit difficultatibus res Romana, hinc Vandalis, Gothis, Hunnis, ferociſſimis

nationibus irrumpentibus, illinc Persarum Tyranno Cosröe periculosam Martis aleam objiciente. Veruntamen virtute Belisarii effectum semper est, ne, qvos hostes pertimescebat Romanus, iis victoribus collum submitteret. At eo mortuo florentissimum lateqve formidabile imperium brevi pòst in eas angustias compressum fuit, qvibus neqve tot seculorum lucta in hanc usqve diem remedium invenit, ut nesciam, amissa regna an servata paginas plures impleant. Childibium, licet in arctiore provinciâ constitutum, par tamen rei gerendæ dexteritas facit ne prætercam. Eo Illyrici præfecto & superstite neminem Slavinorum tradunt Istrum transire ausum; sublato non modò libere transire omnes, sed & Illyricum, partemqve Thraciæ ac Macedoniæ infestare atqve occupare cœpisse. Nunc ad eos venio, qvi idem precibus præstiterunt, qvod alii scutis & gladiis. Intuemini, Auditores, Samuelem Sanctum Prophetam, qvo vivo Israeliticam gentem Palæstinis bello semper superiorem fuisse scriptura sacra testatur *a*). Intuemini pientissimû Mediolanenum Antistitem Ambrosium, qvem ex eo morbo, qvi ipsi postremus fuit, graviter decumbentem vehementer doluit Comes Stilico, fore prædicens, qvod posteà evenit, ut tàm sancto viro cœtibus mortalium erepto Italia miserrimam subiret commutatæ felicitatis sortem. Hæc ideò

a) I. Sam. 7. v. 13.

ideò præfari volui, ut aliorum exemplis domesticum vulnus, cujus memoriam nobis hodierna dies refricat, solaremur. Centum ipsi anni sunt, ex qvo Martinum Lutherum, terrorem Papæ, sinceræ fidei vindicem acerrimum, amisimus. Is qvamdiu in vivis fuit, tantum valuit apud Deum intercedendo, ut jam tùm collocatæ contra religionem nostram machinationes Pontificiorum in apertnm bellum non eruperint. At postqvam ipsi dies Concordiæ vivendi finem attulit, Deum immortalem! qvantæ turbæ exortæ, qvot regna lacerata, qvot opida miseris modis afflicta sunt! Utinam verò rerum, obitum hujus Viri consecutarum, accuratam recensionem aut necessariam nobis faceret calamitatum præteritarum ignorantia, aut jucundam etiam sopiti mali compositio! Qvis enim adeò hospes est in eorum temporum historiâ, ut nesciat, qvantâ animorum contentione, dum inde ad nostram usqve ætatem bella ex bellis seruntur, semperqve præsens victoria in futuræ instrumentum convertitur, Religionis nostræ jugulum ab hostibus nominis Lutherani petitum fuerit? Porrò qvis non in partem qvotamcunqve venit illius cladis, qvam à majoribus tanqvam per manus acceptam verendum est, ne ad seros nepotes pariter transmittamus? Qvamobrem nolo sævitiam hujus ulceris curiosâ contrectatione irritare. Juvat potiùs in contemplationem divinæ misericordiæ depres-

sum animum erigere, qvæ inter medios conspirantium in perniciem sanæ religionis furores eam conservavit, ut supersint tamen, qvi post celebrata solenniter bina Jubilæa, altero *b*) initia impugnatæ per Lutherum Babylonis, altero *c*) exhibitam Augustæ Vindelicorum ab Illustribus qvibusdam Imperii Proceribus Confessionem recolentes, hodiè qvoqve secularem mortui religionis nostræ antesignani memoriam pio studio, qvantumqve per iniqvitates temporis licet, festivo apparatu restaurent: idqve in pudorem & invidiam osorum Evangelicæ veritatis; qvorum magna pars strictis gladiis hunc nodum solvere neqvicqvam conati sunt, & conantur etiamnum, non etiam nulli, nescio qvo pythonico spiritu afflati, certos annorum limites præstituerunt, qvibus hæc, ut ipsi loqvuntur scilicet, secta finienda esset. At enimverò, si VERBUM DOMINI MANET IN ÆTERNUM, (qvo veluti Symbolo Protestantes Principes aliqvando usus esse novimus,) non est qvod metuamus, ne nostra doctrina, qvæ verbo Dei unicè innititur, corruat. Neqve enim ex funere B. Lutheri detrimenti qvicqvam in veram fidem derivari potuit; hujus tantùm Confessoribus crux atqve calamitas, qvæ discipulis Christi comes alioqvin est perpetua, portenta fuit. Vellem autem pertingeret oratio mea ad aures Luperci istius tricoronigeri, ut qvan-

b) Anni 1617. *c*) Anni 1630.

qvando olim à dicaculo qvodam Jesuitâ *d)*, qvi jubila nostra ferre non poterat, ante diem jussi sumus Luthero nostro sacra vespillonia solvere, funebrem cantionem hanc inaudiret:

Pestis erat vivus, moriens qvoqve mors tua,
Papa.

Hoc, inqvam, sit nostrum seculare carmen, qvo fortissimo intemeratæ religionis propugnatori parentemus. Qemadmodùm verò prisca qvondam Ecclesia Beatorum Martyrum natales, hoc est, eos dies, qvibus illi per varia suppliciorum genera ad eandem palmam vitæ cœlestis contenderant, commemoratione certaminum, & exantlatorum pro nomine Jesu Christi laborum celebrabant: ita mihi hodiè, ad qvem auctoritate eorum, qvibus religio mihi fuit refragari, delata est de Luthero dicendi provincia, qvòd dies ipsi fatalis in ipsum ferè tempus anniversariæ Concionis Academicæ incideret, visum fuit in honorem tanti Ecclesiæ Promachi, cui ad coronam martyrii non propria voluntas, non insidiæ adversariorum, solius Dei consilium defuit, aliqvam certaminum ipsius gravissimorum particulam seligere, qvam Vobis, A. H. in præsentiarum proponerem. Cumqve non sit dubium, qvin florentissima Witebergensis Academia, cujus ille civis fuit, inventura facile sit materiam, qvâ domesticum honorem cum laudibus Beati Doctoris conjungat; non alie-

d) Adam Contze p. 510. Jubil. Evangel.

num putavi ab hoc loco, si in hunc cœtum ejus potissimùm Disputationis, qvæ Luthero in hâc ipsa urbe nostrâ, secundo statim post debellatas feliciter Indulgentias anno *e*), cum Eccio intercessit, planam ac simplicem narrationem adferrem. Qvod dum ingredior facere, duo à Vobis magnoperè peto A. primum, ne elaboratam à me commentationem expectetis, qvippe cui consarcinandæ hesternus tantùm dies integer concessus fuerit; alterum, ut benevolentiâ vestrâ animum mihi adspiretis, ne forte mihi, cui non adeò ex sententiâ successit componendi studium, si ad subitariæ & inconditæ orationis conscientiam fastidium accedat audientium, pejus etiam succedat necessitas pronunciandi.

Ac propositam qvidem disceptationem animo versanti recordari subit illius conflictus memorabilis apprimè, qvem Supremo Ecclesiæ Doctori Jesu Christo mox sub initium muneris Ecclesiastici cum Satanâ tentatore fuisse nudiusqvartus in sacris concionibus audivimus; simulqve illud cogitare, non ipsum tantùm caput nostrum cum hoste generis humani justo prælio decertâsse, sed & sectatores Christi cum emissariis Satanæ identidem renovatâ acie congressos: sic Athanasium cum Ario, Ambrosium cum Palladio, cum Maximino Augustinum, Cyrillum cum Nestorio, alios cum aliis, ac nostrum

e) qvi fuit à nato Christo 1519.

ſtrum deniqve Lutherum cum Eccio cominùs contendiſſe; idqve non adeò longè ab eo tempore, qvo, vires Deo ſufficiente, inauditum facinus moliri, hoc eſt, tot annorum uſurpatione firmatam tantisqve aſſentantium præſidiis munitam ſedem Pontificiam ex imis fundamentis convellere occeperat. Video autem mihi in delineatione iſtius pugnæ, qvæ gladio Spiritûs definita fuit, imitandos eſſe bellorum narratores, ut initiò de occaſione diſſeram, & è qvibus ſcintillis hic ignis exarſerit, exponam; tùm per ipſam ſeriem diſputationis progreſſus in ea deniqve deflectam, qvæ illam fuerunt inſecuta. Maximarum plerunqve rerum, præſertim qvas Deus ſingulari qvodam conſilio moderatur, levia ſolent eſſe principia. Qvis crediſſet, occaſionem ſubvertendæ ſuperſtitionis Pontificiæ ab ipſo Pontifice fuiſſe ſubminiſtrandam? Scilicet, ut ſolium iſtud, cœlo jam ipſi vim intentans, tandem aliqvando fatali ruinâ collaberetur, ablegandus erat Româ Qvæſtor Indulgentiarius, qvi inſanis ſuis clamoribus, dum ærarium ſacri Indulgentiarum Patris locupletare ſtuderet, ardorem in Luthero eruendæ ex tenebris plusqvàm Cimmeriis veritatis excitaret. Vagabatur paſſim per Germaniam Johannes Tecelius Dominicaſter, propoſitisqve Indulgentiarum diplomatibus rudem plebeculam hortabatur, redimerent ſibi à Vicario Chriſti veniam peccatorum; qvoqve hanc putidam mer-

mercem scrutarius ille turpissimus celeriùs extruderet, intolerabili verborum grandiloqventiâ prædicabat, non commissorum tantùm criminum, sed committendorum qvoqve remissionem præstinare licere; neqve ad vivos tantùm has nundinas, sed & defunctos pertinere, ut qvamprimùm tinnientis in pelvi monetæ sonitus exaudiretur, evestigio anima, cujus nomine hæc sacra fierent, ex purgatorio in sedem beatorum subvolaret; cæterùm brevi futurum, ut thesaurus tàm pretiosus non ampliùs esset venalis, hanc enim mercaturam postremam Germaniæ fore. In qvo certè nugivendus iste longè, qvàm optasset, veracior extitit, cavente Divinâ providentiâ, ne orbis æruscatoribus hujusmòdi fidem inposterum haberet. Sentiens enim Lutherus, magnam nubem emptorum huic circulatori undiqve advolare, cœpit admonere homines, ne bullatis istis nugis aures accommodarent, qvòd ipse jam tùm satis perspiciebat, Tecelium non saluti animarum, sed marsupio suo ire consultum: mox affixis qvoqve publicè thesibus abusum indulgentiarum damnavit. Neqve enim totam lucem purioris doctrinæ primo statim conversionis puncto Lutherus pectore concepit, sed pedetentim in agnitione veritatis procedèns in perfectam tandem cùm tyrannidis Pontificiæ, tùm errorum Papalium detestationem provectus est. Unde

de cùm initium faceret ſcribendi, nihil minus auguratus eſt, qvàm hanc velitationem deſituram eſſe in univerſalem Papismi internecionem. Qvin ipſe potiùs plurimùm tùm tribuebat modeſtiæ Pontificis, ejusqve judicio illam, qvæ cum Tecelio intercesſerat ſibi, controverſiam ſubjiciebat. Ex adverſo Tecelius non ipſe tantùm contrariis propoſitionibus ſuas merces confirmare, ſed & alios in hoc negotium pertrahere, qvi Lutherum ſtylo aggrederentur, Johannem nimirùm Eccium, Sylveſtrum Prieriatem, & Jacobum Hogoſtratum, qvi poſtremus haud ita pridem flagitioſè ſteterat in causâ Capnionis. Horum tamen nullus cum Luthero diſputationem ſuſcipere auſus eſt præter Eccium. Hic Lutheri themata confodere tentaverat editis obeliſcis, qvos deinde Lutherus aſteriſcis obliteravit. Sed & Andreas Caroloſtadius, qvi tùm Eccleſiæ Witebergenſis Archidiaconus erat, Lutheri cauſam in ſe recipiens Eccio frontem obvertit. Hinc ſcriptis aliqvot ultrò citroqve evulgatis tamdiu extracta fuit hæc altercatio, donec utriqve placeret à calamis ad vivam vocem deſcendere, ac publicâ ſententiarum contentione experiri. In qvam tamen non tàm Caroloſtadii gratiâ, qvàm Lutheri, ab Eccio conſenſum fuiſſe conſtat; nimirùm qvòd hujus potiſſimùm viribus premi ſuam cáuſam intelligeret, gloriamqve ſibi ab hoc victo longè illuſtriorem, qvàm ab illo pollice-

liceretur. Qvare & materiam disputationis talem constituit, ut plurimis articulis Lutheri placita perstringeret, Carolostadii theses vix digito summo attingeret. Convenit autem inter partes, ut Lipsia theatrum sufficeret huic digladiationi: Lipsia inqvam nostra, cui eapropter haud parum gloriæ dicam accessisse. Eqvidem Islebia divinum Lutherum nascentem excepit sinu, & morientis spiritum dimisit; Magdeburga, Isenacum, Erfordia literis eum imbuerunt; futuræqve victoriæ instrumenta qvædam fabricarunt; Witeberga primam ingenti operi manum admoventem vidit, gratoqve domicilio per præcipuam vitæ partem fovit, qvin & ossa defuncti, sanctasqve exuvias suo qvodam sibi jure vindicavit. Non invidemus singulis suas laudes, qvin potiùs ingenuè fatemur, Witebergæ nos juxtà cum reliqvis hoc nomine plurimùm debere, qvòd ex illo candido sapientiæ monte, (qvod & vaticinatum qvendam fuisse constat,) flumina sapientiæ & vitæ in universum propè terrarum orbem derivata fuerint: dummodò nobis qvoqve liceat pio æmulationis studio gloriari, qvòd apud nos primam palmam à pervicaci adversario reportaverit Lutherus. Erat tùm urbs nostra subjecta dominio Georgii Saxoniæ Ducis, Principis in gubernatione qvidem politicâ excellenter probi, sed partium Pontificiarum haud parum studiosioris qvàm Lutheri, sive qvòd innutri-

innutrita erroribus sui seculi mens expedire se à tenebris avitis non satis valuit, sive qvod fatigata perpetuis Papicolarum suggestionibus alienæ improbitati succubuit. Certè non mediocre in eo perqvirendæ veritatis studium fuisse, multa sunt qvæ persvadent. Neqve adeò ipse Luthero tùm qvidem planè fuit infestus, utpote qvem & prandio perqvàm liberali excepit, & cui ultrà definitam diem, qvam Eccius verbosis blaterationibus totam penè contriverat, copiam fecit accuratè respondendi, ac rursum, qvæ vellet, contrà Primatum Pontificis opponendi. Ab hoc igitur Principe impetratâ potestate dies disputationi dictus fuit Junii mensis vigesimus septimus Anni 1519. Primus Ingolstadio advenit Eccius; post hunc Witebergenses. Qvi cùm per portam huic templo proximam ingrederentur, proditum est memoriæ, ante hanc ipsam ædem ejus carpenti, qvod Carolostadium vehebat, rotâ effractâ onus impositum, qvasi id aliqvando Ecclesiæ molestum futurum ominaretur, excussum fuisse. Carolostadium Dux Pomeraniæ Barnimus, qvi tùm magnificentissima sceptra Witebergensis Academiæ tractabat, & hunc uno vecti petorito Martinus Lutherus, & Philippus Melanchthon, secuti sunt. Omnium verò vehicula studiosi qvidam, qvos cupido spectandi certaminis allexerat, veluti corporum stipatores, ab utroqve latere cinxerunt. Tùm de conditionibus qvibus-

busdam tractari cœptum est. Ac tametsi jam ante inter partes convenerat, ut librarii adhiberentur, qvi omnia, qvæ à disputatoribus proferrentur, in literas conjicerent, ab hoc tamen pacto resiliens Eccius postulabat, ne qvicqvam exciperetur. Qvod ipsum qvo consilio versutissimus homo recusaverit, in proclivi est judicare. Speravit videlicet, si remotis notariis hæc agerentur, vel victo sibi tutiorem licentiam fore se pro victore venditandi: qvâ ante ipsum licentiâ Pascentius qvondam pari inconstantiâ pacti cum Augustino confligens usus fuerat *f)*. Verùm cùm iniqva prorsus esset hæc petitio, lecti sunt tamen librarii. Mox alia, eaqve gravior difficultas objecta fuit Luthero. Voluit enim Eccius, ut de his controversiis judicium esset penes aliqvam ex Academiis. Ac ipse qvidem optionem Luthero dedit nominandi, qvam vellet, ex omnibus Italiæ, Galliæ, Germaniæ, & Angliæ Academiis, duas tantùm excipiens: neqve enim dubitare poterat, paratam esse sententiam secundùm se, si decernendi arbitrium ad istas deferretur Academias, qvæ tùm Pontifici Romano omnes erant obstrictæ. Harum judicia cum gravibus de causis declinaret Lutherus, ilicò sermonibus disseminaverunt passim Ecciani, eum causæ diffidentiâ ductum nullius arbitrio submittere se velle. Qvid hîc ageret vir innocens? Academiarum censuras haud

f) Vide Posidon. c. 17. de vitâ Augustini.

haud obſcurè providebat, neqve non tamen ſentiebat, ſi cauſæ cognitionem omninò detrectaret, qvanta ſibi apud vulgus immineret obtrectatio. Conſenſit igitur in Pariſienſem & Erfurtanam, ſervato ſibi tamen jure provocandi ad liberum & commune Concilium. His ita compoſitis cùm nihil reſtaret amplius, niſi ut collatis cominùs ſignis adverſæ acies concurrerent, ad deſcriptum diem in Auditorio Majoris Collegii conventum eſt, ubi à JCtorum Præſide Simone Piſtorio verbis Academiæ honorificè ſalutati & comiter excepti fuerunt Doctores. Inde ad templum Thomanum deflexum, ſacrisqve precibus peractis, in ipſam palæſtram diſputatoriam, qvam Illuſtriſſimus Princeps in arce eſſe voluerat, collocatisqve pulpitis & ſubſelliis diſpoſitis, aulæis item expanſis magnificè adornari juſſerat, deventum eſt. Hîc Petrus Moſellanus, (qvem haud præter meritum erecta publicè tabula ornamentum hujus Univerſitatis incomparabile nominat,) luculentâ oratione diſputaturos hortatur, ut absqve pervicaci rixandi ſtudio modeſtè & placidè inter ſe collatis argumentis hunc unum ſibi ſcopum utrinqve præfigant, ne ſagittas citrà veritatem jaculentur, peculiari mandato à Duce Georgio in id inductus. Finitâ oratione, qvando jam tempus prandendi inſtabat, diſceſſum eſt. A meridie factum initium diſputandi ab Eccio & Caroloſtadio, cùm priùs Spiritum Sanctum carmine

advocâssent Symphoniaci. Materia istius concertationis fuit Liberum Arbitrium, cui in rebus divinis plus æqvo arrogabat Eccius. De qvâ ulterius qvicqvam commemorare nec ratio instituti nostri, nec angustia spaciorum, qvibus includimur, patiuntur. Qvare rectâ ad Lutheri cum Eccio dimicationem progredior. Erat in Eccio præter exercitatam dicendi (prout tunc recepta in Scholis ferebat consvetudo) facultatem memoria incredibilis adeò, ut cùm aliqvando Bononiæ ex composito id operam daret Opponens, ut felicem ejus memoriam argumentorum copiâ obrueret, nihil profecerit tamen. Qvâ fretus ipse etiam cum Witebergensibus absqve libris in palæstram disputandi descenderat, obtinueratqve, ut itidem domi relictis libris argumentarentur adversarii. In qvo non ipsis tantùm, qvos natura non æqvè tenaci memoriâ instruxerat, iniqvam dimicandi conditionem, sed & investigandi veri rationem impeditiorem reliqvit, cùm Sanctorum Patrum sententias, qvas ille plenâ manu ferebat, absqve præsenti codicum inspectione ab ejus depravationibus liberare difficilimum esset. Qvamvis autem variis ingenii dotibus excelleret, eas tamen extantioribus vitiis fœdabat. Neqve enim veritatis studio ducebatur, ut Pontificem tantoperè defenderet, cùm tot indicia bonitatem causæ suæ suspectam habentis dederit: sed præmiorum ostensione allectus

in

in hoc prælium deſcenderat, æqvè aliàs pro Luthero militaturus, ſi ſpes nummi affulſiſſet. Hinc illud conſeqvebatur, ut ſæpiſſimè, cùm alia elabendi rima non pateret, procul à propoſito abſtractum adverſarium ſpinoſis argutationibus involveret, omnia miſcens, omnia perturbans, omnia obſcurans, in ſepiæ morem, qvò ſecuriùs lateret, aut apertè convictus ſuam potiùs ſententiam contorqveret, qvàm victam ſe fateretur. Nihil enim ferebat ægriùs, qvàm vinci argumentando, adeoqve jam ſibi de proſtrato Luthero epinicium cecinerat, triumphumqve Miſnicum cæteris ſuis Pannonicis, Longobardicis, Bajoaricis, animi præceptione ſcilicet, annumeraverat. Invidiæ verò adverſario faciendæ mirus artifex. Hinc initiò ſtatim Lutherum etiam reluctantem in odioſam, tùm maximè qvæſtionem de poteſtate Pontificis abripuit, qvæ tamen vix poſtremis utriusqve theſibus adhæſerat: metuens videlicet, ne ſi locus ei diſcutiendæ extremus relinqveretur, præcedentibus controverſiis immoranti eriperetur occaſio tàm egregia inducendi in odium Lutheri. Contendebat Eccius, Pontifici ſupremam autoritatem in omnes, eamqve jure divino competere. Jam Eccii fuerat, inprimis Sacræ Scripturæ effatis aſſertionem ſuam confirmare, cùm neſcio ad qvas ratiunculas ille divertebat. Cauſabatur, Eccleſiam ſine capite eſſe non poſſe. Qvid tùm poſteà? Nec Luthe-

rus hoc inficiabatur; ostendebat autem claris divini verbi testimoniis, caput hoc aliud præter Christum esse non posse. Eccius igitur ad locos aliqvot Hieronymi, Cypriani, Bernhardi malitiosè depravatos confugit: qvos cùm post tædiosas inculcationes tueri ad extremum non valeret, vix tandem adduci potuit, ut pro stabiliendâ Papæ autoritate aliqvid è sacris literis allegaret. Cœpit igitur in eo verbo præsidium qværere cadaverosæ sententiæ, qvo Christus Apostolum est affatus g): *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Verùm Lutherus qvidvis potius vocabulo *petræ* ibi intelligendum esse regerebat, qvàm Petrum: miserum enim Ecclesiæ fundamentum esse, qvod ad levem mulierculæ vocem fluctuasset. Alterum caput disputationis de Purgatorio fuit, qvod Lutherus è scripturis probari posse diffitebatur. Cùm Eccius è libro Maccabæorum testimonium allegaret, elevabat meritò autoritatem istius libri noster, eò qvòd non esset Canonicus. Excipienti verò illi, librum istum à Romanâ Ecclesiâ dudum esse in Canonem relatum, responsi hoc datum est, Ecclesiam libro nulli autoritatis tribuere plus posse, qvàm per se ipse obtineat. Inde disserere cœperunt de Indulgentiis, sed minore cum contentione, qvòd fraudes & doli Qvæstorum manifestiores essent, qvàm ut possent honesto schemate fucari ab Eccio: qvi ipse tandem in jocum & ludum hanc

g) Matth. 16. v. 18.

hanc rem convertebat. Ultimò de pœnitentiâ actum fuit, pronunciante Eccio, posse Pontificem indulgentiis datis remittere pœnas, qvas alioqvi Deo pro singulis peccatis daturus erat pœnitens; Luthero contrà urgente, non debere æqviparari pontificiam potestatem Divinæ. Disputatum inter hos duos est per dies undecim. Reliqvi duo dies rursum dati sunt Carolostadio. Atqve altero qvidem de obice, ut vocant, gratiæ actum est, altero disqvisitum, an in qvolibet bono opere peccemus? Finito demùm cursu disputationis oratio habita est à Johanne Langio, Lembergio, qvâ utrosqve commendans conservandæ pacis gratiâ victoriam reliqvit in ambiguo. Posteà Musico concentu toti huic fabulæ finis impositus, & spectatores dimissi sunt. Interfuit autem huic disputationi (ne hoc planè silentio involvam) ipse Georgius Dux Saxoniæ: qvem tamen postremò qvidam malè instituti homines ab Auditorio averterunt, metuentes, ne Principis animus veritatis amantissimus aliqvid de fraudibus pontificiis odoraretur. Porrò assiduum disputationis hujus auditorem se præbuit Georgius Princeps Anhaldinus, qvi iis temporibus literarum amore hîc degebat. Adfuisse & Barnimum Pomeraniæ Ducem suprà jam memoravi. Ex Abbatibus autem præsentes fuére Portensis, Pegaviensis ac Posenaniensis; præterea Erfurtanæ ac nostratis Academiæ Proceres, nec non gravissi-

mus hujus urbis Senatus; Studiosorum deniqve concio admodùm freqvens. Tametsi verò malitiâ adversarii, semper huc illuc fluctuantis, factum est, ut definiri certi ab assidentibus velut Judicibus nihil potuerit: dubium tamen non est, qvin & ipsi Luthero multum profuerit hæc exercitatio ad perspicienda ingenia Pontificiorum, & Auditorum non pauci ad sanam mentem revocati fuerint, id qvod res ipsa posteà comprobavit. Præterqvam enim qvòd Johannes Poliander, qvo Eccius pro scribâ usus fuerat, deposito errore animum ad Lutheri doctrinam applicuit, complusculi etiam studiosorum juvenum paulò pòst Witebergam concesserunt, disciplinam Lutheri pleniùs imbibituri. Perstitit tamen ipsa urbs nostra qvoad maximam civium partem in religione inveteratâ, usqve dum demortuo Georgio ad fratrem ipsius Heinricum, Serenissimi Electoris ac Principis nostri Clementissimi Johannis Georgii Proavum beatæ memoriæ, imperium traduceretur. Hic cùm magno sinceræ doctrinæ amplificandæ zelo arderet, sub auspicium imperii sui nihil prius habuit, qvàm ut repurgata Evangelii vox nostris templis inveheretur. Qvod etiam adspirante Divinâ gratiâ præstitit felicissimè Anno post Christum natum 1539. Atqve ex eo tempore in præsentem usqve horam Lipsia nostra incorruptam religionem custodiit: qvam ut ipsi Deus perpetuam esse velit, superest ut conjunctis suspiriis precemur. Tibi

Tibi ergò, Deus clementissime, gratias agimus immortales, qvod civitatem nostram, tenebris regni Pontificii diu involutam, tandem tamen his eripere volueris, neqve eripere modò, verùm etiam, licet nihil non tentantibus Evangelii tui hostibus, ut in pristinos errores iterum immergeremur, ab his periculosis machinationibus conservare. Conserva porrò, qværsumus, Civitati nostræ atqve Academiæ doctrinam cœlestem, qvam postremæ ætatis Elias, servus Tuus Lutherus mirabili animositate contrà seculi sui potentiam asseruit, inqve mortem usqve constantissimè professus est; nobisqve omnibus gratiam Tuam largire, ut simili pietate verbum tuum amplectamur, simili fortitudine eidem innitamur, simili constantiâ eidem immoriamur!

ORATIO III.

De Potentiâ Angelorum.

Habita in Templo Academico, A. 1646. d. 17. Sept.

RECTOR MAGNIFICE, &c.

GRatiano Imperatore è vivis sublato amplissimi tùm Imperii Romani moles in superstites ejus Collegas duos tota resedit, Valentinianum II. & Theodosium I. cui splendor virtutis Magni cognomen peperit. Hic dum pa-

catâ Italiâ in Orientem reversus pro Christianâ religione multa salubriter jubet, Valentinianus intereà fraudibus Eugenii scribæ & Arbogasti Gothi circumventus in Galliæ opido Viennâ nefariè opprimitur. Qvod scelus Theodosio & ulciscendæ cædis & asserendæ iterum Reip. & Religionis conservandæ simul necessitatem objecit. Nam non tantùm collecto ingenti exercitu alteram Imperii caput Italia petebatur à parricidis, sed & Hercules passim in vexillis ostentabatur, veluti supremam post duodecim labores victoriam, à Christo scilicet, cujus nomen signis suis illeverat pius Imperator, relaturus. Relictâ igitur Thraciâ Theodosius per Italiam in proditores proficiscitur, qvantum imparatior à copiis, tantum ab auxilio divino instructior, qvod ipsi & causæ bonitas, & preces, in qvibus assiduus erat, conciliabant. Qvo minùs in angustis Alpium faucibus, difficilimo loco, potentiores hostes adoriri dubitavit, consilio qvidem nec ipsis Ducibus satis probato, cæterùm eventu longè prosperrimo. Rem eloqvar non minùs fortasse auditu nunc miram, qvàm gestu olim fuerit. Jam inclinaverat acies Theodosiana, cùm ipse inter præliandum ad precationem denuò conversus auxiliares ventos à Deo impetravit, qvi incredibili impetu consurgentes victoriam perfidæ parti è manibus extorsére, cùm & suis ipsi, & adversi exercitûs telis, utrinqve vehementi flatuum raptu

invo-

involutis, certatim configerentur. Eo prælio captus Eugenius inter deprecationes neqvicqvam profuturas à milite capite truncatus est. Socius conspirationis Arbogastus maluit ab se mortem petere, qvàm ab alio expectare. Victor Theodosius Jovis simulacra, qvæ adversus ipsum fuerant, nescio qvibus ritibus consecrata, & in Alpibus constituta, deposuit *a*). Hic fuit exitus seditionis *b*), qvam jure dubites motáne periculosius fuerit, an celeriùs repressa. Cur hæc orationis initiô à me commemorentur, si qvis forsan è Vobis miretur, A. H. is rogo caussam accipiat. Primùm hoc ipso die 17. Septembris, sub Consulatu Arcadii tertio, & Honorii secundo partam hanc esse tàm illustrem & toto orbe mirabilem victoriam Socrates prodidit, Ecclesiasticæ Historiæ scriptor: ex qvo tempore, si calculum rectè subduxi *c*), anni effluxerunt 1249. Pulchrum autem est memoriâ ferri in notitiam præteritorum temporum, casúsve diei cujusvis memorandos animo repetere: & habemus hâc de re Philippi Melanchthonis *d*), communis olim Germaniæ Præceptoris, consilium, jubentis qvotidiè fastos inspici, ut de a-

a) Augustin. lib. V. de Civ. Dei c. 26. *b*) De hâc re vide plura in Histor. Eccles. f. m. 585. Philippi Melancht. Chron. p. 341. Dresser. II. Isagog. p. 340. Pezel. Mellific. Part. II. p. 451. *c*) Seqvor hîc Calendarium Eberi, qvi p. 304. annum historiæ huic adscribit 397. pro qvo aliàs in Bucholceri Indice Chronol. reperies 394. *d*) Part. I. Postill. p. 686.

liqvâ parte historiæ Ecclesiasticæ commonefiamus. Deinde sentio, me his principiis manu qvasi duci ad id, qvod hoc anni tempore ex hôc suggesto verba facientibus pia consvetudo solenne fecit, ut scilicet sumtâ hinc occasione de Angelis sermociner. Horum enim subsidio qvis dubitet superiorem, fuisse Theodosium, qvi cæteris prope omnibus, qvæ spectari in bello solent, inferior, parvâ manu, fatigato milite, loco admodùm periculoso in certamen descenderit? Non dicam, præmonstratam videri hanc fortunam ab Angelis pientissimo Principi, cùm in expeditione, molestiis itinerum & precum contentione fesso, per qvietem species oblata est juvenum duorum, candido vestitu, niveis eqvis, injectâ spe indubiâ sui auxilii, ad pugnam hortantium *e)*. Ipsis ventis, qvi in agmina hostilia tanto furore debacchati sunt, sese angelos immiscuisse, & utriusqve exercitûs sagittis in rebelles præliatos fuisse, nemo non facilè assenserit Sozomeno *f)*. Similis sanè mihi videtur hic conflictus illi, qvo longè anteà ab exiguis cohortibus Israelitarum formidabiles Cananæorum legiones, qvæ Duce Siserâ se effuderant fractæ sunt & prostratæ Divini jussu Numinis. Nam qvemadmodùm adversus Siseram cœlum dimicâsse, stellasqve in ordine suo depugnâsse Debora & Baracus prædicant *g)*, qvas

e) Mich. Sachs. Keyser. Chron. sub Theodos. I. *f)* Sozom. lib. VII. c. 23. cit. Wilk. Part. I. ἱερβχ. p. 394. *g)* Jud. c. 5. v. 20.

qvas Angelos haud præter rationem haberi video *h)*, qvi nempe insolitâ grandinum, imbrium, ventorum tempestate ita implicuerint Cananæos, ut & arcuum & fundibulorum, & gladiorum usum amiserint, qvod testatur in suis commentariis Josephus *i)*: ita probabile est admodùm, densissimis turbinibus qvasi indutos Angelos periclitanti Theodosio tulisse suppetias, & hostium tela in autores defixisse. Nam, ut Regius Psaltes ait *k)*, *DEUS Angelos suos facit spiritûs, & ministros suos flammam ignis.* Libet exclamare, pulcherrimo Claudiani *l)* epinicio parumper immutato:

O nimium dilecte Deo, cui mittit ab astris
Ipsemet armatas acies, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti!

Atqve hoc singulare præsidii angelici exemplum intuenti, cùm intelligerem, in præsentem concionem esse mihi de Angelis aliqvid afferendum, placuit potissimùm de illorum potentiâ disserere, ut qvi roboris sui in delendis improborum hominum agminibus egregium utiqve specimen isto, qvo recensui, modo ediderint. A Vobis, Auditores Optatissimi, enixè contendo, ut qvam initiò statim mihi adspirastis in audiendo benevolentiam, eam pari tenore ad exitum usqve orationis mihi conservetis, inqve

h) Vallef. Phil. sac. c. 31. p. 391. *i)* Joseph. V. Antiq. 9. *k)* Psalm. 104. v. 4. *l)* Claudian. de III. consul. Honorii v. 96. 97. 98.

inqve hoc negotio non eloqventiam à dicente reqviratis, qvæ nulla eſt, ſed argumenti ſubtilitatem, qvam perſentiſcitis haud exiguam esſe, cogitetis.

Miniſtri Darii Perſarum Regis, qvod in Apocryphis legitur *m*), contenderunt aliqvando ſententiis inter ſe, qvam rem penes ſummam eſſet fortitudinis? pugnante primo, forte eſſe vinum; ſecundo, fortiorem eſſe Regem; tertio, etiamnum fortiorem eſſe mulierem, fortisſimam autem omnium veritatem: cumque ſinguli ſuam ſententiam dicendo confirmaſſent, perviciſſe is judicatus eſt, qvi veritatem prætulerat. Eqvidem non adeò ſum infenſus veritati, ut hoc præjudicio adjutæ laudem adimam ſummæ fortitudinis: neqve enim ignoro, qvantumvis ea mendaciis oppugnetur, oblinatur fucis, carceribus compeſcatur, eqvuleis excrucietur, eluctari tamen ſolere, & inimicis evadere ſuperiorem. Veruntamen ſi de ſummâ fortitudine oriatur concertatio, qvam accuratè exhibere de ſe quis poſſit, neminem confido ita fore ab omni ſenſu derelictum, qvin intelligat ſtatim, primam gloriam fortitudinis deberi Deo Zebaoth, Domino Exercituum, forti, omnipotenti, qvi mirabilia facit ſolus. A qvo ſi diſceſſerimus, proximum, immenſo qvidem intervallo, ſed proximum tamen beatis Spiritibus tribuam, qvi ſunt Supremi illius Imperatoris

m) III. Esdr. 3. & 4.

ris qvidam qvasi Prætoriani milites: nam hujusmodi titulis passim in sacrâ scripturâ insigniuntur. Vocantur qvippe multitudo cœlestis militiæ *n*); vocantur fortes robore, exercitûs Dei & ministri, facientes voluntatem ejus *o*); vocantur castra Dei *p*); vocantur throni, dominationes, potestates, virtutes, principatûs *q*). Qvin & augustissimo Deorum nomine alicubi *r*) indigitantur. Ac nescio sanè, an non appellationes plerasqve omnes, qvibus Sancti Angeli in divinis libris honestantur, potentiam ipsorum potiùs, qvàm alias virtutes demonstrent. Nam qvòd Seraphim prætereà & Cherubim dictos legimus, in altero Ignis significatio latet, elementorum, qvod Physici docent, efficacissimi; in altero floridæ juventutis, qvâ ætate maximè viribus pollemus, sumusqve ad rem gerendam expeditissimi, juxtà veterem Græcorum versum *s*), qvo Senum esse statuitur, faustis apprecationibus successum rerum gerendarum Deo commendare, statæ ætatis virorum prudenti consilio modum actionibus præscribere, juvenum verò strenuè negotium exeqvi. Qvo factum videtur, ut si cui visibilem sui imaginem ostendere placuerit Angelis, aut

n) Luc. 2. v. 13. *o*) Psalm. 103. v. 20. 21. *p*) Gen. 32. v. 2. *q*) Coloss. 1. v. 16. Ephes. 1. v. 21. *r*) Ps. 8. v. 6. *s*) Ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων. Qvem versum tamen aliter explicat Henr. Stephanus IV. Schediasm. 17. seqq.

aut igneum corpus induerint, aut robusti adolescentis faciem sumserint, aut certè aliud qvodpiam sensibus objecerint potentiæ documentum, veluti currurum & eqvorum speciem. Qvemadmodùm enim miles in aciem progressurus non sericis se pannis involvit, non gossipino fluctuat amictu, non odores delicatulos spirat, sed ferreo thorace gravis totus armis perstrepit: sic potentissimi illi Genii, qvoties in conspectum hominis prodire libuit, dignum semper fortitudine suâ habitum repererunt, qvo non ignavæ operæ, sed nata bellis agmina esse noscerentur. Atqve ut tales essent, Dei omninò Majestas exposcere videbatur. Qvis enim credat, Principem de satellitio laborare, ut qvibus corporis sui custodiam committat, selectissimi sint, & exploratæ virtutis: Deum, qvos habeat stipatores, non curasse? Nam tametsi alienis ille excubiis pro suâ salute adeò non indiget, ut ipse potiùs Angelos, & qvicqvid à se conditum est, tueatur: uti tamen voluit, (qvæ ejus est inæstimabilis benignitas,) Angelorum ministerio, qvos ut muneri suo pares essent, mirandis facultatibus ornavit. Neqve enim ipsi suârum virium fabri extiterunt, verùm qvicqvid possident, Creatori tribuunt acceptum, à qvo ipsi, cùm non essent, esse jussi sunt. Valeat itaqve Pontificiorum doctrina de Angelis religiosè invocandis. Etenim hic cultus illi soli servandus est integer, qvi suam à se habet potenti-

tentiam, non aliunde mutuatam: nihil hinc Angelus, nihil ulla creaturarum delibet, si solam Christi humanam carnem, ob consortium Divinitatis, exceperimus. Eqvidem cùm in Angelis splendor qvidam Divinæ majestatis refulgeat, nihil est magis proclive, qvàm in eorum adorationem stupore qvodam nos prosterni, & omnia deinde illis tribuere, qvæ non nisi Deo debentur. Qvod etiam Johannes in Apocalypsi *t)* fatetur, sibi accidisse, sed simul addit, fuisse sibi responsum: *Vide, ne feceris, conservus tuus sum, Deum adora.* Videtur autem & ista superstitio è Gentilium qvorundam philosophiâ profluxisse de qværendo per Angelos, qvos Dæmones salutigerulos & præstites vocarunt *u*), ad Deum aditu. Cùm enim indignum arbitrarentur, (verba ferè Augustini *w)* usurpabo,) misceri Deos hominibus, dignum autem, misceri dæmones & diis & hominibus: sic eos in aere medios inter æthereum cœlum terramqve constituerunt, ut hinc hominum ad Deos preces afferrent, inde ad homines beneficia Deorum. At enimverò, qvemadmodùm non ideò potentiæ bonitatisqve suæ dispensatores Deus angelos facit, ut suam cum illis gloriam partiatur: ita nec nos decet nostram inter ipsos & eum fiduciam dividere. Non enim facit hoc certè necessitate inductus, qvasi carere illis neqveat,

t) Apoc. 22. v. 8. 9. *u*) Scip. Gentilis n. 560. ad Apuleji apolog. *w*) Lib. VIII, de Civ. Dei c. 18.

qveat, (nam qvoties libet, ipsis præteritis opus suum vel solo nutu peragit, tantum abest, ut ad levandam difficultatem sint illi subsidio,) sed ad solatium nostræ imbecillitatis, ne qvid omninò, qvod animis nostris vel in bonam spem erigendis, vel in fiduciâ confirmandis valeat, desideremus. Dum enim tot periculis, tot noxis, tot hostium generibus nos videmus circumsideri, facilè evenit, qvæ nostra est mollities ac fragilitas, ut trepidatione impleamur, vel desperatione concidamus. Hâc ratione non modò sibi nos curæ fore promittit, sed ostendit qvoqve, se innumeros habere satellites, qvibus procurandam salutem nostram mandaverit; horum tutelâ qvamdiu septi sumus, qvicqvid periculi immineat, nos extra omnem mali aleam esse positos. Qvàm igitur præposterum est, cogitatione angelicæ potentiæ averti à Deo, qvâ duci potiùs ad prædicationem & invocationem Divinæ conveniebat! Qvid enim Deus non possit, Conditor & Dominus Angelorum, cum cujus potentiâ qvicqvid extranei roboris comparaveris, infirmitas est, si tanta potest Angelus? Magna profectò Angelorum est potestas. Unum Angelum centum octoginta qvinqve millia Assyriorum eâdem nocte trucidâsse Historia sacra refert. Unde non immeritò Basilius *x)* unius Angeli robur universo exercitui æqviparat, B. autem Lutherus *y)* omnibus etiam

x) in Ps. 33. *y*) Tom. VI. f. 508. cit. Wilk. p. 35. Eorζλογ.

iam totius mundi viribus longe præfert. Prodigiis penè paria sunt, qvæ Archimedes olim aut tentavit, aut perfecit *z)*. Qvis non miretur, onerariam navim, multorum labore in mare deductam, impositis multis hominibus solitoqve onere, ab ipso seorsim sedente, unâqve manu non contentè sed leviter agitante ansam machinæ à se fabrefactæ, absqve offensione tanqvam per mare currentem attractam fuisse? Qvis non stupescat Syracusas, à Marcello terrâ mariqve graviter oppugnatas, unius Archimedis machinationibus multum ac diu defensas ita, ut terrâ oppugnantes varii generis jaculis, arduiqve ponderis saxis, cum stridore & celeritate incredibili delatis opprimerentur, naves subitò aut de muris demissâ trabe perculsæ submergerentur, aut raptæ in sublime, excusso præsidio, muris illiderentur? Illud autem non potentiæ dicam, sed audaciæ humanæ modum omninò superat, qvòd pollicitus est, terrarum hunc orbem se commoturum, si in alio daretur consistendi spacium. Sed qvicqvid potuit Archimedes, longè infrà est Angeli potentiam. Navim ille attraxerit; libera fuit, nec ullis trabibus terræ impacta. At Angelos credimus cum Radulfo Ardente *a)* montes avellere posse solidissimis radicibus terræ infixos. Ille saxis obruerit hostes: operosas fabricas adhibuit, an-

D teà

z) Vide Plutarch. in Marcello. *a)* Homil. Part. I. p. 387.

teà præparatas; tùm ſtetit ſecurus poſt principia, iisdem alioqvi procellis involvendus. At idem præſtabit Angelus, etiamſi nullius teli ſit copia; qvòd ſi hoc momento Dei mandatum audiat, etiam cladi ſe immiſcebit, & extrà cladem erit. Ille terram evertere voluerit: non potuit. Inſtrumenta habuerit: caruit officinâ, è qvâ exerceret. At Angelus Univerſum hoc movere poteſt, (qvod magni nominis per hoc ævum Theologo *b)* affirmanti non repugnamus) non movet, qvia non jubetur; ſi juberetur, non trochleas diſponeret, non veſtes admoveret, non funes accommodaret, ſed impetu ſpiritûs ſui hoc ageret, qvod non potuit Archimedes: qvia nullo medio inſtrumento eget ad functiones ſuas perficiendas *c)*. Neqve tamen infinitam Angelis tribuemus operandi virtutem, cùm certis eam limitibus Sapientiſſimus Deus definiverit. Potentes ſunt, omnipotentes non ſunt. Non tantùm ita moderatur eorum potentiam Deus, ut non agant omnia, qvæ poſſunt, ſed & ne poſſunt omnia. Meminerimus enim, eſſe qvædam opera, qvorum abſolutionem ſibi ſoli Deus propriam eſſe voluerit, non cum aliis communem. Ipſe eſt, qvi Verbi omnipotentis nutu pulcherrimam hujus Univerſi compagem excitavit, ſuisqve ordinibus diſtinxit, non uſus in hanc rem miniſteriis

b) Jac. Martin. Exerc. Metaph. pag. 620. *c)* Scalig. Exerc. 359. ſect. 2.

ſteriis Angelorum. Ipſe ſpecies rerum mutare valet. Ipſe miracula patrat, naturæ etiam ingenio reluctantia. Sublimiora hæc ſunt, qvàm ut naturales Angelorum facultates eò pertingant. At inſvetos rerum effectûs, qvi nobis mirandi qvidem videantur, reverâ autem peragantur accerſitis & aptatis naturæ mediis, moliri poſſe bonos Angelos, qvis dubitet, ſi dæmonum malorum ope magi portentoſa ſæpe opera edunt? Et eſt tamen in ipſos malos genios bonis imperium & poteſtas, cùm illi ab his longè relinqvantur agendi facultate. Nec enim eſt dubium, qvin voluntariâ defectione à Deo deſciſcentes angeli virium ſuarum imminutione ſint mulctati. Certè, qvicqvid humano generi noxæ inferre cupiunt, id niſi Deus ipſis permittat, nunqvam dabunt effectui. Legimus in hiſtoriâ Jobi, Satanam ſe ſiſtere coram Deo ad excipienda mandata, nec pergere audere ad facinus aliqvod obeundum, niſi factâ ſibi poteſtate. Sic &, cùm decipiendus eſt Achab, recipit ſe fore ſpiritum mendacii in ore omnium Prophetarum, & à Domino demùm amandatus id præſtat. Ita cùm voluntate malefaciendi nunqvam deſtituatur, poteſtate ſæpiſſimè excluditur, Deo ipſi frenum injiciente, & Sanctos Angelos victores imponente. Senſit olim fatua Gentilitas, Genium à Genio timeri. Antonium Triumvirum Ægyptius ariolus, qvem ſecum aſſiduè habebat, admonuit, ab Auguſto ſe

longissimè subduceret, fortunam enim ejus, splendidissimam alioqvin & maximam, à Cæsaris fortunâ obscurari, qvòd ab Antonii genio ipsius genius timeretur, alacri seorsim atqve elato, demisso vicissim, cùm alter appropinqvaret; ejus rei signum esse, qvòd semper inferior abiret Antonius, qvoties vel forte, vel talis, aliqvâ de re decernerent, qvòd item, cùm gallos aut cornices pugnaces committerent, penes Cæsarianos esset victoria *d)*. Cujusmodi hoc sit, disceptandi in præsentiarum non est locus. Hoc nobis certissimum, uti malos genios bonis esse abominationi, ita vicissim hos illis formidini: sentiunt enim mali, infirmiores esse se, qvàm ut sustinere conflictum bonorum possint, nisi cùm hominis malitia deteriori se parti applicans sui potestatem concedit dæmoniis, qvi tùm scilicet fœditatem peccatricis animæ procul fugientibus Sanctis Angelis, tanqvam in circo suo ludos agunt. Nam alioqvi, cùm sæpiùs legantur congressi esse invicem, semper à Bonis victoria stetit. Raphael Asmodæum ligat *e)*. Draconem antiqvum profligat Michael *f)*: cujus auxilio Persicus etiam dæmon apud Danielem superatur *g)*. Itaqve si studiis pietatis custodiam sanctorum Angelorum nobis conciliemus, nihil est, cur principes tenebrarum expavescamus. Nam si finem spectemus angelicæ poten-

d) Plutarch. Parallel. sub Anton. f. 813. *e)* Tob. 8. v. 3. *f)* Apoc. 12. *g)* Dan. 10.

potentiæ, is eſt, ut homini qvibuscunqve tandem in malis ſubveniri poſſit. Eliæ cum inediâ confligtanti cibum apportat Angelus; ſitienti Iſmaeli fontem commonſtrat; periclitantem inter Leones Danielem tutum præſtat; ab Ananiâ, Aſariâ & Miſaele inter medios ignes incendium arcet. Neqve hujusmodi officia neceſſe eſt ut præſtet ſemper viſibili ſpecie. Nam in omni angulo Angelus nobis adſtat; qvem ſi cerneremus, reverentiâ utiqve coleremus, illoqve præſente facere erubeſceremus id, à qvo hominis conſpectum abeſſe optamus. O qvanta Dei eſt in hominem miſericordia! qvi Spiritûs ipſi tàm potentes, tàm nobiles, tàm ſanctos adjunxerit, vermi, pulveri, cœno. Perſarum Reges cohortem olim, ex flore Perſici eqvitatûs collectum habebant, qvos Immortales vocabant, eò qvòd numerum eorum nunqvam intermori paterentur, confeſtim in defunctorum locum novis ſuccenturiatis *b*). At illa Immortalium turma ô qvàm ſæpè mortalis fuit, vel cùm ab Alexandro multi illorum extingverentur, vel cùm à Romanis, Imperante Theodoſio II. à fronte & tergo circumcluſi neci darentur *i*). Certè jam deſierunt eſſe immortales. At noſtrum ſatellitium, qvod corporibus, qvod bonis, qvod facultatibus noſtris præſidio datum eſt à Rege Regum & Domino Dominantium,

b) Briſſon. lib. I. de regio Perſ. Princip. p. 127. *i*) Rader. cap. 12. Aulæ Sanctæ Theod. Junior.

um, verè immortale eſt. Etiam cùm mortalitatem nos exuemus, rationem habebit noſtri attenliſſimam, animasqve noſtras evehet in ſedes Beatorum. Agnoſcamus itaqve hoc tantum beneficium, DEOqve pro Angelorum excubiis, qvod reſtat, gratias agamus devotiſſimas.

Sanɑe Deus, Creator hominum & Angelorum, qvàm admirabile eſt nomen tuum in universâ terrâ! qvoniam elevata eſt magnitudo tua ſuper cœlos. Qvid eſt homo, qvod memor es ejus? aut filius hominis, qvoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulò minus ab Angelis, ſed gloriâ & honore coronaſti eum. Mandaſti Angelis tuis de eo, ut cuſtodiant ipſum in omnibus viis ejus. In manibus portabunt eum, ne forte offendat ad lapidem pedem ſuum. Caſtra metabitur Angelus Tuus in circuitu ejus, ut eripiat eum ab omnibus laqveis. Qvæſumus Te Domine, præcipe Angelo Tuo ſuper Electore noſtro, qvem unxiſti, & ſuper Sereniſſimâ Familiâ, qvam elegiſti, ut cuſtodiat eum in Senectute, defendat illam ab omni calamitate! Intende urbi noſtræ, qvi habitas in altiſſimis, & reſpicis omnia, qvæ in terris ſunt. Nam niſi Tu cuſtodieris civitatem, fruſtrà vigilat qvi cuſtodit eam. Deniqve & Academiæ noſtræ, Scholis & Templis, in qvibus eſt habitatio Tua, pacem largire, qvi es Deus Pacis, benedictus in ſecula ſeculorum!

ORA-

ORATIO IV.

De AUGUSTO, Electore Saxoniæ,

Habita in Templo Academico

A. 1651. d. 11. Februarii,

in anniversariâ ipsius memoriâ.

RECTOR MAGNIFICE, &c.

HAc ipsâ die, qvâ ereptum mortalitati, inqve sedes Beatorum ante hos qvinqve & sexaginta annos translatum recordamur memoriæ felicissimæ Principem AUGUSTUM, Saxoniæ Electorem, Pronepos ejus, ipsi cognominis, Dux item Saxoniæ, Archiepiscopatûs Magdeburgensis Administrator, totiusqve adeò Germaniæ Primas, Dominus noster Clementissimus, Filium recens natum eâ, qvæ Principem decet, solennium celebritate, sacrosancti baptismatis lavacro Halæ Saxonum initiari, qvod neminem qvidem nostrûm latere arbitror, curabit. Nostrum hîc erit, A. H, inprimis Supremi illius omnium Imperiorum Moderatoris agnoscere clementiam, qvi Illustrissimæ Domûs Saxonicæ stirpe Dresdensem, qvippe qvâ regionum harum nititur incolumitas, non penitus cum Augusto Electore intercidere, sed ex eo ipso tempore iis incrementis augeri voluerit, ut majoribus (fatendum enim in gloriam DEI, qvod res est) inde usqve ab Alberti Animosi ævo, qvi primus hujus lineæ autor extitit,

hoc est, à ducentis annis, nunqvam visa sit floruisse. Atqve hoc beneficium eò gratius nobis atqve pretiosius futurum est, si repetamus memoriâ, in qvàm exiguos terminos post mortem Augusti Celsissima hæc relapsa fuerit prosapia. De novem enim filiis, qvos præter fœminei sexûs prolem ex Annâ Conjuge, Regis Daniæ filiâ susceperat Serenissimus hic Elector, unicus ipsi superstes fuit Christianus, ejus nominis primus, reliqvis omnibus in infantiâ extinctis, Alexandrum excipio, qvem Pater annos natum undecim extulit. Porrò Christianum qvoqve cùm in virilis ætatis robore mors intempestiva abstulisset, omne propagandi generis momentum in tres hujus tùm adhuc impuberes filios inclinavit, Christianum secundùm, Johannem Georgium, & Augustum. Verùm insecutis temporibus Christianus etiam & Augustus improles decesserunt, unusqve superfuit Johannes Georgius, qvi stirpem hanc propemodùm intermortuam vindicaret ab interitu. Et vindicavit omninò, atqve Dei beneficio ita vindicavit Serenissimus jam Elector atqve Dominus noster gratiosissimus, verusqve Patriæ Pater, ut numerosæ utriusqve sexûs ex se natæ non jam soboli, sed posteritati, ipse vivus adhuc, inqve grandævâ ætate viridis intersit: ut haud vanam nobis jam concipere spem possimus duraturæ in longam annorum seriem ex hâc inclytâ domo successionis. Hoc singu-

ſiugulare Dei munus gratis pectoribus prædicamus, hoc maximè tempore, qvo memoriam defuncti Augusti cum gratulatione de novâ prole alterius Augusti insitatâ nobis felicitate conjungere possumus. Gratulandum enim est, Auditores, gratulandum non Serenissimo tantùm atqve Potentissimo Septemviro, qvi gaudium inventarum junioribus filiis conjugum cum lætissimo nuncio novi ex Augusto filio nepotis continuavit; non Illustrissimo tantùm ac Reverendissimo Principi Augusto, qvi filium paternæ imaginis æmulum exosculatur; non universæ modò Saxonicæ familiæ, qvæ in hoc novo incremento exultat: sed nobis ipsis etiam, atqve his ditionibus, qvibus Princeps natus est, Patre, Avo, Majoribusqve ejusmodi, ut non nisi optimum habituros nos esse polliceri qveamus, in qvo videlicet Patris Augusti pietas, Avi Johannis Georgii invicta animi magnitudo, Proavi Christiani mansvetudo atqve lenitas, Abavi Augusti studium pacis, reliqvorumqve Majorum congregatæ virtutes, veluti collecti in speculum multiplices radii, emicaturæ sint. DEUM rogamus, ut hunc florem ad maturitatem perducat, atqve augustissimæ canitiei senem, Patriæ Parentem, unà cum filiis filiabusqve Illustrissimis atqve universâ domo Saxonicâ, conservet qvàm diutissimè, qvò messem harum virtutum, qvarum in recens natum Principem conjecta sunt semina,

colligere aliqvando possint uberrimam! Hoc voto certè lustralibus illis sacris, qvæ hodiè peragentur, interfuturi sumus, qvi corporibus interesse non possumus. Ac cætera qvidem, qvæ illuc pertinent, minutatim curabuntur ab iis, qvorum hoc erit officium: Nos verò interim memoriam Augusti Electoris, cui hanc diem sanctam esse jussit in benè meritissimum Principem gratitudo, qvantum in nobis erit, pro more veteri celebrabimus, ego qvidem clarè pronunciandis, Vos verò, Auditores omnium dignitatum spectatissimi, benevolè audiendis iis, qvæ de Principe, æternâ veneratione digno, cumqve omnium seculorum atqve gentium laudatissimis Principibus comparando, in chartas conjeci. Posteaqvam enim Magnifico Rectori placuit, me potissimùm deligere, qvi per hunc annum de qvatuor piè defunctis Electoribus ex hoc loco verba facerem: libens hanc provinciam suscepi, non qvòd oratione meâ tantorum Principum laudes exæqvari posse considerem, sed ut specimen ederem in beatissimos manes pietatis, qvâ ita me nolim à qvopiam superari, ut eloqventiæ gloriam facile relinqvo qvamplurimis. Qvoniam autem, poscente sic die obitûs, initium erat ab Augusto capiendum, cogitantem cum qvo potissimùm Heroe ex omni antiqvitate eum conтenderem, cùm profectò nulli verè principalium virtutum decore concedat, ipsa me nominis

nis ſimilitudo induxit, ut cum Auguſto Imperatore comparationem ejus brevi ſermone inſtituere decreverim. Qvod conſilium meum poſteà confirmatum eſt, cùm viderem multis graviſſimis viris, qvi mortuum pro concione laudaverunt, idem placuiſſe. Eqvidem non ignorabam ſæpe falli auguria nominum, qvod, ut innumera taceam exempla, vel Trojanus Paris abundè probaverit: qvi cùm Alexandri nomen cum magno illo Philippi Macedonis filio habuerit commune, ſi vitam atqve ſtudia utriusqve inſpiciamus, ſic ab eo diſcrepavit, ut alter vir, alter fœmina fuiſſe videatur. Omitto, qvod in ipſo Auguſti nomine obſervatum fuit à Politicis, Imperium urbis Romæ, qvod à Julio Cæſare apprehenſum primus ordinavit Octavius Auguſtus, ab ejusdem nominis Auguſtulo, cui illud extorſit Odoacer Herulus, deperditum fuiſſe; non ſecus, atqve multa alia regna vel conciderint prorſus, vel inſignem mutationem ſubierint ſub iis Principibus, qvi primos eorum autores habuerint cognomines. Sic Perſarum regnum ſub Dario & Cyro cœptum, altero Dario infeliciter pugnante collapſum eſſe; ſic Macedonici Regni potentiam, cujus prima fundamenta jecerit Philippus Amyntæ filius, corruiſſe cum Philippo Perſis patre; ſic Conſtantino ex familiâ Palæologorum regnante imperium Byzantinum everſum atqve ad Turcas translatum fuiſſe, qvod Conſtantinum

Ma-

Magnum agnoverit fundatorem, huicqve fato & illud acceſſiſſe, ut utriqve mater fuerit nomine Helena; ſic Heraclium Cæſarem de Coſroe Perſisqve ſanctam crucem recuperâſſe, eandem Heraclio Patriarchâ rurſus eſſe amiſſam. Qvæ omnia ſatis oſtendunt, non ſemper eâdem aut virtute pollere, aut uti fortunâ eos, qvi nominum inter ſe qvoddam habent conſortium. Ex adverſo neqve illud temerè aut ſine futuræ cujusdam inſignis excellentiæ præſagio contigiſſe videtur, ut Auguſto Electori hoc, qvod diximus, nomen impoſitum fuerit, qvod neqve in paternæ, neqve in maternæ originis autoribus appareret: qvaſi hæc ita moderante Divino Numine, ut Henricus Pater, Saxoniæ Dux huic filio ejus inderet nomen Viri, cujus per omne vitæ ſpacium expreſſam eſſet imaginem circumlaturus. Qvâ tamen in re illud inrereſt, qvòd Elector noſter ipſo ſtatim die luſtrico fuerit eo nomine inſignitus, Octavius verò Cæſar cognomen Auguſti, jam imperii particeps, aſſumſerit, Munatii Planci, ut memorat Svetonius *a*), ſententiâ. Verùm de nomine plura dicere ſuperſedeo. Qvòd ſi jam duûm Auguſtorum, Cæſaris inqvam, & Electoris, cùm vivendi tùm imperandi ſeriem atqve articulos invicem comparamus, non minorem ipſorum inter ſe, qvàm nominum ſimilitudinem deprehendere licet. Nam & ſtudia, & mores, & regnandi virtutes, &

a) c. 7. de Auguſto.

& administrati imperii felicitas, & placidus deniqve vitæ exitus par fuit in utroqve. Interim Electorem Imperator amplitudine provinciarum, qvæ ipsi parerent, vicissim Imperatorem Elector veræ religionis studio, ejusdemqve perqvam accuratâ conservatione superavit. Digna hæc sunt omninò, qvæ jam per partes expendantur studiosiùs. Atqve ut de studiis Augusti Imperatoris incipiamus, constat, eum eloqventiam artesqve liberales ab ætate primâ cupidè atqve laboriosissimè exercuisse, ne græcarum qvidem disciplinarum cultum ipsi defuisse. Etiam poematum non fuit imperitus. In evolvendis autem utriusqve lingvæ autoribus nihil æqvè sectatus est, qvàm præcepta & exempla publicè vel privatim salubria. Eruditionem autem ejus secutum illud est, ut viros literis probè tinctos atqve imbutos & in deliciis haberet, & præmiis ornaret luculentis, maximum inde eorum promeritus studium. E qvibus vel Horatium ac Virgilium commemorâsse sufficiat, summos non in poëticâ tantùm facultate, sed omni philosophiâ viros. Nam qvid de Ovidio dicam? qvi & singularem ejus benevolentiam, anteqvam nescio cujus culpæ reus in exilium mitteretur, est expertus, & in exilio ipso non desiit tamen magnis illum laudibus extollere, qvod epistolæ ejus, qvæ Tristium & de Ponto inscribuntur, excellenter produnt. Qvid qvòd ab Augusti nomine seculum

lum illud, in qvo Latinitas summam assecuta est perfectionem, Augusteum appellatur? ut intelligamus, qvasi ab ipsius Principis literatissimi genio hanc illis temporibus communicatam fuisse felicitatem. Jam Septemvirum nostrũ videamus. Is cùm summarum rerum capax nactus esset ingenium, adolescentiæ annos in literarum studiis contrivit, tantumqve est indefesso explorandi studio adeptus, ut artium & artificiorum penè omnium fundamenta atqve rationes miro acumine investigaverit. Qvin etiam chymiæ operam præclaram navavit, ut qvid veri falsivè inesset, haberet perspectum. Neqve enim facilè deludi se patiebatur à qvopiam, qvi artem aliqvam profiteretur, sed perqvirebat ipse cujusvis artis momenta, & veros qvidem solidosqve artifices amabat, afficiebatqve muneribus, in impostores verò severiter animadvertebat. Lingvæ porrò Latinæ, qvæ non magis vernacula nobis est, qvàm Romanis fuit græca, tantum in eo viguit studium, ut ne senem qvidem ejus puduerit tractandæ. Cæterùm hæc omnia eò referebat, cùm ut ad moderandas imperio ditiones animam afferret regnandi artibus instructam, neqve haberet necesse totum se aliorum ductibus permittere, flectendum qvocunqve illi vellent, qvemadmodùm simulacra qvædam lignea solent; tùm ut in religionis negotio, cujus procurandæ officium maximè ad Principes spectare intelligebat,

ipse

ipſe non abſurdum interponere poſſet judicium. Conjungebat enim cum ſcientiis humanis veræ qvoqve pietatis ardens ſtudium atqve amorem ſapientiæ divinæ: qvam aſſiduâ lectione atqve meditatione ſibi tantam comparavit, ut de articulis fidei diſputatorem agere, qvidqve verbo Dei conſentaneum eſſet, qvid ab eo recederet, pronunciare non difficulter potuerit. Facere non poſſum, A. O. qvin illud hîc recenſeam, qvod maximè arguit, qvantum in eo fuerit cœleſtis veritatis deſiderium. Cùm enim ſenectute homines ad omnem animi contentionem reddi ſoleant magis magisqve torpentes, in hoc pientiſſimo Duce auxit ſenectus cupiditatem ſacras literas evolvendi. Qvo factum eſt, ut paulò ante obitum integrum ſanctorum Bibliorum codicem unius menſis, triginta verò hebdomadarum ſpacio univerſa Lutheri ſcripta, qvæ in duodecim volumina tributa eſſe non ignoratis, percurrerit legendo. De Anagnoſtâ ejus qvid dicam, qvo uſus eſt in extremâ ætate? cum hoc enim qvaſi paciſcentis hæc aliqvando vox audita eſt: nimirum ex duobus unum fore, ut aut ipſum audientem, aut anagnoſtam legentem ex defatigatione legendi audiendive mors conſeqveretur. Qvid, non à Principe dicam, ſed ab homine Theologo expectari majus poterat? Jam habent in Augusto Germani noſtri, qvem gloriantibus de Alphonſo ſuo Aragonibus opponant, cujus in

libros

libros & disciplinas adeò tenerum affectum fuisse legimus, ut vel militibus suis, qvi libros repertos afferrent, magna munera donarit, ipse verò apertum librum pro insigni gestarit, hoc insuper de se affirmans, vetus & novum Testamentum, unà cum glossis qvas vocant, qvater decies ab se perlectum *b*). Augustus autem noster non ad calculos revocavit diligentiam suam, ut qvi indefessâ lectione id qværeret cumprimis, ut inveniret rationem expediendi se & regiones suas ex illis tricis, qvas repurgatæ religioni malè qvidam feriati homines nectebant: eos puto, qvi qvòd Calvinum sub pectore occultarent, cùm palàm inficiarentur, se ejus partibus favere, Cryptocalvinianorum nomine notati sunt. Igitur tùm maxime patuit Augusti in arcanis fidei perspicacitas, cùm horum præstigiatorum, qvi illis temporibus fraudulentiâ suâ fallebant etiam acutissimos, nefaria consilia dissipavit. Cæterùm eos, qvi cum literaturâ sive sacrâ sive profanâ candorem animi copularent, adeò dilexit, nihil ut habuerit antiqvius, qvàm ut Scholis atqve Academiis, unde videlicet tales prodirent, splendor aliqvis atqve dignitas subinde major conciliaretur. Itaqve non tantùm Lipsiensem nostram & Witebergensem Academiam haudqvaqvam pœnitendis accessionibus auxit, sed & constituit plures Scholas in variis locis suæ ditionis,

b) Timp. Spec. Magistr. p. 311.

tionis, in qvibus magnus numerus puerorum ac juvenum aleretur. Hoc certum eſt, paucos fuiſſe in ipſius regionibus doctos Theologos aut Profeſſores bonarum artium, qvi non eximiam ipſius ergà ſe liberalitatem prædicaverint. Ipſe adeò Caſpar Peucerus, qvem ſua culpa diuturnis carceribus (ut Ovidium qvondam exilio) damnaverat, & in cuſtodiâ & poſt liberationem ſuam, magnæ Auguſto in ſe munificentiæ teſtimonium, vir aliàs etiam planisſima negandi non indoctus, flagitante ſic conſcientiâ ſemper tribuit. Sed jam tempus eſt, ut & mores utriusqve Auguſti contemplemur. Præclara eſt Plutarchi ſententia, in vitâ Coriolani c) nullum eſſe majus donum dicentis, qvod acceptum bonitati Muſarum homines ferre debeant, qvàm qvòd doctrinâ emolliuntur & mitigantur ingenia, modumqve tenere, & nimia omnia vitare diſcunt. Hoc enim unum defuiſſe Marco qvem dixi, Coriolano videtur, cujus ad excelſiſſima qvæqve natum ingenium ſi liberalis inſtitutio ad patientiam injuriarum temperaſſet, flexiſſetqve perrumpendi audaciam ad æqvilibrium fortitudinis, nunqvam in eas anguſtias aut ſe aut patriam conjeciſſet. At Auguſtus Imperator, etſi initio imperii aſperrimis decretis, ut illius tempeſtatis ratio poſtulabat, ad vindicandam ſibi poteſtatem uſus erat, tamen poſteaqvàm inuſitato felicitatis ſuæ curſu

c) ab init. f. 195.

ſu ad culmen Reipublicæ evectus eſt, qvicqvid habuit tyrannicarum artium depoſuit *d)*, totumqve ſe amandis, tuendis, ornandis civibus non dicavit modò, ſed impendit, omniaqve in lætiorem & ſalubriorem ſtatum convertit, ut dubitari profectò non debeat, qvin ſit in cenſu habendus Principum optimorum. Qvanta ejus fuit in audiendâ promiſcuâ civium multitudine humilitas! qvanta comitas in appellando! in ſalutationibus admittendis facilitas! in excipiendis adeuntium deſideriis animi propenſio! ut joco etiam corripuerit qvendam, qvod ſic ſibi libellum porrigere dubitaret, qvaſi elephanto ſtipem *e)*: qvanta deniqve qvamqve inaudita in ignoſcendo lenitas! Vix ſine ſtupore legere apud Senecam *f)* poſſumus exemplum incomparabilis clementiæ, qvâ homo Chriſtianis ſacris non imbutus adverſùs perduellem uſus eſt. Cùm in Galliâ moraretur Auguſtus, delatum eſt ad eum indicium, L. Cinnam inſidias ei ſtruere. Dictum eſt & ubi, & qvando, & qvemadmodum aggredi vellet: unus ex conſciis detulerat. Deliberato qvid ageret, Cinnam demùm ad ſe accerſit, dimisſisqve omnibus è cubiculo, cùm alteram Cinnæ poni cathedram juſſiſſet: hoc, inqvit, primum à te peto, ne me loqventem interpelles. Ego te, Cinna, cùm in hoſtium caſtris invenisſem,

d) Bœcl. diſſer. de eo n. 7. 8. *e)* Sveton. in Aug. c. 53.
f) lib. 1. de Clem. c. 9.

ſem,non factum mihi inimicum, ſed natum,ſervavi, patrimonium tibi omne conceſſi; ſacerdotium tibi petenti, præteritis compluribus, qvorum parentes mecum militaverant, dedi. Cùm ſic de te meruerim, occidere me conſtituiſti. Cùm ad hanc vocem exclamaſſet, procul hanc ab ſe abeſſe dementiam: Non præſtas, inqvit, fidem Cinna: convenerat, ne interloqvereris. Occidere, inqvam, me paras. Adjecit locum, ſocios, diem, ordinem inſidiarum, cui commiſſum eſſet ferrum. Et cùm defixum videret, nec ex conventione jam, ſed ex conſcientiâ tacentem: Qvo, inqvit, hoc animo facis? Ut ipſe ſis princeps? Male mehercule cum Rep. agitur, ſi tibi ad imperadum nihil præter me obſtat. Cedò, ſi ſpes tuas ſolus impedio, Paulus ne te & Fabius Maximus, & Coſſi & Servilii ferrent, tantumqve agmen nobilium, non inania nomina præferentium, ſed eorum, qvi maginibus ſuis decori ſunt? Diutius qvàm duabus horis locutum eſſe conſtat, cùm hanc pœnam, qvâ ſolâ erat contentus futurus, extenderet: Vitam tibi, inqvit Cinna, iterum do, priùs hoſti, nunc inſidiatori ac parricidæ. Ex hodierno die amicitia inter nos incipiat. Contendamus. utrum ego meliori fide vitam tibi dederim, an tu debeas. Poſthæc detulit ultrò Conſulatum, qveſtus, qvòd non auderet petere: amiciſſimum fideliſſimumqve habuit, neqve ullis ampliùs inſidiis ab ul-

lo petitus eſt. Non reperio verba, Auditores, qvibus hanc inuſitatam animi manſvetudinem deprædicem. Neqve dubito tamen tantò majorem noſtro Auguſto Electori aſſerere, qvantò calidiores, imò cœleſtes maximè ſunt affectûs Chriſtianorum. Itaqve etiam hoc ipſo Octavii virtutes poſt ſe reliqvit Princeps noſter, qvòd perpetuo atqve nunqvam interrupto curſu manſvetudinis iter perſecutus eſt, neqve laudes ſuas ullâ civium proſcriptione ſangvinariâ, ut ille Triumvir, contaminavit; ſed cùm ipſa initia imperii ejus in atrociſſima bella, in qvibus & vitam profudit Mauritius frater atqve anteceſſor, inqve domeſticas inſuper cum aliis Saxoniæ Ducibus ſimultates incidiſſent, in progreſſionibus verò fœdæ & explicatu difficiles in religione diſſenſiones eſſent exortæ, ex utrisqve ita ſeſe & conceſſas ſibi divinitùs ditiones expedivit, ut ſangvinis qvàm minimùm, niſi qvod in perbrevi Gothano bello factum eſt, neqve fieri aliter ſine inſigni totius Romani Imperii convulſione potuit, ſit effuſum. Ac ne qvis hoc ideò in Principe noſtro contemnat, aut minùs miretur, qvòd, qvemadmodum dictum eſt à nobis, ipſa fides Chriſtiana ad hanc eum moderationem inflexerit: videamus ſaltem, qvàm cruenta remedia diſſidiis de religione ab aliis Principibus ſeculi ejusdem, qvi ſe non minùs Chriſtianos profitebantur, adhibita ſint. Luſtremus Gallias, videamus Angliam, con-

verta-

vertamur in provincias Belgii. Deum immortalem! qvæ hominum mactationes, qvæ strages, qvæ supplicia in illis regionibus visa sunt! Horret animus meminisse, qvantum humani sangvinis Maria Angla, qvæ eodem anno cum Augusto nostro ingressa est imperium, brevi illo qvinqve annorum (tot enim usqve ad mortem ejus numerantur) spacio effuderit, tantum scilicet, ut non plus ab Henrico patre, durissimo rege, triginta & octo annorum intervallo fuerit effusum. Ad Belgium qvod attinet, superiorum temporum historiæ testimonio esse possunt, vivente etiamnum Carolo Qvinto qvinqvaginta hominum millia ob unicum hæreseos ipsis imputatum crimen ad supplicia crudelissima in solo Belgio raptos. Ferdinandum Ducem Albanum paucis illis annis, qvibus Belgio obfuit, cùm præesse deberet, decies octies mille utriusqve sexûs homines, & clanculùm & palam furialibus carnificinis sustulisse constat. A mense autem Sextili Anno 1576 qvo intestini motûs in Belgio sunt renovati, ad Edicti anno subseqvente factam promulgationem, amplius triginta provincialium millia ab Hispanis cæsa fuisse perhibentur. In Galliis intrà duorum & viginti annorum spacium, initio scilicet ab anno sexagesimo qvarto superioris seculi ducto, centum & qvadraginta hominum millia variis pœnis, bellorumqve turbinibus absumpta esse, certa historiarum produnt monumen-

ta; cùm folæ Parifienfes nuptiæ, (qvarum fine fæculi pudore recordari ne illi qvidem poffunt, qvorum interfuit illas Thyeftæas epulas celebrari,) & infeqventes tumultûs paucorum fpacio dierum millia triginta nefandis cædibus fuftulerint. Atqve hæc omnia gefta funt iis temporibus, qvibus Saxonicas provincias Electoris titulo moderatus eft Auguftus, ut, fi & ipfe qvafi vertigine illius feculi abreptus paribus laniemis fuas terras commaculaffet, non ipfius hanc labem, fed temporum fuiffe caufari aliquis potuiffet. Quò majoribus encomiis digna eft ejus adminiftratio, quòd non cædibus atqve fuppliciis miferorum, fed exemplis clementiæ inclarefcere, & difcrepantes circà facrorum cultum animos intrà metas æqvitatis continere, errantes in viam reducere, morofis & refractariis non aliam nifi emigrationis pœnam ftatuere voluerit. Dicendum qvoqve jam effet de fingulari ejus in cognofcendis fubditorum atqve difceptandis controverfiis tùm humanitate, tùm diligentiâ: (veriffimè enim id eum affirmaffe conftat, nullam effe per omnes fuas ditiones caufam alicujus momenti, qvæ fe infcio dijudicaretur:) verùm fentio paulatim maximam partem deftinati mihi ad dicendum temporis effluxiffe. Qvare, ubi pauca adhuc de adminiftratione atqve felicitate imperii, exituq; vitæ Augufti contexuero, finem faciam loqvendi. Duo funt inprimis, qvæ Au-

Augufti noftri memoriam nunqvam intercidere patientur, procuratio religionis, & ftudium pacis: qvorum altero faluti animarum, altero corporum ac fortunarum incolumitati profpectum eft. Omninò autem deprehendimus hîc in Augufto exemplum divinæ Imperiorum moderationis. Cùm enim circumferimus cogitationes per hiftorias, plerorumqve Imperiorum autores primos variis bellorum flu&ibus agitatos effe; qvi iis proximè fucceflerunt, religionis exornatæ, & excultæ pacis gloriâ eminuiffe intelligimus. Imperio Davidis, qvod ipfe ab obitu Saulis per annos qvadraginta geftum ad tribum Juda tranftulit, nihil fuit turbulentius: mera in eo prælia, & modò ab hoftibus externis bella, modò ab ipfis domefticis feditiones motæ leguntur. Contrà Salomonis adminiftratione nihil pacatius: atqve hic nimirum templum domino ædificare debebat, qvod patri, licet hoc maximè optanti, permittere Deus ideò noluit, qvia manûs haberet fangvine inqvinatas. Sic Romulum multis bellis exercitatum placida tempora Numæ Pompilii exceperunt, qvi Romanis religionem fuam, fuperftitiofam illam qvidem, fed religionem, conftituit. Auguftus ipfe Imperator Janum Qvirinum, terrâ mariqve pace partâ, claufit, inqve illo otio ut religionem conftitueret, qvicqvid fatidicorum librorum nullis vel parum idoneis autoribus vulgò ferebatur, fuprà duo millia, crema-

vit, ac ſolos Sibyllinos, inter hos qvoqve delectu habito, retinuit condiditqve duobus forulis auratis ſub Palatini Apollinis baſi; nonnulla etiam ex antiqvis ceremoniis paulatim abolita reſtituit; ſacerdotum & numerum & dignitatem, ſed & commoda auxit, cùm id Julius anteceſſor tot undiqve bellis diſtractus facere non potuiſſet. Ad eundem modum poſteaqvam à Mauritio Duce Saxoniæ, bellicoſiſſimo Principe, gubernatio ad Auguſtum noſtrum devoluta eſt, qvod pauciſſimi fore ſperaverant, ſtatim & cum Alberto Marchione Brandepurgico, & cum Johanne Friderico, hæredibusqve ejus Ducibus Saxoniæ, ita pepigit, ut per omnes annos Imperii, qvos triginta & tres abſolvit, magno ſanè ſubditorum emolumento, nunqvam neqve ſumta arma, neqve repulſa ſint, ſed omnia optatiſſimâ pace floruerint. Unicum, ſed illud breviſſimum, bellum contrà Grumbachianam conjurationem geſſit; qvam niſi celeritate ſummâ pariqve fortitudine repreſſiſſet, non minus Imperio Romano periculum ab eâ impendere, qvam olim à Catilinariâ, videbatur. Qvod bellum qvæ initia, qvem finem habuerit, ſtudio brevitatis commemorare ſuperſedeo. Id ſatis eſt monuiſſe, Auguſtum in illâ pace, qvâ & ante & poſt Gothicum bellum regiones floruerunt, omne ſuum ſtudium, omnem operam ad ſolidandam veram religionem impendiſſe. Hinc anno ſuperioris

ævi

ævi qvinqvagesimo qvinto perfecit, ut pacificatio Passaviensis, qvam Religionis pacem vocamus, solennibus Imperii Comitiis fuerit confirmata. Vel solum autem editi libri Concordiæ opus tantum est, ut nullis laudum præconiis satis possit etiam ab eloqventissimo extolli. Innumeras ejus pro verâ fide vigilias, tot visitationes, tot Synodos, tot conventûs, in hâc temporis angustiâ prætereo. Exitum autem vitæ talem habuit, qvalem sibi Augustus optaverat semper, cùm qvoties audisset, citò ac nullo cruciatu defunctum qvempiam, sibi & suis similem εὐθανασίαν precatus esset. Eo enim ipso die, qvo excessit, sacris matutinis satis valens interfuit. — —

* *Hac ita scribentem oppressit instans eundi ad habendam orationem tempus. Qvare cætera, pauxilla sanè una cum solenni voto, qvo claudenda fuit oratio, ita pronunciavi ex tempore, uti inciderunt.*

ORATIO V.

De CHRISTIANO II. Electore Saxoniæ.

Habita in Templo Academico,

A. 1651. d. 23. Junii.

in anniversariâ ipsius memoriâ.

SI fastos Romanos evolvimus, Rector Magnifice, &c. eadem dies, qvæ nos hodiè de obitu

obitu Christiani II. Electoris Saxoniæ commonefacit, Romanis olim acceptæ ad lacum Trasimenum gravissimæ cladis, qvâ civium fortissimorum qvindecim millia occiderunt, refricat memoriam. Ea verò clades Senatorum animos ita legitur consternasse, ut, cùm propter calamitatis magnitudinem tantum casum mollire aut minuere non possent, rem omnem (qvod aliàs fieri non solebat) multitudini exponere coacti fuerint, & publicè magnâ se pugnâ superatos fateri. Qvippe tribus integris diebus tanto erat armorum strepitu decertatum, ut eum terræmotum, qvi interim multarum urbium Italiæ magnas partes prostravit, amnes cursu avertit, & mare infudit fluminibus, nemo pugnantium senserit *a*). Qvantus igitur privatim luctus, qvanta publicè fuerit trepidatio, vel hinc intelligi potest, qvòd mulieres qvædam, cum filii redirent, qvos in acie cecidisse crediderant, impares hinc gaudio, hinc mœstitiæ, in ipso redeuntium amplexu expiraverint *b*): populus autem universus Dictatorem, qvod non nisi rebus afflictissimis fiebat, depoposcerit, legeritqve Q. Fabium, eum, qvi posteà cunctando rem sublapsam restituisse dictus est. Si verum amamus loqvi, fatendum est, non magis Romanos illo tempore, qvàm has regiones initio hujus seculi, accepto tristissimo

a) Strigel. ad Justin. p. 248. Lycosth. ad Aut. de vir. illustr. p. 324. *b*) Valer. Max. lib. IX. c. 12.

ſimo nuncio ſuæ orbitatis cohorruiſſe. Qvid enim aut illis acerbius potuit accidere, qvàm ut Hannibal Pœnus, cùm ſuperatis Alpibus Italiam latè depopularetur, poſt profligatum apud Ticinum Publium Scipionem, apud Trebiam Sempronium Longum, tertio belli fulmine Flaminium Conſulem, ipſum ſcilicet cum milite Imperatorem, prope Traſimenum concideret? aut qvid Saxonicas ditiones affligere, potuit magis, qvàm cum experirentur, poſt Auguſti Electoris & Chriſtiani I. haud ſane multis annis disjuncta funera tàm breve qvoqve fuiſſe imperium Chriſtiani II? Veruntamen hanc utrinq; caſuum ſimilitudinem deletam viciſſim fuiſſe dixeris eventuum diſparitate. Nam Romanis qvidem eâ tempeſtate ultimum adhuc malorum omnium pugna Cannenſis imminebat; nobis contrà poſt Avi, Patris, atqve Germani imperium divino beneficio is contigit Elector, qvi & etiamnum diutiſſimè rerum potitur, & ex funeſto admodùm ac lamentabili bello, qvo Europeus orbis univerſus hoc noſtro ſeculo concuſſus eſt, dilectam patriam feliciſſimè tandem eripuit. Qvare obliteratâ jampridem doloris iſtius memoriâ, non planctibus nunc vacabo aut lamentis, neqve Silium Italicum imitabor, qvi in commemoratione cladis iſtius, qvam dudum Carthaginis everſione ſatis ſuperqve expiaverant Romani, non dubitavit,

tavit, tenqvam in recenti calamitate exclamare *c*):

Heu dolor! heu lacrymæ! nec post tot tempora seræ.
Seræ profectò, ne dicam ridiculæ atqve mimicæ sunt illæ lacrymæ: qvibus qvi medicinam afferre aut solatium velit, meritò illud audiat, qvod legatis Iliensium à Tiberio Cæsare responsum fuisse accepimus. His enim, paulò seriùs eum super obitu filii consolantibus, se qvoqve respondit, eorum vicem dolere, qvòd egregium civem Hectorem olim amisissent *d*). Etenim dolorem istum nobis non temporis tantùm longinqvitas, qvod necessarium fuit, sed & virtutes Successoris, qvæ nostra fuit felicitas, jam diu expunxerunt. Neqve ideò hi congressus publicè instituuntur, ut qvotannis integrentur complorationes publicæ, sed potiùs ut memoria sanctissimorum Principum commendetur æternitati. Id igitur & ego agam in præsentiarum, deqvè meritis in patriam Optimi Electoris Christiani Secundi pro ratione hujus temporis atqve loci, aliqvid faciam verborum. Etsi autem qvamplurima se mihi offerunt, qvæ in ejus laudem & debere meritò, & posse etiam non ineptè commemorari videntur: tamen qvoniam sæpius ex hâc cathedra de universis est auditum, ex uberi segete illud tantùm mihi nunc eligam, qvod in negotio religionis per illud temporis spatium, qvo utriusqve Christiani obitus

c) lib. V. p.m. 115. *d*) Sveton. sub Tiber. c. 52.

obitus divellitur, his in regionibus salubriter gestum est. Neqve enim beneficio majore devincire sibi posteritatem Christiani nominis Princeps potest, qvàm si procuret, ut intemerata religio ad ipsam transmittatur. Vos A.H. enixè ac submissè rogo, ut brevem mihi aurium usuram ne denegetis.

Miserabilis fuit Ecclesiarum in his provinciis facies, qvo tempore beatissimæ Princeps memoriæ Christianus, hujus nominis primus, secundi nostri parens è vivis excessit. Secretis enim & callidissimis qvorundam hominum machinationibus nihil propiùs effectum erat, qvàm ut Calviniana religio, qvæ uti deformes meretriculæ fuco & purpurisso, ita specie blandissimâ purioris reformationis incautos in amorem sui pellicere solet, plenis velis in has terras inveheretur. Id qvod nullâ qvidem religiosissimi Electoris culpâ, solâ ejus infelicitate contigerat, qvippe, qvi, licet à teneris ungviculis veræ atqve orthodoxæ fidei, qvæ invariatam Augustanam Confessionem profitetur, addictissimus esset, illamqve adeò, ut ita loqvar, cum lacte materno imbibisset, neqve ab eâ divortium fecisset unqvam, inciderat tamen in perversos aulæ ministros, qvi & occultè favebant illi, qvam dixi, hæresi, & omnibus eam modis propugnatam cupiebant. Qvoniam autem hi satis perspiciebant, si aperto Marte bellum veritati indicturi essent, apud Princi-

pem

pem Calviniani nominis osorem acerrimum inanes fore suas suggestiones, ad dolos conversi, lento gradu atqve pedetentim negotium moliri, nihil, qvod immutandæ religionis suspicionem gignere posset, coràm Electore profiteri, sed arcanam votorum suorum conscientiam penes se retinere, interim deliberare secum de re callidè aggrediendâ, & occasionem commodam expectare. Qvæ qvomodo se dederit, qvomodo illi oblatâ sint usi, operæ pretium est, A.O. cognoscere. Nata erat optimo Electori Filiola. Hujus baptismo cùm externi qvidam atqve peregrini præcipuæ dignationis viri interfuturi essent; clanculùm adeunt Serenissimum Parentem, hortantur, ut usurpatam hactenus in Ecclesiis nostris maligni Spiritûs adjurationem, qvo conceptis verbis ille ab infante baptizando facessere jubetur, (Exorcismum vocant prisco vocabulo,) in sacrâ filiolæ lustratione omitti jubeat; id ni fiat, peregrinis illis, qvi exorcismos istiusmodi aversarentur, scandalo rem fore *e)*. De hoc autem negotio sic disserebant, qvoniam omnium orthodoxorum consensus illam ceremoniam inter res medii generis referret, qvæ, qvoniam & adhiberi & negligi sine piaculo possint, adiaphora appellantur, peccari ab eo non posse, qvi rei suâ natu-turâ

e) Vide Mylii Calvin. Comœd. p. 28. Frimel. Witeb. à Calvin. divex. p. 49. Qvorum e scriptis plura qvoqve in seqventibus passim sunt hausta.

turâ liberæ usu aliàs permisso semel abstineret; ab eo facilè posse, qvi fratrem infirmum in re tantulâ offenderet sciens. Atqve ut citiùs, qvod volebant, conseqverentur, exemplo aliarum Ecclesiarum sententiam suam confirmabant, qvæ cùm in fidei capitibus universis idem, qvod Saxonicæ, sentirent, nihilo tamen minùs Exorcismi formulam in administratione baptismi, pro libertate Christianâ, neqve intercedentibus cæteris, neqve improbantibus, dudum amovissent. Qvid qværitis? Facilè consensit mitissimus, atqve omnium fallaciarum ignarus Princeps in rem, uti primâ specie videbatur, tàm pio consilio deliberatam, uti exitus ostendit, ad subruenda qvasi per cuniculos fidei sincerioris fundamenta compositam atqve excogitatam. Nimirum Calvinianæ factionis Promachi ita sunt instituti, ut si qvam provinciam sectâ suâ tanqvam incendio qvodam involvere cogitent, non circumcursitent cum facibus, & ignem in conspectu omnium admoveant ædibus privatorum, sed id operam dent, ut vel minutissimam scintillam occultè ferere possint in aulam alicujus Principis, unde non ignorant longè facilius spargi incendium in omnes ditiones subjectas. Hoc eodem artificio & nostri ciniflones usi sunt. Qvi cùm jam exemplo Electoris satis suis rebus viderentur prospexisse, non cunctandum rati, ut passim per Ecclesias exorcismus aboleretur, insanis clamori-

moribus postulant, non jam rem suâ naturâ ἀδιάφορον, uti apud Electorem occeperant, appellantes, sed invidiosissimis nominibus fermenti Papistici, magicæqve excantationis gravantes. Porrò cùm ad Electorem mentiti essent homines vanissimi, magno numero à Ministris Verbi Divini postulari, ut fieret repurgatio istarum è Papatu reliqviarum, facili negotio obtinuerunt, ut Illustrissimi nominis sui autoritatem nefariis illorum dolis commodaret inscius fraudis atqve innocentissimus Princeps. Omnes autem ad eum aditûs ita jam obsepserant, ut justissimæ periclitantium de religione Theologorum qverelæ ad aures ejus pervenire non possent. Itaqve jam minis agere, jam carceres, exilia, mulctas in terrorem non tantùm objicere, sed etiam imponere qvamplurimis; rectè sentientes, qviqve se masculè ipsorum conatibus opponerent, loco suo movere, illisqve successores dare eos, qvos scirent secum convenire: uno verbo, jam satis prodere, internam se religionis puritatem petituros esse, si in externo ritu victores discessissent. Monet me locus, H. A. ut breviter ostendam, non libidine altercandi factum esse, qvòd in rebus adiaphoris concedere saniores Theologi noluerunt, sed ita fieri oportuisse ab omnibus, qvi proditores religionis esse nollent. Eqvidem bonâ conscientiâ conveniri posse, ut aut verba qvædam exorcismi, (qvæ in-

primis

primis exposita sunt conviciis adversariorum,) immutentur, aut tota formula penitus aboleatur, modò illud fiat prudentibus atqve modestis deliberationibus, ne nostri qvidem unqvam Theologi negaverunt *f)*. Qvid enim alioqvi facerent iis Ecclesiis, qvas suprà memoravi illam adjurationem exclusisse, cùm in omnibus doctrinæ capitibus non desistant amabilem nobiscum servare consensum? Nimirum ipsa adiaphororum appellatio persvadet, indifferenter ea aut usurpari posse, aut omitti, non pro cujusvis qvidem privati arbitrio, sed si ita integræ alicui Ecclesiasticæ communitati gravibus ex caussis videatur. Extantqve in hanc rem benè meritissimi Theologi Ægidii Hunnii theses, speciatim de Exorcismo inscriptæ: in qvibus etsi reperisse se arbitrati sunt Calviniani non qvod pueri in fabâ, qvi & eas magnificis verborum ampullis primùm è latebris, sed non parùm ab se interpolatas, produxerunt in theatrum: tamen nihil aliud deprehendas, qvàm qvod semperà nostratibus assertum fuisse ostendimus. Verùm si hostes Evangelii, sive manifestarii, sive latitantes importunis vociferationibus tanqvam pro imperio per caput pedesqve jubeant è baptisteriis præcipitari Exorcismum, neqve acqviescant piis interpretationibus, qvibus eum in gratiam cum auribus illorum delicatis reduce-

f) Vid. Matth. Hoë wieder den ungenanten Außforderer p. 154. 155.

re conamur, sed ut magicum, ut incantatorium, ut diabolicum exagitare pergant: ne latum qvidem ungvem cedendum esse, libertas Christiana jubet, conscientiarum qvies flagitat, ipsa Ecclesiarum salus obtestatur. Compertum enim est, initiis talibus non rem leviculam atqve indifferentem, sed totam religionis compagem solicitari. Sic è certaminibus illis de lineâ veste superiori ævo, cùm Carolus V. Imperator interreligionis formulam obtruderet Evangelicis, parum abfuit, qvin fœdissima Ecclesiarum in his provinciis ad Papatum reversio orta fuisset; meticulosorum qvorundam Theologorum vitio, qvi initiis adiaphoristicis non adeò severè obnitendum rati prope universam prodiderant religionem. Et qvis nescit, ex iisdem seminibus in Palatinatu, in Anhaldinâ, aliisqve ditionibus hæreticam segetem progerminasse? Qvare, ut redeam in viam, rectissimè factum est ab iis, qvi vel cum fortunarum suarum atqve existimationis periculo, ne qvid etiam in ceremoniis mutaretur, cavere voluerunt. Sed iidem potentiâ adversariorum superati atqve passim expulsi, multa templa libidini Calvinizantium aut vacua doctoribus, aut, qvod etiam miserabilius fuit, falsis prophetis aperta relinqvere sunt coacti. Nolite expectare, Auditores, ut hic recenseam, qvæ in templis harum regionum vastitas fuerit; qvi gemitûs piorum hominum, qvæ lamenta

menta consecuta sint; qvibus contrà gaudiis, qvi ad novam religionem pruriebant, exiluerint. Properat enim, properat oratio mea, ut finem istis miseriis inveniam. Vos ipsi ex recordatione malorum, qvæ belli temporibus perpessi sumus, rationem subducite, qvæ fuerit patrum nostrorum fortuna, cùm non Tillius aliqvis aut Torstensonius mœnia pulsaret, sed excitæ ab inferis sectariorum cohortes ipsam arcem Christianismi invaderent, non facultates, sed ipsam animarum salutem miseris erepturi. Egó satis habeo vobis confirmasse, ipsum Electorem pientissimum, cùm tandem istas molitiones, (nam neqve diutiùs latere poterant, & qvasi rebus ex animi sententiâ confectis prodire gestiebant,) perspexisset, neqve tamen morbo jam inveterato remedium de facili reperiret, perculsum adeò animo atqve afflictum fuisse, ut sine dubio mœror iste inter causas, qvæ finem vitæ ipsi accelerarunt, (mortuus enim est in ipso ætatis flore,) non postrema sit numeranda. Hoc repentino Principis obitu, qvis non putâsset malum illud ad maturitatem perventurum, qvasiqve effosso aggere hæresin regiones omnes Electorales inundaturum, scilicet post Principem sublatum universo dominio ad malæ istos fidei aulicos abituro? Hæres enim septemviralis dignitatis Christianus secundus octo tantùm annorum puer tùm erat, eoqve administrando imperio per ætatem non-

dum idoneus. Sed necesse est, ut hîc agnoscamus insigne exemplum Divinæ Providentiæ atqve moderationis. Misertus enim turbatæ Ecclesiæ suæ DEUS exitum facilem invenit desperato malo, &, qvasi puncto temporis, totius hujus negotii scenam immutavit. Atqve tùm patuit, neqve furoribus hostium everti posse doctrinam cœlestem, & ubi ea ad hominum aspectum proxima est interitui, divinâ manu restitutam convalescere solere. Excitavit enim omnipotens ille gregis sui vindex constantissimum Heroem Fridericum Gulielmum Saxonicæ è Vinariensi prosapiâ Ducem. Qvi cùm mortuo Christiano I. administrationem provinciarum non magis agnationis jure, qvàm ex postremâ beatissimè defuncti voluntate ad se pertinentem suscepisset, qvoniam lentis remediis locum fore nullum intelligebat, priusqvàm exeqviæ Electorales solenni more ducerentur, apprehendi Nicolaum Crellium jussit, sectariæ factionis antesignanum, qvi Cancellarii qvo functus erat officio non tantùm in Ecclesiarum perniciem, sed in alias qvoqve novationes scelestissimè fuerat abusus. Peractis verò exeqviis Theologi qvoqve, qvos constabat sacrorum pervertendorum aut autores fuisse, aut socios primarios, in custodiam dati sunt, diversis temporibus atqve locis alii, Dresdæ Salmuthus & Steinbachius Concionatores aulici, Pierius Witebergæ, in hâc ipsâ urbe nostrâ Gunderma-

manus. Alii qvamplures, cùm hæc ita gererentur, malè ſibi conſcii voluntariâ fugâ ſuam ſtationem, in qvam videlicet fraudulenter irruperant, deſeruerunt. Inter qvos præcipuè Petrus Calaminus, atqve Paulus Auleander, Theologiæ Doctores ac Profeſſores, Diaconi item duo Witebergenſes commemorantur. Ac Rennecherus qvidem, feri ac mordacis ingenii Calvinianus, audito infelici nuncio adeò fugam maturavit, ut ne calceos qvidem pedibus induxerit, ſed qvalis fortè è ſtrato ſurrexerat, indutus ſandaliis, nulloqve præ feſtinatione aſſumpto viatico per portam eruperit. Jucundum oculis ſpectaculum fuit, homines eos, qvi paulò ante triumphum egerant, ipſiqve cœlo minitari videbantur, conversâ nunc rerum facie conſpicari ſubmiſſis vultibus, ore pallido, atqve ovicularum inſtar, qvas fulmen aliqvod è cœlo miſſum exterruit, trepidantes. Nimirum admirabilis conſcientiæ vis eſt, qvæ, ut in rectè factis nullâ fortunæ adverſitate patitur ſe dejici, ita in iis, qvi ſe ſcelerum reos agnoſcunt, ſi leviſſima tempeſtas ingruat, incredibiles excitat tumultûs. Neqve enim minorum illis gentium Calvinianis, qvi in has regiones irrepſerant, metuendum erat qvicqvam, niſi ut alibi hiſtrioniam ſuam exercere juberentur: & tamen ita erant conſternati univerſi, ac ſi non fortunarum modò, ſed capitis adeundum ſibi eſſet periculum. Itaqve à nemine tùm, ni-

nisi ab interno judice condemnati

Excessére omnes adytis arisqve relictis. g)

Cæteri, qvos fiducia de benignitate Principis retinebat, ita tamen obmutuerant omnes, ut, cùm Torgæ indictus esset Statuum Provincialium conventus, in qvo de procurandâ Republicâ deliberandum esset, ne unus qvidem è magni numeri neqve nullius dignitatis hominibus, qvi illâ adhuc labe infecti erant, prodierit in medium, suæqve religionis, qvam in conspicuo erat ad tribunal vocari, causam peroraverit, dictante scilicet ratione, non posse ad lucem consistere, qvod per tenebras immigrâsset. Atqve hæc tùm fuit fortuna factionis illius lucifugæ. Ex aliâ parte veris Lutheranis rediit animus, cùm viderent oppressos emergere, conjectos ab adversariis in vincula dimitti, pulsos anteà in exilium aut aliis rationibus ejectos revocari; cùm audirent eandem iterum in templis ac scholis sonare doctrinam Evangelii, qvam non ita pridem meminerant, anteqvàm isti falsarii rem turbarent, viguisse. Incredibile memoratu est, qvàm lætæ passim piorum hominum facies emicuerint, qvàm svaves congratulantium plausûs sonuerint, cùm dominari iterum in sacris pulpitis persentiscerent Miros, Lyseros, Mylios, qvos non ita pridem falsorum fratrum rabies aut exegerat è templis, aut ferre non poterat docentes. Mox & visitatio Cel-

g) Virgilii verba hæc sunt II. Æneid. v. 351.

Celsissimi Administratoris jussu per provincias habita fuit; cui è Theologis præerant verâ pietate atqve zelo secundùm scientiam viri maximè venerabiles, Mirus, Hunnius, Mylius, Harbardus, Lonnerus, Mamphrasius, è Politicis flos Nobilitatis eruditæ Beusthius, Löserus, Ponicovius, Schonbergius. Hi editis publico scripto qvatuor articulis dabant operam, ut omnium, qvibus aut Curias, aut Templa atqve Scholas gubernandi commissa erat provincia, consensus in fide exploraretur. Horum qvi sani erant, subscribere istis capitibus non dubitabant; qvi corrupti, subtrahebant manum. Erant autem ex istis doctrinæ capitibus qvatuor, unum de verendo Cœnæ Dominicæ mysterio, alterum de personâ Christi, de levacro regenerationis tertium, de æternâ Dei prædestinatione qvartum. Ex qvo facilè intelligitur, exorcisticis illis contentionibus non futiles ceremonias, sed præcipua cœlestis doctrinæ secreta oppugnata fuisse. Porrò iis, qvi jussi subscribere detrectabant, gravior indicta pœna non fuit, nisi ut bonâ cum gratiâ muneribus suis cederent, & à clandestinis sacris abstinerent; cæterùm manere, & negotia sua privatim agere omnibus, qvi vellent, erat integrum. Non enim cædibus, non carceribus, non rapinis adigere ad professionem sanæ doctrinæ placebat, cùm non ignoraret sapientissimus Princeps, nullâ humanâ vi imperari cuiqvam posse, ut

doctrinâ, qvam profitebantur, obsignandâ. Et verò qvàm absurda nobis (& jure qvidem) sunt hodiè Pontificiorum commenta, tàm ineptæ Gentilibus (qvanqvam id injuriâ) videbantur olim conciones Apostolorum. Interim hoc indicio produnt Pontificii causæ suæ bonitatem scilicet, qvoniam ferro putant augeri posse numerum hypocritarum, qvod rationibus sese effecturos dudum est, cùm sperare desierunt. Ne autem nimium aberret oratio mea, regredior ad Christianum nostrum I. Qvæ commemoravi hactenus, ea gesta sunt, cùm ipse adhuc per Administratorem summæ rerum præesset. Qvanto autem ipse qvoqve, cùm eum anni maturiores imperio admovissent, religionis zelo flagraverit, jam porrò enarrandum est. Sed de ipsius educatione non planè silendum nobis. Nempe tener ejus animus inde usqve à pueritiâ fingebatur non ad omnem elegantiam tantùm, sed pietatem qvoqve, præfectis ipsi ex paternâ voluntate magistris iis, qvi sedulò curarent, ne aliam, nisi qvam è sangvine parentum avorumqve hausisset, religionem imbiberet, virtutibus autem iis, qvæ maximè Principem decerent, politiorumqve literarum studiis imbueretur. Versatur in manibus elegans saluberrimisqve monitis refertus liber, qvem Johannes Lauterbachius JCtus & Consiliarius Saxonicus Christiano II. inscripsit, Saxonici simulacri titulo: in qvo nihil videtur prætermissum esse,

co-

eorum, qvæ ad gubernandas prudenter ac piè provincias reqviruntur. Qvo factum est, ut in isto, qvem dixi, libro, boni Principis depicta imago in Christiani II. vivâ effigie cerneretur. Etenim qvamprimùm ad usurpandam Electoralem autoritatem, & moderandas ditiones subjectas legitimis annorum spaciis, (octodecim ab aureâ bullâ præscribuntur,) provectus est, nihil habuit priùs, qvam ut ab Agnato ordinatam religionem confirmaret, atqve omnibus numeris cœptum reformationis opus absolveret. Factum hoc est anno hujus seculi primo, cùm bienniô pòst Jacobus VI. Scotiæ Rex, affinis nostri Electoris, post obitum Elisabethæ Reginæ, regnum Angliæ hæreditario suo copularet. Atqve eo ipso anno sumptum fuit supplicium de Nicolao Crellio, cùm ipsius Imperatoris Rudolphi sententiâ esset capitis damnatus: non eam ob causam, qvia ipsum constabat hæresi addictum fuisse, sed qvòd non lentè & ignorante Principe seminare illam, homo Politicus, in regiones Saxonicas studuisset, rerumqve novarum plurium esset convictus. Nam cæteri, qvos è Theologis in custodiam missos audivistis, intereà temporis dimissi omnes sunt incolumes, qvorum & nonnulli agnovisse errores suos visi sunt. Sed Crellio contigit, qvod circà hæc ipsa tempora Essexiæ Comiti in Angliâ, item Bironio Mareschallo in Franciâ, qvi perniciosissimarum in Regias Maje-

jesta-

jeſtates conjurationum manifeſti capitis pœnam dederunt: ut hi anni ferè nobilitati ſint exemplis Aulicorum, è ſummo dignitatis faſtigiò ſuâ culpâ ad extremam internecionem præcipitatorum. Verè autem in Concione funebri Sereniſſimi Electoris noſtri hoc ipſi perhibitum fuit teſtimonium, toto illo tempore, qvo penes eum fuit adminiſtratio imperii, & Eccleſiarum & Politiarum ſtatum fuiſſe feliciſſimum. Nam & Ejus juſſu Compendium illud Theologiæ, qvod in Gymnaſiis paſſim atqve Academiis noſtris obtinet, à Clariſſimi nominis Theologo Leonharto Huttero conſcriptum eſt. Dies me deficiat, ſi omnia ſint percurrenda. Unum illud dolendum fuit, non amplius decennio illum imperio præfuiſſe. Sed nimirum vel indè conſilii Divini providentiam agnoſcas, qvòd qvemadmodùm non antè ex his terris evocavit Fridericum Gulielmum, qvàm maturuiſſet imperio Chriſtianus II. (paulò enim poſt ſuſceptum ab hoc imperium mors illum his regionibus eripuit:) ita ſublato Chriſtiano II. ſtatim ſubſtituit auguſtiſſimum fratrem Johannem Georgium, Dominum noſtrum Clementiſſimum, qvi jam ſcientiſſimus imperandi, copioſaqve ſcientiâ peregrinando collectâ, fultus in locum ejus ſuccecederet. Qvàm luculenta verò clementia Dei fuit, qvòd hunc nobis tanto annorum ſpaçio, tàm turbidis interim rebus, tàm vegetum, tàm corpore & animo præſtantem ad extremam

mam

mam perduxerit senectutem. Non possum non in mentione hujus desideratissimi Principis, boni ominis gratiâ, finem facere orationis qvi me satis intelligo spacium dicendi implevisse. Qvare Vos, Auditores optimi, precamini mecum ab omnium Imperiorum Autore & Conservatore Deo, ut hunc nobis Principem, cui amabilissimum nomen Patris Patriæ omnes ex merito tribuunt, Johannem, inqvam, Georgium, Electorem Saxoniæ nobis adhuc in multa annorum spacia conservet: universam autem ejus Familiam Serenissimam, incrementis hactenus auctam optatissimis augere ulteriùs velit, illiqve ubertim largiri omnia, qvæ & faciunt ad publicam universorum salutem, & privatam felicitatem singulorum! Sic Academia nostra, sic Civitas, sic privatorum ædes florebunt, crescent, perennabunt. Exaudi nos DEUS Pater propter Filium tuum unigenitum in Spiritu Sancto! Amen.

ORATIO VI.

De MAURITIO, Electore Saxoniæ,

Habita in Templo Academico

A. 1651. die 11. Julii,

in anniversariâ ipsius memoriâ.

RECTOR MAGNIFICE, &c.

QVoties de memoriæ felicissimæ Septemviro ac Principe Saxoniæ Mauritio cogitamus,

mus, (cogitandum autem nobis inprimis est hoc die, qvo anniversariam ejus recordationem solenni ritu Academia nostra suscipit,) toties ferè contingit obversari animis nostris imaginem Alexandri Magni, fortissimi pariter atqve felicissimi bellatoris. Tanta enim, licet diversissimis temporibus, eorum inter ipsos fuit similitudo, ut qvemadmodùm Alberto Electori Brandeburgico virtus militaris rerumqve gestarum magnitudo Achillis Germanici cognomen peperit, ita Mauritium nostrum, si Alexandrum Teutonicum appellemus, nihil ostentationi aut vanæ gloriæ datum à nobis esse videatur. Alexander Macedo adolescentulus Illyricos Thracesqve perdomuit, Thebas evertit, Athenas in deditionem accepit. Inde confirmatis domi rebus, Thessalorum Græcorumqve sociorum armis adjutus ad Persicum bellum trajecit in Asiam, parvâqve sed firmâ manu, celeritate verò incredibili, innumerabilem hostium multitudinem delevit, Darioqve Persarum Rege tribus præliis debellato regnum à Persis ad Macedonas cùm traduxisset, integris viribus, ætate floridâ extinctus est Babylone, cùm temperatum sibi domesticâ fraude bibisset venenum. Consimili modò Mauritius noster unius & viginti annorum juvenis Ungarico adversus Christiani nominis hostem bello egregium futuræ magnanimitatis specimen edidit, mox Cæsari adversus Gallum bis pro-

fectus

fectus est auxilio. non postremus reportatæ insignis ad Divum Victorinum victoriæ autor. Inde Henricum Brunsvicensem, efferati ingenii Ducem, cùm Socero & Agnato imparatis arma subitò inferret, adventu suo terruit, actiones tamen belli sic moderans, ut id sine cæde restingveretur, Henrico ipso in potestatem ejus concedente. Porrò Germanico bello profligatis captisqve iis, qvos Cæsar proscripserat, Septemviralem dignitatem non ambitiosè invasit, sed necessitate qvâdam compulsus, ne à Saxonicâ domo planè avelleretur, transferri in Dresdensem familiam passus est; Magdeburgensium urbem tolerabilibus conditionibus in potestatem Romani Imperii redegit; Cæsari ad religionis oppressionem spectanti, occupatis Alpium Rhæticarum faucibus, & captivos Principes, & religionis pacem extorsit, eodemqve anno restitutâ Germaniæ libertate & decore pristino, confirmatisqve sacrorum ritibus, Turcarum Imperatorem repressit; tandemqve Alberto Marchione memorabili pugnâ superató, unde eum nunqvam posteà vires recepisse compertum est, graviter in acie sauciatus victor tertio pòst die exspiravit. Qvæ omnia si qvis longè inferiora putet, qvàm qvæ cum Alexandri Magni virtutibus comparari debeant, is meò qvidem judicio vehementer errat. Qvid enim eminuit in Alexandro, cujus in Mauritio non parem reperia-

riamus excellentiam? Animi qvidem magnitudo, scientia rei militaris, in rebus deliberandis expromptum consilium, in exeqvendis perfecta celeritas, cum intrepidâ fortitudine conjuncta, in conficiendis deniqve perpetua ac stabilis felicitas in utroqve paria fuisse videntur. Qvòd si Græcus ille non circumlatorum tantùm per universum propemodùm orbem armorum gloriam, sed & occupati summi Imperii decus ad se solum pertinere dicat, neqve communicare velit cum Electore nostro hoc elogium: non repugnabimus sanè, neqve provehemur eò dementiæ, ut (qvod ipsa scilicet Historiarum documenta refellunt,) limites imperii Saxonici cum Macedonici regni amplitudine exæqvandos putemus; sed illud tamen affirmare non verebimur, eo ipso, qvo Alexandro Mauritius inferior fuisse judicatur, longè fuisse superiorem. Qvid enim tot gentium atqve populorum, positarumqve sub tàm diverso cœlo regionum Dominum constituit Pellæum istum juvenem, nisi regnandi impotens libido, recusandis scilicet pati, ut præter Alexandrum qvisqvam rex appellaretur? Itaqve qvi è tot præliis victor discesserat, ipsum se vincere, qvæ triumphis omnibus una illustrior gloria rectè sentientibus habetur, non potuit, sed tanqvam publicus esset terrarum prædo; (qvod nomen objectum sibi à qvodam piratâ non habuit qvomodo refelleret,) non

non qvantum debuit, tantùm concupivit, sed qvantum potuit, tantum sibi concupiscendum esse arbitratus est. Ab hâc insatiabili regnorum ingluvie si alienissimus fuit Elector noster, tantum abest, ut imminuere id ejus æstimationem debeat, ut potius in laudem omnium maximam vertendum sit, qvâ illum scilicet totius mundi domitorem supergressus est. Non enim alienis ditionibus inhiavit, neqve tot clarissimis victoriis abusus est ad exuendos possessionibus suis Principes alios, qvod Alexander aliqvis haudqvaqvam intermisisset: sed hâc pro summis laboribus mercede contentus fuit, ut per ipsum externus hostis fugatus, intestina dissidia sublata, Principes in amicitiam reducti, Imperio Romano restituta pax diceretur. Qvo sanè præmio, uti decet, apud gratam posteritatem adhuc fruitur extinctus, cùm Alexandrum venenata illa potio simul vitâ, simul arreptis tot regnis orbaverit. Nihil dicam de luxu & in suos credulitate, qvæ duo inprimis post ambitionem vitia præclaras Alexandri virtutes offuscaverunt, qvarumqve absentiâ laus Mauritii magis redditur conspicua. Verùm qvo labor? Non id agebam nunc, ut ex ignominiâ Alexandri gloriam nostro Electori compararem, sed potiùs ex comparatione ejus, qvem omnium seculorum consensus, si humanam fragilitatem excipias, excellentissimis Principibus annumerat, nostri exstruerem encomi-

comi-

comium. Idqve eò arridebat magis, qvòd non vivendi modo spacium, sed propè sortem moriendi eandem viderem in utroqve fuisse. Nam & ætatis anno trigesimo tertio, imperii autem duodecimo, ambo decesserunt, &, si vera sunt, qvæ à qvibusdam memorantur, non hostili globo, sed clancularii insidiatoris perfidiâ petitus Elector fatale vulnus accepit, ut adeò non minùs qvàm Alexander Magnus suorum dolis circumventus videatur: hoc tamen censendus felicior, qvòd non inter comessationes, sed in conflictu cum hostibus, ipsiusqve victoriæ curriculo oblata ipsi fuit necessitas moriendi, & eo qvidem mortis genere, qvale sibi bellicosissimus qvisqve semper exoptavit. *Præclaræ*, inqvit Cicero *a), mortes sunt imperatoriæ: philosophi autem in suis lectulis plerunqve moriuntur.* Igitur & Alexandrum Severum Imperatorem legimus *b)*, cùm prædiceret Thrasybulus mathematicus mortem ipsi violentam imminere, testatum, lætari se, qvòd sibi mortem Imperatoriam obeundam intelligeret: & contrà indoluisse Vespasianum, cùm videret se morte naturali moriturum, ideoqve præcepisse se in pedes erigi, ut mors sua, si stando exspiraret, vel speciem saltem aliqvam bellicæ mortis haberet. Animadvertitis, A. qvàm latus hîc se aperiat dicendi campus, si qvis hanc

G duo-

a) II. de finib. p. 85. *b)* Meurs. dedic. Æmoth. Rittershus. indic. not. ad Salvian. lit. M.

duorum invictissimorum Heroum, Alexandri & Mauritii, historiam in membra sua disperge- re, particulatimqve de utroqve disserere velit. Ac fateor mihi, cùm de qvalicunqve oratione qvam hunc in locum afferrem, suscipiendæ essent cogitationes, deliberatum initiò fuisse, ut totum dictionis meæ cursum in amborum comparatione consumerem. Veruntamen cùm posteà veniret in mentem, hoc ipso tempore centum effluxisse annos, cùm Magdeburga imperio Cæsaris à Mauritio restituta est: qvam rem anno post illum proximo salutaris illa expeditio excepit, qvæ paucorum mensium spacio securitatem religioni nostræ ex Passaviensi pacificatione peperit: sentiebam ipsâ me seculi circumvolutione qvodammodò invitari, ut istam potissimùm partem ex ingenti cumulo præclarè gestorum seligerem, deqve bello Magdeburgensi, cujus finis initium fuit certaminis pro impetrandâ religioni libertate, verborum aliqvid facerem. Id adeò posteà placuit magis, qvoniam & calamitatum nostrarum in bello Smalcaldico, qvod Magdeburgensium demùm reconciliatione finitum est, & lætissimi exitûs in fœdere Passaviensi adumbratam videbam imaginem, credebamqve fore, ut istâ commemoratione non tantùm excitaretur in nobis pietas, sensusqve divinæ providentiæ, qvæ rebus propemodùm desperatis inopinâ conversione mederi sciat, sed etiam animi nostri libe-

rali voluptate perfunderentur ex recordatione præteritorum malorum, qvæ & ante seculum, proavos nostros, & nos ipsos his temporibus in causâ non dispari eventu pari exercuerunt. Etsi autem spero non ingratam Vobis fore istam recitationem, A. O. mea tamen in dicendo exilitas, atqve inexercitata balbuties, majorem in modum à Vobis contendere me cogit, ut aures mihi benevolas commodetis, id operam daturo, ut perspicuitate sermonis fastidium vobis eximam auscultandi.

Nemo autem à me exspectet, ut de bello Magdeburgensi eâ dicam accuratione, qvam adhibere solent historici, qvi temporum, locorum, personarum omnium etiam minima momenta observant, neqve amputantes qvicqvam, qvod contigisse sciant, neqve à serie rerum gestarum abscedentes. Ab hoc enim officio facilè me & præscripti temporis angustia, & instituti ratio absolvit. Sed nec illud postulari à me velim, ut qvæ fuerint utriusqve partis in isto bello consilia, aut qvibus id impulsibus temperatum fuerit, definiam, justitiam causæ alteri parti attribuens, alteri abjudicans. Abstrusiora enim illa sunt, qvàm ut proferri à me in lucem possint: qvanqvam qvò Pontificiæ factionis animi spectaverint, non adeò est obscurum, si qvis sangvinariam Cardinalis Farnesii vocem reputet, qvâ, cùm in bellum adversus Protestantes à Romano Pontifice missus proficisceretur,

tur, dixisse fertur, tantam se esse daturum stragem per Germaniam, ut in Lutheranorum cruore vel natare posset ipsius eqvus *c*). Solùm igitur summa capita narrationis perseqvens simplici orationis filo memoriam Vobis illorum temporum, A. refricabo. Operæ autem pretium est, occasionem atqve initia istorum conflictuum paulò altiùs repetere. Ac dubium profectò nemini esse potest, qvin Pontificia cohors ab eo statim tempore, qvo doctrinæ cœlestis repurgatio per has terras beneficio Dei, ministro Luthero, facta est, capita secretò contulerit de Germaniâ sub jugum Antichristi vi armorum reducendâ. Qvò minùs autem res in bellum continuò eruperit, partim Principum qvorundam pacis studiosorum moderatione, partim ardentibus Lutheri precibus meritò tribuemus. Auditum enim non semel est à venerando sene, magnoperè se vereri, ne tristissima aliqvando belli tempestas in Germaniam incumbat, confidere tamen, precationi suæ hoc Deum donaturum, ut se vivo pacatus sit rerum status. Principum autem duorum, Alberti Moguntini, & Ludovici Palatini studium conservandæ tranqvillitatis maximè commendatur. Nam hi tanqvam aggeres qvidam, ne bellorum veluti amnes Germaniam inundarent, obstitisse leguntur *d*). Igitur vivis illis & annitentibus, ne

c) Sleidan. p. 534. *d*) Camerar. de vita Phil. Mel. p. 245.

ne qvid oriretur, tumultuum, utcunqve repressa fuerunt, belli ſemina. Compertum enim eſt ſæpe, vel unius hominis contemplatione & qvaſi reverentiâ proclives in furorem animos coerceri, qvò minùs in apertas inimicitias ebulliant. Ita olim cùm Julii Cæſaris atqve Pompeji animi dudum eſſent ab ſe abalienati, qvàm diu tamen ſuperſtes fuit Julia, qvâ velut communi vinculo hinc maritus, inde pater colligabantur, bellum civile non exarſit; eâ verò ſublatâ è medio, utrinqve laxatis diſcordiarum frenis mutua eos ambitio in bellum armavit *e*). Sic igitur, cùm ii, qvos modò memoravi, civilibus Germanorum diſcordiis frenum poſuiſſe, è cœtu mortalium eſſent exempti omnes, eodem anno, qvo poſtremus eorum terris valedixit Lutherus, (fuit autem ſextus ſuprà qvadrageſimum ſeculi ſuperioris,) Germania armorum civilium ſtrepitu contremuit. Victus enim tandem inſanis vociferationibus Papæ Carolus V. Imperator, Vir alioqvi Germanorum ſuorum amantiſſimus, bellum in qvosdam è Proteſtantium, ut vocabantur, numero decrevit. Acceſſerant autem qvædam offenſiones, qvibus cùm minui autoritatem ſuam Cæſar interpretaretur, hoſtes ſuos læſæ Majeſtatis reos pronunciavit, literisqve publicis proſcripſit. Ita nimirum factum eſt, ut bellum, qvod haud dubiè, ſi ultima Lutheranis inſidiantium conſi-

e) vide Lucan. lib. I.

lia respicimus, in Religionis nostræ interitum dirigebatur, conservandæ majestatis Imperatoriæ gratiâ geri videretur non paucis etiam eorum, qvorum sic periclitabatur religio. Ea autem, qvæ ad contemtum sui pertinere Cæsar arbitrabatur, hæc fuerunt ferè *f)*: Graviter ferebat, Ducem Brunsvicensem, paternis avitisqve terrarum possessionibus dejectum captumqve in custodiâ detineri, nihil neqve lenitate postulationis, neqve jussorum severitate proficiente. Huc accedebat demolitio castelli munitissimi, qvod vicinum urbi Brunsvicensi inter actiones liberandi Ducem placuerat dirui; item Julii Pflugii de Ecclesiastico solio Naumburgensis Ecclesiæ depulsio; ad indictum qvoqve conventum non venisse eos Principes, qvorum suspiciosa erat voluntas in refragando sententiæ Imperatoris. Credebatur & hæc ad cætera cogitanda retulisse Carolus, qvòd essent è Colloqvio Ratisbonensi revocati Saxonici Theologi. Qvibus omnibus irritatus ille induxisse putatur tandem in animum, & constituisse secum bello decernere, & autoritatem imperii sui armis defendere. Igitur ut à Joanne Friderico Saxoniæ Electore, Philippoqve Hassiæ Landgravio, qvos inprimis isto bello petebat, Principum aliorum studia averteret, eos tanqvam inobedientes ab Imperii corpore absci-

f) vid. Camer. de vita Phil. Mel. p. 242. 243. cujus verbis prope omnibus eloqvi hæc placuit.

abſcidit. An autem ipſe Imperator meditato conſilio id egerit, ut hoc pacto diſſentientes à ſe in religione opprimeret, qvod ab eo maximè expetiviſſe Pontificem conſtabat, haud facilè dixerim. Certè victoriam ſuam ita moderatus eſt, ut cùm Elector in ejus poteſtatem poſteà captivus perveniſſet, & à ſervulis Antichriſti Romani ipſe inſtigaretur, ut capitis ſententiam in eum exeqvi juberet, maluerit ex clementiæ uſurpatione in offenſionem incurrere Pontificis, qvàm iſto pretio gratiam ejus demereri. Neqve in eo dolorem ſuum diſſimulavit Paulus III. Pontifex, cùm ad Mendozam Cæſaris Legatum conqvereretur, exſpectâſſe ſe uvas è vineâ, ſed earum loco meras labruſcas collegiſſe, egregio ſcilicet commentario dictum Eſaiæ Prophetæ *g)* illuſtrans. Itaqve non eodem animo à Cæſare & Pontifice inchoatum hoc bellum alicui videatur. Certè qvicunqve Principes ex Evangelicorum numero Cæſareas partes ſecuti ſunt, hoc ipſo docuerunt, aliud ſibi perſvaſum non fuiſſe, qvàm Imperatorem id ſuſcepiſſe civilibus injuriis, non autem ſeceſſione Eccleſiaſticâ irritatum. Inter hos fuit & Mauritius noſter, Dux Saxoniæ, nondum Elector. Huic enim cùm duæ rationes animo obverſarentur, ut aut ſeqvens Electorem agnatum, & ſocerum Landgravium eidem ſe proſcriptioni, à qvâ eum immunem eſſe maximè cupiebat Cæſar, involve-

g) Eſai. 5. v. 2.

volveret, aut applicans se Cæsari, qvi non injustam sanè belli gerendi causam obtendere videbatur, in eâ qvasi statione se collocaret, unde, si contingere, socios suæ religionis vinci, victoriam Cæsaris autoritate suâ, & gratiâ, & meritorum contemplatione, & intercessionibus, & qvibuscunqve honestis rationibus aliis temperare posset, rebusqve afflictorum consulere: hæc igitur inqvam duo cogitans ipse, nimirum illud fecit, qvod in causâ non absimili temporibus nostris cordatissimos, & eosdem religiosissimos Principes fecisse habemus in memoriâ. Navavit operam Cæsari, & multorum parum amicas (ut fieri solet) accusationes necessitati Reip. posthabuit. Itaqve ut in illo meritò laudanda fuit præstita Cæsari causam civilem agenti fidelitas; sic in Agnato & Socero, qvos tùm adversos habebat, studium propugnandæ sanæ doctrinæ, cujus jugulum si non à Cæsare, à Pontifice certè peti haud qvaqvam vanis suspicionibus augurabantur. Nam qvod ipsis objiciebatur crimen rebellionis, ab eo absolvi se conscientiæ judicio sanctè testabantur, qvi nihil in contemptum Cæsaris admisissent, sed à lacessentibus provocati vim eorum justis rationibus propulsassent, tutandiqve divini cultûs gratiâ eâ potestate, qvam in ditionibus suis qvicunqve Principes habent, moderatè essent usi. Agnoscamus hinc, A. H. qvantum discrepent consilia Dei ab hominum deliberationibus,

An-

Anceps bellum gerebatur. Illinc Pontificii extrema Lutheranis omnibus parabant; hinc pii & religiosi aliqvot Principes doctrinam Evangelii defensabant. In isto apparatu anteqvàm debellatum esset, nemo fuit, qvin ita rationaretur: Si vincentur copiæ Cæsarianorum, bellè se habebit religio Lutherana; sin aliter, actum de eâ erit. Vicit Imperator: sed ista victoria lucem Evangelii non extinxit. Principes victi, capti, abducti sunt: nihil ex illorum miseriâ ad religionem pervenit calamitatis. Solutum est fœdus Smalcaldicum: solvi religio non potuit. Nimirum illa Cæsaris victoria postrema fuit. Ac fortasse licentiùs ille hâc fortunâ suâ usus est, qvàm initiò constituerat. Non enim respondebant initiis ea, qvæ insecuta sunt. Erat in Aulâ Cæsaris Perenotus, Atrebatum Episcopus, qvem & Granvellanum appellant *h)*, nec origine Germanus, nec imperio nostris conjunctus. Is cùm esset solus ferè & arcanorum Cæsaris conscius, & consiliorum propè omnium autor, multa æqvissimo aliàs Imperatori suggessisse creditur, qvibus non Protestantium modò animi ab eo sunt abalienati, sed & Germanorum natio non parùm offensa, qvippe qvæ indignè ferret, rem eò esse prolapsam, ut ab unius hominis externi arbitrio & nutu omnia penderent. Nam hoc ipsum Albertus Marchio posteà, cùm se Mauritio adversus Cæsarem ad-

h) De qvo Sleidan. p. 755. Thuan. f. 198.

jungeret, scripto publico inter causas expeditionis non postremo recensuit loco. Certè improbitati hujus versuti hominis præcipuè tributus est ille dolus, qvi Landgravium Hassiæ Philippum irretivit. Commissâ ad Mulbergam pugnâ, cùm Joannes Fridericus Elector captus, eoqve casu fortunæ Protestantium maximè attritæ essent, restabat copiarum Ductor summus alter, Landgravius. Qvem cùm Mauritius gener facilè videret imparem esse sustinendæ jam Cæsaris potentiæ, neqve tamen extrema eum experiri, pro necessitudinis mutuæ vinculo, vellet, cum Septemviro Brandeburgico Cæsarem ita reconciliavit, ut si supplex Landgravius veniam expeteret, recipiendum se intelligeret in gratiam. Perscriptæ sunt igitur & obsignatæ à Cæsare literæ Germanicâ lingvâ, qvibus inter alia, qvæ ipsi prolixè Cæsar pollicebatur, hoc qvoqve contentum erat, si Landgravius conditiones ibi propositas (erant autem sanè tolerabiles,) impleret, non esse ullam ipsi metuendam custodiam aut captivitatem *i)*. Verùm unius literulæ cavillatione circumventus est ab Hispanicâ fraude Germanus Princeps, cùm ipsi contrà datam fidem captivo, & ad formulam reconciliationis provocanti, responderetur, nihil in literis de *ullâ*, ut ipse vellet, sed de *perpetuâ* captivitate consignatum esse: est enim in his duobus vocabulis, si qvis ea germanicè con-

i) vid. Eccard. de lege Regiâ p. 153.

consideret *k)*, facilis fraudi locus. Neqve à Cæsare precibus, qvod maximè agebant Mauritius, & Elector Joachimus, impetrari potuit, ut Landgravius dimitteretur, cùm is ad extremum malle se diceret, ut transactione omni rescissâ domum rediret Landgravius & institutum suum prosеqveretur, qvàm ut sua literarum interpretatio mutaretur *l)*. Id indignè factum meritò plerisqve visum est *m)*, Cæsaris candorem & Consiliariorum prudentiam in eo desiderantibus, qvi vafrâ argutatione fidem Imperatoris in dubium vocaverint, & maximorum Principum, deqve Carolo optimè meritorum offensionem ex eâ occasione in ipsum concitaverint. Ad invidiam Cæsaris fecit & illud *n)*, qvòd Joannis Friderici custodiam Hispanis commisisset, ac non Germanis potiùs, qvorum tamen fidelem operam eo in bello expertus erat. Ac parum defuit, qvin exacerbatis Germanorum animis jam tùm, cùm Halæ adhuc versaretur Imperator, hi in Hispanos commilitones ortâ super pabulatione (ut fit) rixâ arma converterent. Sed videtur Carolus, ne planè nihil Hispanis & Pontificiis suis, nimiam in eò versus hostes clementiam culpantibus, gratificaretur, hoc eorum gratiæ dedisse. Ita factum est, ut, dùm conservare sibi utriusqve partis studia voluit, utriusqve perdiderit, qvod ipse posteà in fugâ

k) Ohne einige (ewige) Gefängniß. *l)* Meickel. de obsid. Magdeb. p. 28 *m)* Thuan. f. 81. *n)* Id. f. 79.

fugâ Oenipontensi, audiente Lazaro Schwendio, qveribundi in modum fassus est *o)*. Ac Mauritium qvidem deliniendum putavit objectâ veluti prædâ dignitatis Electoralis, qvam brevi pòst in Comitiis, Augustæ Vindelicorum institutis, in eum transtulit. Sed ex eo tempore in negotium religionis ita incubuit, ut ferventiùs anteà nunqvam. In qvo qvidem hoc aberrasse videtur, qvòd putavit, dissensiones circà sacrorum cultum aut prudentiâ suâ posse conciliari, aut potentiâ qvasi amputari. Jussis igitur adesse Principibus & Ordinibus Imperii, postulavit, ut universi decretis Synodi Tridentinæ jam inchoatæ se obtemperaturos esse promitterent *p)*. Posteà cùm Tridento Bononiam subitò esset discessum, migrationem istam iniqvissimo animo tulit, & interpretans Synodi dissolutionem, misit eâ de re Legatos conqvestum ad Pontificem. Sed ea responsa data sunt, unde liqvidò perspiceretur, Papæ qvalescunqve Synodi liberæ (qvalem maximè optabat Carolus) actiones instituere placuisse nunqvam *q)*. Nihil enim graviùs metuit ea bestia, qvàm ne in Concilio libero, cujusqve autoritas sit Pontificiâ major, sua fœditas detegatur. Igitur Carolus reputans, neqve se dignum, intermitti illarum rerum tractationem, neqve suis multiplicibus promissis de controversiarum Eccle-

o) Merckel. d.l.p.30. *p)* Camerar. de vitâ Phil.Mel. p.269. *q)* Id. ibid. p.271.

Ecclesiasticarum cognitione consentaneum esse, relinqvi incerta, dubia, litigiosa omnia, consilium cœpit excerpendi qvædam ex iis scriptis, qvæ superioribus annis ad concordiam dissentientium de religione fuerant proposita *r*). Atqve ita liber paucorum qvorundam clandestinâ & tenebricosâ operâ consutus prodiit, qvo præscribebatur, qvid *interim*, dum decreta Synodi prodirent, fieri servariqve oporteret. Unde liber ille, qvasi tituli nomine, vocatus est *Interim*; & dedit facetis multa salsè dicendi occasionem, cùm qvidem neutri parti placeret, & utriqve, etsi non eodem modo atqve proposito, eum repudiarent *s*). Sed ursit nihilominùs pro potestate suâ Carolus jussum de recipiendo libro illo, & tanqvam de eo consensissent Principes universi, neqve recusationem, neqve preces, deniqve nihil, qvod contradiceretur, admisit *t*). Ita status multarum superioris Germaniæ Ecclesiarum miserè perturbatus fuit, ejectis atqve spoliatis piis pastoribus, qvi reclamarent, non etiam nullis in custodiâ detentis *u*). Ac in his qvidem regionibus etsi multorum animi periculi metu casibusqve aliorum territi adeò inclinabant, ut viderentur citiùs servitutem, qvam vocabant, in rebus adiaphoris, magno sanè veræ doctrinæ cum præjudicio atqve damno, qvàm gloriosum exilium suscepturi esse;

r) Ib. p. 273. *s*) Ibid. p. 274. *t*) Ib. p. 275. *u*) Id. ibid. p. 268.

se: prudentiâ tamen atqve industriâ Mauritii Electoris effectum est, ut nihil innovaretur. Neqve enim is ullo modo in admissionem istius interreligionis consenserat, id tantùm promiserat Imperatori, se Theologorum super eâ re suorum judicia exqvisiturum. In his sacrorum perturbationibus maximè Civitatis Magdeburgensis non laudanda solùm est constantia, sed salutaris qvoqve Ecclesiæ Christianæ fuit opera. Cùm enim per reliqvas passim Civitates severitate Cæsaris & potentiâ perculsi qvam plurimi ne hiscere qvidem adversus sacrum illud monstrum auderent, paucissimis autem iis, qvi officium suum agere, & ingruentem lupum scriptis etiam inclamare vellent, occlusæ essent omnes officinæ typographicæ: Magdeburgenses Deus eâ animi firmitudine donaverat, ut vel soli se objicere non dubitarent *w)* Itaqve ex eorum typographeis exierunt multi libri non Flacii tantùm atqve Galli, qvi tùm in urbe erant, sed aliorum qvoqve, qvi aliunde chartas domi perituras illuc miserant. Qvanqvam hîc fortasse modum excessit qvorundam in re seriâ festivitas, qvòd picturis & cantionibus parum honorificis ludere voluerint; aliorum etiam accusanda temeritas videtur, qvi Mauritium, ut parum constantem traduxerunt. Sed illi nimirum putaverunt ulciscendas sibi esse pari pretio picturas paulò post cladem Mulbergensem

w) Merckel. de obsid. Magd. p. 38.

ſem diſperſas, qvibus Germanicæ nationi in calamitate inſultabatur, &, tanqvam victæ triumphus ageretur, captivæ illius vincula catenæqve oſtentabantur x); hi autem re parùm exploratâ rumuſculis undecunqve advolantibus fidem adhibuerunt. Condonemus, autem humanæ imbecillitati, ſi amore Chriſtianæ libertatis nimium evecta laſcivire alicubi, aut à tramite rectitudinis parumper deflectere animadvertitur. Ingrati autem ſimus profectò, niſi fateamur, eo tempore Magdeburgenſibus ſcriptis potiſſimùm Metaxycis, hoc eſt Interimiſticis conſultationibus impoſitam ſuiſſe fibulam. Qvâ in re profectò non prædicanda ſolùm iſtius urbis eſt pietas, ſed & ſummè admiranda conſtantia atqve magnanimitas, qvippe qvæ tanti victoris iram in ſe concitare, tàm nullis ſociorum fulta præſidiis, tàm alieniſſimo, ut videbatur, tempore, veritatis tuendæ gratiâ non dubitaverit. Omnes enim jam propè adverſarios ſibi ſubjecerat is Cæſar, cujus non minùs ſeveritas obſtinatis timenda erat, qvàm exſpectanda flexibilibus clementia. Jam capti erant ſummi duo copiarum ductores. Jam civitates omnes Smalcaldico fœderi renunciaverant, atqve ſe victoris benignitati ſubmiſerant. Sola Magdeburgenſium urbs permanſit in fide; qvanqvam & Bremenſes nondum erant conciliati: ſed ſoli certè, qvos dixi, Magdeburgenſes

x) Camerar. de vitâ Phil. Mel. p. 277.

genses ita perstiterunt, ut deserti ab omnibus deserere ipsi propugnationem Evangelii noluerint, parati extrema citiùs perferre qvàm Ecclesiæ opem suam denegare. Itaqve Imperatoris edicto proscripti atqve hostes appellati fuere *y*). Hoc enim inprimis momordisse Cæsarem creditur, qvòd consilia sua temperandæ religionis horum libris disturbari videret. Obsidendæ urbis provincia Mauticio Electori data est. Qvam si qvis eum suscepisse miretur, qvòd iniqvum putet, propugnatores religionis ab eo infestari, qvi ne ipse qvidem desertor audire velit, ille monendus est, Mauritium amicissimo animo ad hanc obsidionem accessisse. Jam enim tùm suboluerat ipsi, qvid suæ religioni timendum esset: sed dissimulatorem dissimulatione aliâ fallendum sibi putavit, qvòd nondum occasio maturuisset, qvâ feliciter audere posset. Qvod ipsum si qvis adhuc reprehendendum existimat, næ illum artium bellicarum mirè ignarum esse oportet. Fuit autem Mauritius noster Bellicosorum sui temporis Principum facilè primus. Sed hæc potiùs, qvoniam implicata sunt, relinqvamus. Illud mihi videor affirmare liqvidò posse, si Mauritio animus fuisset, obsidionem seriò urgendi, longè aliter rationes ejus moderaturum fuisse. Qvi enim interfuerunt, scriptisqve postmodùm consignatam ad nos transmiserunt, continuatam potiùs ob-

y) Id. ibid. p. 283.

obſidionem, qvàm oppugnatam urbem aſſerunt. Toto certè illo tempore, qvod ſpacium annuum paulò excedit, nulla in muros immiſſio militum facta legitur; neqve fame macerari urbs poterat, qvæ largam haberet alimentorum copiam. Illud igitur qvæſivit Mauritius, ut tempus extraheret, ſuisqve conſiliis acqviereret maturitatem. Qvàm autem animo eſſet in cives benevolo, ut illud taceam, qvòd honeſtisſimis, qvasqve vix à Cæſare ſperare potuiſſent, conditionibus urbem in fidem Imperii recepit, vel hoc maximè declaravit, qvòd oppido potitus Theologorum eum, à qvo maximè ignominioſis picturis & rhythmis exagitatus fuerat, impunitum dimiſit, cæteros tantùm leviter objurgavit, civibus autem univerſis ſalutem, famam, bona, privilegia omnia integra conſervavit *z*). Qvid in hâc igiur expeditione bellicâ magis mirer, non video: an Magdeburgenſium in fide orthodoxâ conſtantiam? an Mauritii in adminiſtrando bello prudentiam? qvâ duas res difficillimas eâdem operâ aſſecutus eſt, ut & Romano Imperio recuperaret celebratiſſimam urbem, & religioni nihil incommodaret, ac potiùs initium reperiret ulciſcendæ patientiæ diuturnæ. Cùm enim videret, nullum eſſe injuriarum atqve fraudium finem, captivos non reddi, ac ne tot qvidem in Cæſarem meritis unum, eumqve ſibi ſocerum, condo-

 nari,

z) Merckel. d. l. p. 69.

nari, qvem constabat vaferrimis dolis in custodiam illectum esse: decrevit tandem armis reposcere, qvod humili petitione tàm diu frustrà tentâsset. Atqve urgebant eum inprimis filii Landgravii, qvibus fidem suam jam initiò interposuerat de restituendo Patre. Igitur sociato occultè cum Rege Gallorum fœdere, adscitoqve in societatem hujus belli Marchione Alberto, tantâ celeritate usus est, ut Imperator priusqvàm de motibus Mauritii qvicqvam audiret, acceperit per fecialem belli indices literas *a)*. Qvi ubi posteà & de adventu ejus cognovit, qvamvis adversâ valetudine & pluvioso cœlo, per noctem lecticâ vectus ad tædarum lumen cum Ferdinando Fratre, ceteroqve comitatu, magnâ trepidatione Oeniponte discessit, ac ad oppidum Carinthiæ Villacum contendit *b)*, relinqvens locum post tot continuatas victorias felicitati alienæ. Sanè verò fortissimus Heros Mauritius & constantiæ diuturnitate, & excelsi animi robore, & consiliorum prudentiâ, & rerum gestarum amplitudine tùm declaravit, non esse prorsus oppressam neqve captam Germaniam *c)*. Confectis igitur iis rebus, & ea consecutus, propter qvæ expedita arma fuissent, pacem fieri facilè libenterqve est passus *d)*. Atqve sic liberati sunt è custodiâ Principes captivi, Germanicæ libertatis & fortitu-

a) Calvis. Chronol. sub anno 1552. *b)* Thuan. f. 201.
c) Camerar. vit. Phil. Mel. p. 322. *d)* Id. ibid. p. 325.

titudinis laus recuperata, religiosa pax Passavii sancita, libro Interreligionis exeqviæ factæ sunt. Possem jam, A. ostendere, qvàm eadem fabula mutatis saltem personis hoc etiam nostro seculo acta sit. Nam & proscriptos Principes, & arma in cognatos, in socios religionis, in Germanos à Germanis sumpta, fortunam Cæsaream initiò multis victoriis confirmatam ad extremum claudicâsse, peracto deniqve bello religionis pacem confirmatam esse, & alia multa illis temporibus similia cognovimus. Sed intelligo tempus mihi effluxisse: neqve est, ut operosè ea consecter explanare dicendo, qvæ nostrûm obscura sunt nemini.

Qvod restat, gratias agamus Deo omnipotenti, qvi uti superioribus seculis majores nostros, ita hâc tempestate nos etiam eorum posteros, clementissimè à tot periculis vindicavit. Agamus autem eò majores, qvò diutiùs nobis cum desperatione fuit confligendum. Nam illorum bellum ferè septem annorum spacio detumuit, nostrum tribus exactis decenniis finiri vix potuit. Rogamus Te, Imperiorum omnium moderator Deus, & Ecclesiæ Tuæ conservator, ut Clementissimum Electorem nostrum, cum Filiis & Saxoniæ domûs inclytâ Familiâ universâ, omni rerum prosperitate donare velis; Ecclesiæ autem Tuæ, atqve adeò urbi qvoqve nostræ & Academiæ hæc halcyonia esse perpetua, neqve permittere, ut constituta

pax aut inqvietorum hominum ferociâ rumpatur, aut dolis malevolorum subruatur! Exaudi nos! Deus pacis, exaudi nos! Ita Te perpetuæ aliqvando tranqvillitatis compotes laudabimus in æternum!

ORATIO VII.

De CHRISTIANO I. Electore Saxoniæ,

Habita in Templo Academico

A. 1651. d. 25. Septemb.

in anniversariâ ipsius memoriâ.

RECTOR MAGNIFICE, &c.

Singulari Dei præpotentis consilio effectum est, ut Regum atqve Principum apud subditos magna semper fuerit veneratio. Etsi enim vestium externus splendor, & circumfusa undiqve stipatorum multitudo, qvæqve alia oculos vulgi in admirationem rapiunt, non planè nihil autoritatis illis conciliat, præsertim apud infimam plebem: fatendum est tamen, majus aliqvid atqve augustius intercedere oportere, qvo cordatis atqve sapientioribus viris, qvi nihil temerè admirari solent, Principes ad obseqvium & reverentiam commendentur. Nimirum occultâ lege qvasi particulam qvandam suæ majestatis maximum Numen iis imposuit, ut

ut pro terrestribus qvibusdam diis (qvod nomen & sacrâ scripturâ tribuente obtinent,) passim per suas ditiones suspicerentur, colerenturqve. Atqve hæc majestas cùm aliàs sæpe, tùm inprimis in gravissimis interdum periculis eluxisse exemplis qvibusdam probatur. Non enim rarò compertum est, eos, qvi nefariâ cogitatione Principibus suis necem deliberaverant, cùm omnibus ad perpetrandum facinus adminiculis instructi exeqvi id voluerunt, solo Principum adspectu ita territos fuisse atqve confusos, ut mutatâ confestim sententiâ conceptum animo nefas omiserint. Ita Octavium olim Augustum, ita Sigismundum Imperatorem, ita recentiore memoriâ Carolum V. ita magnæ qvoqve Britanniæ Regem Jacobum VI. atqve alios ab ultimo discrimine servatos *a*) historiarum monumenta declarant: qvanqvam non hæc ita sunt perpetua, ut non aliqvando permiserit Deus nefariis parricidiis Principum majestatem violari. Cujus sceleris hæc ipsa ætas nostra tàm immane exemplum vidit, qvod in Jacobi modò commemorati filio perpetratum est, ut simile in nullius gentis, nullorumqve temporum historiâ reperiatur. Sed qvid est adeò sanctum, qvod, ubi semel honestatis frenum excussit, licentia non audeat profanare? Manet nihilominus, manebitqve in perpetuum apud omnes populos, qvi non abjece-

 runt

a) vide Camerar. I. succis. 30. & II. 7.

runt divinarum constitutionum observantiam, sacrosanctum nomen regiæ dignitatis, ut constet, qvantam cæteris animantibus in hominem, tantam hominibus ipsis in Regem à naturâ ingeneratam esse reverentiam. Certè gentes olim qvædam adeò suorum Principum reverentes fuisse cognoscuntur, ut nimia illarum in eos pietas pietatem adversùs Deum prorsùs obsecuraverit, cùm indignos planè, neqve in alium, qvàm solum & unum Deum competentes honores illis tribuerent. Non de Persis jam dicam, qvi vivos etiam adhuc Reges suos Numinum instar colebant atqve adorabant, adeò sanctam habentes eorum præsentiam, ut coràm tussire, spuere, oscitare, nares emungere nefas judicarent *b*). Tantùm qvid mortuis contigerit, dicam. Nulla enim propemodùm gens fuit, qvæ non è Regibus suis, aliisve de universâ Republicâ bene meritis viris, unum atqve alterum ab obitu ipsius receperit in numerum Deorum, templisqve eum, aris atqve sacrificiis religiosè coluerit, sive primum eum generis sui auctorem, sive Regni conditorem aut amplificatorem, sive legum ordinandæq; vitæ autorem haberent. Hinc Jovem Cretenses, Apollinem Delphi, Alabandum Alabandi, Tenedi Tenem, Macedones Cabyrum, Tarentini Palantum, Romani mutato Romuli nomine Qvirinum, alii

b) Chok. Thesaur. p. 3.

alii alios divinis honoribus affecére *c*). Qvin ipsi etiam Germani nostri, cùm apud eos, ut apud cæteras nationes, omnia adhuc superstitionibus plena essent, qvintum suum Regem Hermannum, qvem post mortem in ursæ sidus, qvod hodieqve plaustrum à nobis Hermanni vocatur, vanâ persvasione evectum credebant, instar Numinis cujusdam sospitatorem rebus suis invocarunt *d*). Qvæ cùm ita sint, summo nobis elaborandum est studio, ut in celebrandâ Principum atqve Heroum memoriâ mediam insistamus viam, neqve patientes, ut præclara eorum merita ingratum sepeliat silentium, neqve eos tamen ultrà conditionem suam altiùs, qvàm sinit religio, evehentes. Atqve hanc consvetudinem in qvatuor Saxoniæ Electoribus laudatissimis nostra observat Academia, in Mauritio inqvam, Augusto, Christiano primo, & Christiano secundo; in qvorum commendationem singulis annis publico in hâc Æde congressu solennis habetur oratio iis diebus, qvibus qvisqve mortalium cœtui exemptus est. Hîc enim annuâ commemoratione virtutum, qvibus hi Principes emicuerunt, efficimus, ne illi debito pietatis officio post mortem fraudentur, & omnia tamen ad supremum cujuscunqve boni Datorem DEUM referimus, ut eâdem operâ & in cœleste illud Numen, & in hos veluti terre-

c) vide Lactant. lib. I. c. 6. & 15. Cic. III. de nat. deor. p. 67. Justin. lib. III. p. 48. *d*) Dress. I. Isag. p. 244.

terreſtres olim Deos grati eſſe videamur. Atqve centum jam propemodùm anni effluxerunt (non enim plures duobus ex eo numero deſunt) cùm primo omnium hoc ipſo in templo, in hâc ipsâ cathedrâ, Mauritio Electori parentatum eſt. Cùm enim contingeret fortiſſimi Ducis funus per hanc urbem deduci, nefas eſſe rati ſunt Academici Patres, ſi dolorem ſuum publicâ panegyri non teſtarentur. Itaqve Clariſſimo Viro Joachimo Camerario dicendi partes attributæ ſunt. Poſteà annitente maximè Franciſco Crammâ Sagano, Jurisconſulto, (cujus effigiem in cœnaculo Novi Collegii depictam habemus,) effectum eſt, ut anniverſariæ hujus Principis memoriæ perpetuitas conſtaret *e)*. Inde communi bonorum omnium ſuffragio inſtitutum, ut cæterorum qvoqve, qvi Mauritium inſecuti ſunt, Ducum Saxoniæ Septemvirorum qvotannis feſta atqve ſancta haberetur memoria. Ac hodierna qvidem dies Chriſtiani I. celebrare nos jubet memoriam. Qvantum igitur per unius ſemihorulæ ſpacium licebit, totam illius vitam, repetitâ à nativitate ejus, productâqve in mortem usqve narratione, breviter percurram. A Vobis autem, Rector Magnifice, cæteriqve Auditores ſplendidiſſimi, pia tanti Principis recordatio facilè ſpero impetrabit, ut mihi differenti benignam aurium operam locetis.

Nu-

e) Camerar. Orat. de Maurit. p. 284. 285.

Numerosa fuit Augusto Electori ex Annâ conjuge, Potentissimi Daniæ Regis Christiani III. filiâ, soboles, qvippe qvæ illi virilis sexûs novem, fœminei sex liberos peperit*f*). Ex illis Christianum nostrum nascendi ordine qvinqve fratres antecesserunt, Joannes scilicet, Henricus, Alexander, Magnus, Joachimus, atqve Hector; tres insecuti sunt, Augustus, Adolphus, & Fridericus. Hæc si qvis audiat, neqve qvid evenerit posteà, habeat perspectum, nonne is familiam Augusti iis auctam incrementis sic fuisse existimet, ut qvod apud Poëtam*g*) Niobe, septem filiorum, totidemqve filiarum parens, jactat, tutam se esse illâ copiâ, atqve adeò majorem, qvàm cui nocere fortuna posset, idem felicissimus parens Augustus usurpare, si efferre se voluisset, potuerit? Sunt enim filii veluti columnæ qvædam domûs, qvibus qvò pluribus fulta illa est, eò minus causæ habet, cur ruinam extimescat. Verùm si qvis ludentem in mortalium rebus divinam Providentiam consideret, qvamqve nihil in humanis præsidiis, nisi divinitùs confirmentur, sit roboris, minùs ille mirabitur, ubi intelliget, parum afuisse, qvin hæc tàm florens, tàm copiosa familia cum Parente extingveretur. Certè in hâc ipsâ Ducum Saxoniæ laudatissimâ prosa-

f) Vide Fausti Stammbaum p. 288. seqq. *g*) Ovid. VI. Metamorph. p. 191. *tutam me copia fecit. Major sum, qvàm cui possit fortuna nocere.*

piâ vel Georgius Princeps, Augusti Electoris Patruus exemplo fuit, qvàm facile sit Deo, in summum vigoris fastigiam evectam stirpem uno qvasi momento dejicere atqve removere. Educaverat ille è qvinqve filiis duos inprimis Joannem atqve Fridericum *b*), florentissimos juvenes; utrisqve in matrimonium conjunxerat optimorum Principum filias, & ætate & pulchritudine florentes: sed amborum funera mœstissimo atqve infelici Seni intrà triennium curanda fuerunt, cùm è neutro nepotem vidisset, atqve sic ad Henricum fratrem, Christiani nostri Avum, devoluta est Provinciarum hæreditas. Non jam inqviram, qvo id consilio Deus moderatus esse videatur: satis habeo ostendisse, qvod Georgii Ducis, idem Augusti Electoris familiæ contingere potuisse, ut illa intermoreretur eo tempore, qvo maximè fundamenta ad æternitatem jecisse videbatur. E tot enim filiis, qvot dixi, nemo Patri superstes fuit, nemo ad eam ætatem, qvæ procreationi apta est, vivendi terminum produxit, præter unum Christianum. Cæteri omnes acerbo funere terris erepti sunt, anteqvam infantiæ annos excederent, nisi qvod Alexandri ætas in undecennium patuit. Adeò ejusdem Divinitatis est & convellere ea, qvæ nexibus firmissimis solidata esse creduntur, & rursus erigere,

qvæ

b) vid. Faust. d. l. pag. 211. 212. Fabric. Orig. Saxon. f. 877. seqq.

qvæ tantùm: non in pulverem intelliguntur, concidisse, cùm tàm potens sit, ut vel è lapidibus Abrahamo filios suscitare qveat. Qvis autem non evidentissimè hinc perspiciat, DEO T.O.M. singulariter dilectum fuisse Christianum? utpote, qvem unum inter tot Fratres jamjam ruituræ familiæ columen esse voluerit, ejusqve posteritatem in tantam evexerit amplitudinem, qvantam hodiè admirandæ in hoc genere felicitatis Filius Joannes Georgius, cujus nomen nunqvam sine veneratione proferre fas est, Dominus noster clementissimus, cum omnium subditorum gratulatione præsens intuetur. Qvis non argumentum agnoscat expressissimi in hanc domum Saxonicam Divini amoris, qvam toties qvasi ab internecione præsentissimâ revocavit? Si enim præteritorum temporum annales evolvimus, jam ante Christianum ter contigisse reperiemus, ut in uno capite, qvod in extremum vitæ periculum adductum esset, hæc universa Serenissima gens periclitaretur: bis qvidem in Proavo Alberto, semel in Henrico Avo. Opinor autem esse nostræ pietatis, qvoniam in hunc locum dicendo evecti sumus, ut gratâ recordatione hæc DEI beneficia recolamus. Fuerunt Friderico II. qvem Placidi cognomine decorant historiæ, duo filii, Ernestus atqve Albertus, ultimi autores Saxonicarum, qvæ sunt hodiè in his provinciis, familiarum. Nam ab Ernesto, Vinarien-

rienſis atqve Altenburgenſis, ab Alberto Dresdenſis, qvæ jam Septemvirali dignitate ornata eſt, deſcendit proſapia. Hos ambos admodùm juvenes, (nondum enim, qvi major natu erat, Erneſtus qvartum decimum ætatis annum exceſſerat,) abſente Patre, ex arce Altenburgenſi, jam propè ante ducentos annos inaudito plagio noctu extraxerat Kaufungus qvidam, audaciſſimæ vir ferociæ. Longùm ſit, ſi, qvâ occaſione, qvibus adminiſtris, qvibus machinis hæc geſta ſint, exponere velim, neqve id mihi inſtituti ratio flagitare videtur. Tantum igitur hoc dicam, in illud diſcrimen adductos fuiſſe optimos Principes, ut, niſi è manu plagiariorum, qvi in facinoris ingreſſu ſtrepitum moturis jam ſicas intentaverant, ſingulari DEI munere ſalvi atqve incolumes evaſiſſent, in his duobus pueris qvicqvid hodiè Principum Misniam atqve Thuringiam imperio moderatur, tanqvam in ſtirpe fuiſſet extinctum. O mirabilem Dei bonitatem! qvæ in his duobus adoleſcentulis tàm illuſtrem, tàm copioſam, tàm ſplendidam poſteritatem conſervavit. Hic fuit Albertus ille, cui non tantùm Chriſtianus noſter primus originem debet *i)*, ſed & qvi poſteà bellis pro Imperio Romano adverſus Hungaros, Gallos, Belgas, alioſqve populos gerendis adeò inclaruit, ut à Belgis Germanorum Rulandus, ab ipſo Pontifice Innocentio VIII. dextera

i) Menz. Stambaum/ p. 208.

tera manus Imperii nominaretur *k*). Sed aliud periculum hujus Alberti accipite. Mortuo Georgio Podiebracio, Bohemorum Rege, etsi filios ille tres reliqverat, pro eâ tamen, qvâ tùm utebatur illa natio, regem eligendi liberâ potestate, regnum Alberto deferebant Bohemi. Qvod suscepturus optimus Princeps Pragam ingreditur *l*): neqve enim mali qvicqvam verebatur, & jure qvodam deposci se videbat, qvòd Georgii filiam Zedenam, qvam Sidoniam nos vocamus, haberet in matrimonio *m*): atqve hinc scilicet Georgii nomen in hanc familiam traductum est. Verùm admonitus fuit paulò pòst, caveret sibi ab insidiis, videretqve, ne à Bohemis cum universo comitatu trucidaretur, qvippe qvi à Friderico Bellicoso acceptas clades in Alberto nepote sic ulcisci cogitarent. Nihil tùm propius fuisse scribitur, qvàm ut meditatum facinus exitum habuisset eum, qvem destinaverat qvorundam perfidia. Itaqve per simulationem diuturnæ mansionis frustratus est eorum consilia Albertus, celeriterqve eo, qvo minimè opinabantur, tempore, cum suis omnibus urbe excessit, regnumqve Ladislao, Poloniæ regis filio, (hunc enim seriò elegerant Bohemi,) reliqvit. Alter hic casus fuit, qvo, nisi cavisset Deus, in Alberto omnes fuissent excisi posteri. Etsi enim jam è Conjuge mascu-

lam

k) Fabric. Orig. Sax. f. 830. *l*) Id. ibid. f. 802. 803.
m) Faust. Stamb. p. 203.

lam prolem susceperat, nondum tamen natus fuerat Henricus, qvi posteà genus ad Christianum nostrum primum propagavit. Atqve hic ipse Henricus, anteqvam uxore ductâ secuturis seculis prole prospiceret, parum afuit, qvin infando scelere interciperetur. Alberto Patre jam grandævo, Frisiæ fuerat gubernator impositus. Verùm statim atqve abiit Pater, contemptâ ætate Henrici ad arma nonnulli concurrunt, Franikeram obsident, expugnant, Principem in potestatem redigunt, innocentiqve mortem intentant, perfecissentqve facinus, nisi accelerato Patris reditu è faucibus mortis filius fuisset liberatus *n)*. Hæc eò, A. H. commemoro, ut intelligatur, qvanta fuerit semper in hanc augustissimam familiam Dei sospitatoris providentia, qvam toties desperatis omnibus incolumem conservavit. Nos ipsi adhuc Wanckianam conjurationem tenemus memoriâ, qvâ Serenissimus Elector noster, qvem vivum adhuc nobis gratulamur, utqve in annos plures ejus senectus prorogetur, Deum oramus, cum stirpe universâ ad internecionem petebatur. Utqve molitionem istius sceleris reminisci sine horrore non possumus, ita frustrati exitûs recordatio non potest non cum summo gaudio esse conjuncta. Sed ad Christianum revertatur oratio. Is cùm natus esset anno superioris seculi sexagesimo *o)*, qvi Philippo Melanchthoni

n) Fabric. Orig. Saxon. f. 838. *o)* Vide narrationem

ni fuit emortualis, non nomine tantùm Christianum III. Daniæ Regem, qvem maternum habuit avum, retulit, sed insignibus qvoqve animi virtutibus expressit. Qvanqvam enim non semper cum nominibus ipsis præstantium virorum ingenium transfunditur: tamen heroicas mentes è nominum contemplatione stimulum virtutis concipere solere dubium non est. Id intelligens olim Alexander Magnus, cùm Aornin Indiæ rupem oppugnare vellet, qvam natura ipsa prope inexpugnabilem effecerat, juvenibusqve promptissimis triginta negotium dedisset, prærupta illa scandendi, non efficacius putavit Ducem illorum accendi in pulcherrimi facinoris audaciam posse, qvàm si nominis eum sui admoneret, qvod sibi cum eo commune esset *p)*. Sic igitur credibile est, Christiano qvoqve, qvotiescunqve pietatis, clementiæ, mansvetudinis exercendæ occasio objiceretur, in mentem venisse Avi sui Christiani, cujus turpe sibi existimaverit, si solum nomen, non simul etiam virtutes imitaretur. Sed & Friderici secundi, qvem Avunculum habuit, laudatissimi Danorum Regis mores atqve ingenium in hoc nostro, tanqvam in speculo reluxerunt; id qvod partim sangvinis propinqvitati, partim educationi tribuendum esse video. Biennium enim, qvanqvam infans admodùm, in Daniâ hæsit, ab

de hoc Electore Christiano p. 5. E qvâ & in seqventibus passim plura hîc repetiimus. *p)* Curtius lib. VIII. c. 11.

ab aviâ maternâ, qvæ eum in deliciis habuit, abductus. Porrò celsitudinem animi à Mauritio patruo adeptus est, qvæ & in puero jam tùm ita effulsit, ut eum mater blandiens sæpe Mauritiolum suum lingvâ Danicâ appellaret. Nam sicut heroicis qvibusdam familiis nativæ qvædam corporum notæ hæsisse leguntur, qvalis olim lancea fuit Spartiatarum, & Seleucidarum anchora, ipsis nascentium ingenita corporibus *q)*: ita & hæreditarias animi dotes in posteros spargi non absonum est affirmare. Qvòd si apud Romanos olim, ut Plinius in panegyrico *r)* testatur, frugalitate Pisones, Sapientiâ Lælii, pietate Metelli monstrabantur; si Cassiis severitas, constantia Brutis, Fabiis amor patriæ gentilitius fuit *s)*; si populares Valerios, patritiæ contrà dignitatis assertores Appios, bellicosos Scipiones, qvasi ingenitâ animi efformatione fuisse constat *t)*: qvare nostris Saxoniæ Ducibus non hæreditarias qvoqve virtutes tribuamus, pietatem, clementiam, fortitudinem, justitiam, qvæqve alia Principem decorant insignia? præsertim cùm Christianæ religionis puritas illorum adhuc teneris mentibus instilletur, qvæ reverâ virtutum omnium radix est, atqve fundamentum. Sed hæc frustrà à me disputantur, nisi clarissimis indiciis ostendam qvoqve, in Chri-

q) Piccart. Dec. I. Observ. c. 7. p. 45. 46. *r)* cap. 88. *s)* Piccart. Dec. VI. Observ. c. 10. p. 313. *t)* Strein. de famil. p. 84.

Christianum nostrum Christiani Avi pietatem, Avunculi Friderici sapientiam, Mauritii Patrui fortitudinem atqve magnificentiam immigrasse. Pietatis cùm duæ partes sint, qvarum altera parentes aliosqve, qvos nobis necessitudo conjunxit, altera Deum ipsum immortalem respicit, utriusqve evidentissimum specimen in hoc Principe dabo. Nam & Patri Avoqve splendidissima posuit monumenta, & Mauritianum illud, à Patre incredibili magnificentiâ exstructum, deauratis cancellis, ut augustius redderetur, consepsit *u)*. Studium autem veræ atqve intemeratæ religionis, cujus capita in Augustanâ confessione, qvalis Imperatori primùm exhibita fuit, comprehenduntur, in ipso semper fuit eximium. Qvam & in his regionibus, qvantum qvidem in ipso fuit, illibatam conservare annisus est. Sed hîc qværat qvispiam, si hæc ita sunt, qvî factum fuerit, ut eo imperante Calvinianorum hominum tam infausta cohors in has regiones irruperit, sacrorumqve pervertendorum initium fecerit satis extimescendum? Eqvidem, A. O. jam à nobis alio tempore tota hæc fabula exposita fuit *w)*, satisqve, ut opinor, ostensum, illud malum non Principis religiosissimi culpâ, sed vaferrimorum qvorundam veteratorum machinationibus evenisse. Qvapropter non est, cur aures vestras

I repe-

u) Menc. Itiner. p. 98. Hemp. Begr. p. 22. 24. 25. *w)* Respice suprà ad Orationem V. de Christiano II.

repetitione illius injucundæ narrationis onerandas nunc putem. Tantùm breviter monstrabo, Christiani nostri animum, per omnem ejus vitam, adeoqve & illâ tempestate, verè Lutheranum fuisse. Cujus rei tot habemus, tamqve præclara indicia atqve testimonia, ut summæ sit impietatis, sanctissimum Principem sinistrâ aliqvâ suspicione gravare. Primùm inter omnes constat, Augustum Patrem acerrimis contentionibus pullulantem jam tùm in ditionibus suis hæreticam segetem exterminâsse. Qvin igitur filium qvoqve in eâ religione, pro qvâ tot ipse labores suscepisset, educari maximè voluerit, dubium esse non potest. Porrò qvod voluit tantoperè, qvo minùs assecutus sit, ne hujus qvidem rei causa, in tantâ rectè sentientium virorum copiâ, excogitari potest ulla. Est igitur animus optimi Principis à teneris statim ungviculis sinceræ fidei amore imbutus. Qvanqvam qvid opus est istis ratiociniis in rem inqvirere? Denunciemus testimonium Georgio Lysthenio, laudatissimæ constantiæ Theologo, qvi per annos qvatuordecim integros concionator ejus aulicus fuit, ut aperiat nobis, fueritne Christianus hæreseos Genevensis fautor? an potiùs genuinæ parti adhæserit? Eum, qvoniam respondere mortuus non potest, è scripto, qvo periculosam Exorcismi abrogationem recusat, qvodqve publicis typis excusum habetur in manibus, loqventem audiamus. Ibi

x) di-

x) disertis verbis, neqve uno in loco affirmat, Electorem, qvantum ad fidem Christianam attinet, prorsus inculpatum, minimèqve Calvinianum fuisse. Utri jam fidem adhibebimus? obscurone alicui tenebrioni, qvi, ne fateri cogatur, Calvinianam factionem fraudulentissimâ perfidiâ in circumveniendo integerrimo Principe usum, ipsum istorum flagitiorum conscium fuisse criminatur? an cordato Theologo, qvi sacrarum confessionum per tot annos particeps omnes Principis in isto negotio sensûs explorare potuit, à qvo apertè istius criminis absolvi eum audivimus? Atqve idem testatur Vir de Ecclesiâ Christianâ meritissimus Polycarpus Lyserus Senior, eo libello, qvem Crellianorum conviciis opposuit, ne venam qvidem ullam in Christiano Calvinianam viguisse asseverans y). Qvid his duorum testimoniis (qvanqvam nominari plures possunt) planius? qvid rotundius? qvid indubitatius? Nam & Lysero, qvid rerum in aulâ gereretur, obscurum esse non potuit. Qvod si qvis non contentus hisce testimoniis, ipsius Electoris factum aliqvod postulet, qvo istam animi sententiam declaraverit, dare & illud possumus. Cùm sub initium usurpati imperii Calvinianam qvandam Catechesin, nescio qvibus dolis in Gynæceum intrusam, puellarum manibus teri animadvertisset, ipse comprehensum libellum, tanqvam criminis mani-

 festum,

x) Lysthen. contrà Exerc. p. 7. y) Lyser. p. 7.

festum, in ignem conjecit. Cujus rei testes nominare possumus præter Lysthenium, Simonem qvoqve Gediccum, & Balthasarem Mentzium *z)*, qvi omnes illo ævo vixerunt, ne ex recentioribus qvenqvam appellem. Qvid hoc facto illustrius? qvi ad depellendam istam infamiam aptius? Neqve enim ab eo tempore sententiam unqvam mutavisse constantissimum Electorem doceri potest, qvi & sub ipsum mortis articulum severè præcepisse legitur Magistro, qvem filiis erudiendis præposuerat, ut eos catecheticâ solius Lutheri doctrinâ institueret *a)*. Hæc satis esse confido ad amoliendam à pientissimo Electore accusationem, qvâ ejus in religione sinceritas qvorundam voculis flagellata est. Ad Sapientiam ejus, animiqve generositatem, nihil humile molientis declarandam, properat nunc oratio. Cùm fideli Præceptorum operâ, præter latinæ italicæqvè Lingvæ cognitionem, illarum artium, qvibus gubernantur Provinciæ, accuratam sibi notitiam comparâsset, jam ætatis primo & vigesimo anno maturum habuit Pater, qvem in consortium adscisceret imperii. Igitur convocato Senatu Aulico per Illustrem Comitem Burgkardum à Barby, qvi tùm erat Proprinceps, Præsidem illum administrationis Electoralis pronunciari jussit. Qvam dignita-

tem

z) Lysthen. d. l. p. 8. Gedicc. Leichpr. Christ. I. p. 52. Mentz. Stambaum p. m. 248. *a)* Mentz. d. l. pag. 247. Frimel. Witeb. à Calvin. divex. p. 51.

tem qvinto pòst annó, cùm Augustus terrenum imperium cum cœlesti permutâsset, perfecta Septemviralis decoris usurpatio consecuta est. Qvo qvidem tempore non provincialium tantùm, sed exterorum qvoqve animos admiratione suæ virtutis jam adeò occupaverat, ut maxima sibi ab eo omnes pollicerentur. Hanc sui exspectationem non frustratus est, sed cumulatissimè implevit, impleturus etiam cumulatiùs, si plures imperii annos, in qvibus tanqvam in libero campo tot egregiæ virtutes decurrere possent, nactus fuisset. Fuit prætereà in ipso animi tanta magnitudo, qvanta in Mauritio Electore prædicatur: neqve ad bellicæ virtutis edenda specimina qvicqvam ipsi defuit, qvàm qvòd pacatissimos nulliusqve belli necessitate involutos habuit imperii sui annos: qvam ipse felicitatem suam interpretatus, non putavit qværendum sibi esse hostem, sed qvalem ab Augusto parente acceperat Provinciarum statum, talem qvoqve successori reliqvit. Qvi enim verè fortes sunt, non proprio, qvod ajunt, jumento periculum sibi accersunt, sed oblatum intrepidè sustinent atqve vincunt. Interim in otio illo ea meditatus est, qvæ bellum gesturo, si id foret opus, possent esse commoda. Nam urbi Dresdæ addidit propugnacula, aggeres altiores, fossasqve ampliores ac profundiores reddidit, turriumqve numerum auxit. Accesserunt exstructiones magnificæ in ipsâ urbe an-

te armamentarium, in qvo qvæcunqve arma conſpicerentur, ea ad totius Imperii Romani defenſionem parata eſſe, dictitare ſolebat. Atqve his omnibus præfuit ipſe, operarum monitor atqve hortator acerrimus. Cupidè enim amplexus fuerat Architectonicen atqve Opticen, qvibus in diſciplinis adeò excelluit, ut ſuâ manu formas aliqvot ædificiorum ſcitè deſcripſerit, qvarum exempla adhuc aſſervantur in illuſtri Technothecâ, qvam ipſe non paucis admirandi operis cimeliis auctiorem effecit. Solers inſuper certo ictu deſtinata ferire, ſive ſagittis opus foret, ſive globulis tormentariis. In exercitationibus autem eqveſtribus tantum ejus induſtria emicuit, ut plerunqve ex certaminibus victor rediret præmiis decoratus, non ſine fortitudinis & dexteritatis commendatione. In palæſtrâ eam oſtendebat corporis agilitatem cum artificio conjunctam, ut qvovis armorum genere etiam glorioſis provocatoribus formidabilis eſſet. Ad ſplendorem porrò aulicum qvod attinet, mandatum eſt memoriæ, nullum ex Principibus Germaniæ parem ei fuiſſe, imò ne ex majoribus qvidem ipſius qvenqvam. Ad corporis cuſtodiam alebat ex eqveſtri ordine qvinqvaginta nobiles juvenes, Carabinos vulgò appellatos. Præter hos ſtipatores habebat centum lectiſſimos, & corporis robore maximè conſpicuos; ad cuſtodiam urbis ducentos veteranos; in armamentario tormentorum æneorum

rum

rum magiſtros cum militibus triariis, cum centurionibus & vigilum præfectis ſexaginta: ut facilè appareret, qvis in bello futurus fuiſſet, qvi ſibi pacis tempore tàm firma præſidia comparâſſet. Ipſe induſtrius, ad omnia impiger noctu ſæpe cum paucis vigilias circuire, non per ambitiónem, aut qvòd diffideret, futura qvæ imperaviſſet, ſed qvod voluptati haberet ea, qvæ aliis gravia videntur ac moleſta. Qvalis autem, qvàm elegans, qvamqve magnificus in ædificiis fuit! Ne multa dicam, ſi nihil aliud qvàm eqvorum illam ſtationem Dresdæ, qvam novum ſtabulum appellant, exſtruxiſſet, ſatis tamen reliqviſſet, qvod qvamplurium Regum potentiſſimorum magnificentiæ opponi poſſet. Deum immortalem! qvæ iſtius ſtructuræ elegantia! qvanta amplitudo! qvàm immenſa non armorum tantùm omnium, ſed ornamentorum qvoqve ad rem eqveſtrem pertinentium copia! qvàm rara pretioſitas! qvàm admiranda elaboratio conſpicitur! ut ne per univerſam qvidem Europam ſimile qvid in hoc genere poſſit oſtendi. Atqve hoc incomparabile opus breviſſimo temporis ſpacio abſolvit, celeritate uſus incredibili, tanqvam præſagiiſſet animus, non diuturnam ſibi fore in his terris gubernationem. Eqvidem, A. O. duo ſunt inprimis monumentorum genera, qvibus immortalitatem qvandam adipiſci ſe poſſe mortales exiſtimant. Aut enim ſcriptis perfectis ingenio at-

qve elaboratis induſtriâ, aut duraturis ædificiis famæ perpetuitas qværitur. Qvorum illud etſi feliciùs ætatem ferre poſſe videtur, hujus tamen Principibus ſemper potior ferè cura fuit, ſive qvòd non alii eo genere uti poſſent, qvàm qvi potentiâ atqve opibus maximè pollerent, ſive qvòd plus dignitatis atqve ſplendoris ineſſe viſum fuit ſtructuræ alicui excelſæ, qvippe qvàm cujuscunqve conditionis, ſtudii atqve dignitatis homines æqvè ſuſpicere ac venerari poſſent, qvàm libello, erudito eo qvidem, ſed ex qvo non niſi literatus aliqvis voluptatem legendo capere, ac ferre de eo judicium valeret. In illo igitur genere, qvod Principem magis decet, Chriſtianus qvoqve noſter magnificentiam ſuam conſpici voluit. Qvòd ſi, ut apud Casſiodorum *b)* in epiſtolis Rex inqvit Theodoricus, *talis dominus eſſe creditur, qvale ejus habitaculum comprobatur:* annon vel hoc argumento Chriſtianum omnium virtutum apparatu elegantiſſimè inſtructum fuiſſe confici poteſt? Venio nunc ad exitum vitæ, qvem ille qvidem placidum neqve diuturnâ morbi jactatione ingratum, ſed præproperum tamen habuit, in ipſo ætatis flore, cùm vix qvinqvennium potitus imperio fuiſſet, cum bonorum omnium luctu exſtinctus. Mortem ipſi hoc inprimis acceleràsſe memoratur, qvòd cùm ad extremum perſpiceret, qvantum turbarum ſe inſciò clancularii Cal-

b) Caſſiod. lib. VII. epiſt. 5.

Calviniſtæ Eccleſiis ſuæ ditioni ſubjectis dedisſent, graviſſimum inde mœrorem concepiſſet. Eſt autem omninò mœroris eò acrior vis, qvò generoſior eſt ipſa natura. Ignobiles enim animæ ſucceſſuum infelicitate non admodùm afficiuntur. Qværit alicubi in problematis Ariſtoteles *c)*, qvid cauſæ ſit, qvòd homines, qvi vel in ſtudiis philoſophiæ, vel in Republicâ adminiſtrandâ, vel in artibus exercendis claruerunt ingenio, melancholicos omnes fuiſſe videamus? qvales inter Heroas Herculem, Ajacem atqve Bellerophontem fuiſſe cònſtat. Ac rationes qvidem affectûs hujus indagat prolixè, ſed eas repetere loci hujus non eſt. Scimus interim multis cauſam mortis fuiſſe mœrorem. Non dicam, qvod Henricus Stromerus Auerbachius, qvem hæc ipſa urbs ſuperiori ſeculo Medicum aliqvandiu habuit, ſæpe inter familiares ſermones feciſſe legitur: cùm qvadraginta amplius annis medicinam feciſſet, re ipsâ comperiſſe, plures homines mœſtitiâ atqve dolore animi mori, qvàm violentâ morte *d)*. Neqve Georgii Spalatini, Caroli Sigonii, aliorumqve eruditorum hominum exempla proferam, qvi nimio angore animi confecti ſunt. An non Jacobus V. Scotiæ Rex paucis poſt infelicem cum Anglo pugnam diebus dolore oppreſſus, qvem nata filia, cùm maſculi ſexûs hæredem

 ſpe-

c) Ariſtot. probl. ſect. XXX. f. m. 624. *d)* Melch. Adam. in vit. Theol. p. 100.

ſperâſſet, auxiſſe creditur, interiit *e)*? An non Caſimiro Brandeburgico Marchioni, cùm obiiſſet, cor exemptum ſimile apparuit pyro toſto, qvòd tale ex mœſtitiâ contraxiſſet *f)*? Mirum igitur videri non debet, ſi Chriſtiano qvoqve Electori ægritudo animi, qvam juſta adversùs impoſtores indignatio auxit, vitæ finem attulit. Ac vixit ille, ſi annos computamus, brevi admodùm tempore; ſi merita atqve opera, qvibus memoriam ſui conſecravit, minimè brevi: hoc ipſo feliciſſimus æſtimandus, qvòd inter filios his provinciis Johannem Georgium reliqvit, eâ moderatione, iis virtutibus Principem, ut meliorem poſcere hæc ætas noſtra non potuerit. Qvod beneficium, ſupereſt, ut à Deo collatum gratis pectoribus agnoſcentes pro ejus, qvem nominavi, Principis incolumitate totiusqve Saxonicæ familiæ ſalute vota ſuſcipiamus.

Tibi igitur, Summe Imperiorum omnium atqve Principatuum Antiſtes, DEUS potentiſſime, gratias agimus immortales, qvòd Patrem Patriæ, Sereniſſimum Electorem noſtrum ab his belli tàm diuturni tamqve atrocis ac propè deſperati tempeſtatibus eluctatum, nuper cum his provinciis in amœniſſimam tranqvillitatem repoſueris, iisqve interim Liberorum Nepotumqve acceſſionibus auxeris, ut blandiſſimus Pater in complexibus Filiorum Filiarumqve, non

e) Beuther. in continuat. Sleid. ad ann. 1542. *f)* Budæ. [illegible] p. 36.

non otio qvidem, qvod gubernandarum regionum ratio non finit, sed honestissimæ tamen recreationi permittere se possit. Ad hanc temporalem felicitatem nihil, qvod addatur, petere ultrà possumus, nisi ut grandævum Senem qvàm diutissimè adhuc perfrui hâc ingenuâ voluptate jubeas, ut qvot annorum molestias per incommoda belli devoravit, tót qvoqve annorum lætitiam experiatur! Conserva nobis Johannem Georgium, Septemviralis dignitatis hæredem! Conserva Reverendissimum Præsulem Augustum! Conserva Christianum atqve Mauritium, delicias harum regionum! Conserva Illustrissimorum Principum svavissimam sobolem, & perfice, ut nova subinde spes ex novis Familiæ Saxonicæ incrementis pronascatur! Felix Thuringia, Felix Misnia, Felix Lipsia nostra, si hanc gratiarum actionem, hæc vota, pari rerum ex animi sententiâ fluentium statu repetere qvotannis liceat!

ORATIO VIII.

De Felicitate Literatorum,

Habita A. 1651. d. 20. Decembr.

In renunciatione XI. Baccalaureorum Philosophiæ.

NUllum omninò genus est hominum, in qvo non liceat reperire, qvos suæ fortis pœni-

pœniteat, qviqve spretâ vitæ suæ conditione quamcunqve aliam præoptent. Itaqve apud Poëtam *a*) gravis ætate miles fortunatos prædicat Mercatores; Mercatori contrà militia potior videtur: Agricolam Jurisperitus laudat; Jurisperitum Agricola. Adeò omnibus dum aliena intuentur, sua sordent: fitqve hoc pacto, ut singuli, cùm aliorum judicio inter felices numerentur, suomet ipsorum sint infelicissimi. Atqve hic morbus, qvem Græci accommodato vocabulo μεμψιμοιρίαν vocant, adeò, ut sic loqvar, Epidemius est, ut eo, qvod minimè decebat, literati qvoqve non raró tentari se atqve affligi sentiant. Neqve enim inauditæ sunt eruditorum qverelæ, dum professionem suam neqve eo in pretio esse, neqve iis commodis, qvibus maximè conveniebat, abundare vident, longè meliùs existimantium agi cum iis, qvi mercaturæ aut opificio alicui, aut agrorum culturæ sè dediderunt, eò qvòd eorum laboribus æqva merces utplurimùm rependatur, cùm contrà, qvi bonæ Menti se desponderunt, ii ferè dotis loco sororem ejus pauperta-

a) Horat. lib. I. Sat. 1. v. 4. seqq. *O fortunati mercatores, gravis annis Miles ait, multò jam fractus membra labore. Contrà mercator navim jactantibus austris: Militia est potior: qvid enim? concurritur: hora Momento aut cita mors venit, aut victoria læta. Agricolam laudat juris legumqve peritus, sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat. Ille datis vadibus qvi rure extractus in urbem est, Solos felices viventes clamat in urbe.*

pertatem *b)* unà abducere cogantur. Jam si qvis nostrûm hæc ad illos usurpet, ludi se atqve rideri à nobis putabunt, qvòd ipsi omnium felicissimi cùm simus, miseris felicitatem scilicet exprobremus suam: nos in otio svavissimo Musis vacare; sibi in laboribus perpetuis omnem esse vitam conterendam: nobis ubiqve primas partes deferri; sibi postremas, nisi cùm tributa pendenda sunt: nostras opes eripi nobis nullo incendio, nullo furto, naufragio nullo posse; suas in omnem fortunæ injuriam patere. Sic mutuis qvasi conviciis vitam nobis acerbam omnes reddimus, & tanqvam sit aliqva voluptas dolendi, in mala nostra ultrò cogitationibus immigramus, ægreqve nos ab iis patimur avelli. Et est tamen in promptu medicina, qvam cæteri qvidem ab aliis, ab se ipsis literati petere possunt, modò philosophiæ, qvam profitentur, præcepta audiant. Primus ad sanitatem gradus est, causam morbi non ignorare. Est autem μεμψιμοιρίας hæc origo, qvòd cùm in omni vitæ genere partim bona sint, partim etiam mala, singuli qvadam animi depravatione oculos in sua tantùm mala & bona aliena defigant, qvid boni sibi, qvid aliis mali sit admixtum, prorsus considerare negligentes. Qvod ipsum qvâ ratione fiat, hinc æstimare possumus. Sicut enim cum pars aliqva

b) Petron. p. 94. ed. Francof. A. 1621. *Nescio qvomodo bona mentis soror est paupertas.*

qva corporis læsa est, sensus doloris fructum è cæterorum membrorum incolumitate omnem ita nobis intercipit, ut (qvod ajunt) semper in ulcere manum habeamus: pari modo mali admixtio mentem totam ad se rapit, neqve patitur eam bonorum recensione oblectari. Contrà, cùm alios intuemur, longè diversum nobis accidit. Æmilio Paulo uxor erat formosa, pudica, & eadem fœcunda, ut ipse hoc nomine beatus ab omnibus haberetur. Huic tamen nuncium remisit, admirantibusqve amicis & objurgantibus calceum protendit suum, &: *nonne* inqvit, *elegans hic est? nonne novus? atqvi nemo vestrûm novit, qvo loco pedem meum urgeat c)*. Ita nimirum contingit ferè, ut aliorum occultæ nobis sint molestiæ, commoditates tantùm feriant oculos. Qvamobrem dum alienis commodis, nostris incommodis recensendis immoramur, fieri certè non potest, qvin illorum comparatione videamur nobis miserrimi. Bona enim nostra patimur pellici qvasi & æstimari ab aliis, mala ipsi devoramus domi: similes qvodammodo illi Chio *d)*, qvi cùm boni vini qvantum habebat, divenderet aliis, acidum sibi ad cænam servaret, à servo suo præsentibus bonis mala qværere dictus est. Qvòd si jam iniri aliqva ratio possit, qvâ ab-

c) Plutarch. Parallel. (in Æmil. Paul.) f. 231. ed. Heidelb. A. 1561. *d)* Idem II. Moral. (de animi tranqvill.) p. 256. edit. Francof. A. 1592.

abductas à malis nostris cogitationes in bona convertamus, aliorumqve non bona tantùm exposita oculis, sed & latentia intus mala pervideamus: scilicet ab hoc morbo convaluimus. Hoc modo Damoclem Dionysius *e)* sanavit, cùm ipsi in sellam regiam collocato impendentem capiti gladium ostenderet: sic enim perfecit, ut contentus suâ sorte rex esse non amplius desideraret. Eqvidem sentio, longè promptiùs hæc dici, qvàm probari facto: veruntamen tàm difficile nihil est, qvin assvescendo induci paulatim in animum qveat. Oculos nostros nimio splendore offensos ad florida & viridia avertere possumus, ut recrerentur *f)*: qvid prohibet animum qvoqve ad jucunda revocare, atqve sic deponere molestias è miseriarum contemplatione haustas? Nihil sanè in omni vitæ ratione neqve boni est neqve mali, qvod non dudum sit minutissimè pertractatum. Nostræ optionis est, eligere, cui immoremur; immorabimur autem, si sapimus, nostris potiùs commodis qvàm miseriis, & alienis potiùs miseriis, qvàm commodis. His gradibus ad felicitatem & αὐτάρκειαν contendere qvivis potest. Qvod enim de Agricolis pronunciat Poeta *g)*, fortunatos eos esse, si bona sua norint, idem non video, cur de omnibus cuicunqve tandem honestæ arti studentibus prædicari non possit. Qvapropter,

e) de qvo vide Cicer. V. Tuscul. p. 240. *f)* conf. Plutarch. d. l. II. Moral. p. 255. *g)* Virgil. l. II. Georg. v. 458. 459.

te armamentarium, in qvo qvæcunqve arma conspicerentur, ea ad totius Imperii Romani defensionem parata esse, dictitare solebat. Atqve his omnibus præfuit ipse, operarum monitor atqve hortator acerrimus. Cupidè enim amplexus fuerat Architectonicen atqve Opticen, qvibus in disciplinis adeò excelluit, ut suâ manu formas aliqvot ædificiorum scitè descripserit, qvarum exempla adhuc asservantur in illustri Technothecâ, qvam ipse non paucis admirandi operis cimeliis auctiorem effecit. Solers insuper certo ictu destinata ferire, sive sagittis opus foret, sive globulis tormentariis. In exercitationibus autem eqvestribus tantum ejus industria emicuit, ut plerunqve ex certaminibus victor rediret præmiis decoratus, non sine fortitudinis & dexteritatis commendatione. In palæstrâ eam ostendebat corporis agilitatem cum artificio conjunctam, ut qvovis armorum genere etiam gloriosis provocatoribus formidabilis esset. Ad splendorem porrò aulicum qvod attinet, mandatum est memoriæ, nullum ex Principibus Germaniæ parem ei fuisse, imò ne ex majoribus qvidem ipsius qvenqvam. Ad corporis custodiam alebat ex eqvestri ordine qvinqvaginta nobiles juvenes, Carabinos vulgò appellatos. Præter hos stipatores habebat centum lectissimos, & corporis robore maximè conspicuos; ad custodiam urbis ducentos veteranos; in armamentario tormentorum æneorum

rum

rum magiſtros cum militibus triariis, cum centurionibus & vigilum præfectis ſexaginta: ut facilè appareret, qvis in bello futurus fuiſſet, qvi ſibi pacis tempore tàm firma præſidia comparâſſet. Ipſe induſtrius, ad omnia impiger noctu ſæpe cum paucis vigilias circuire, non per ambitiónem, aut qvòd diffideret, futura qvæ imperaviſſet, ſed qvod voluptati haberet ea, qvæ aliis gravia videntur ac moleſta. Qvalis autem, qvàm elegans, qvamqve magnificus in ædificiis fuit! Ne multa dicam, ſi nihil aliud qvàm eqvorum illam ſtationem Dresdæ, qvam novum ſtabulum appellant, exſtruxiſſet, ſatis tamen reliqviſſet, qvod qvamplurium Regum potentiſſimorum magnificentiæ opponi poſſet. Deum immortalem! qvæ iſtius ſtructuræ elegantia! qvanta amplitudo! qvàm immenſa non armorum tantùm omnium, ſed ornamentorum qvoqve ad rem eqveſtrem pertinentium copia! qvàm rara pretioſitas! qvàm admiranda elaboratio conſpicitur! ut ne per univerſam qvidem Europam ſimile qvid in hoc genere poſſit oſtendi. Atqve hoc incomparabile opus breviſſimo temporis ſpacio abſolvit, celeritate uſus incredibili, tanqvam præſagiiſſet animus, non diuturnam ſibi fore in his terris gubernationem. Eqvidem, A. O. duo ſunt inprimis monumentorum genera, qvibus immortalitatem qvandam adipiſci ſe poſſe mortales exiſtimant. Aut enim ſcriptis perfectis ingenio at-

qve elaboratis induſtriâ, aut duraturis ædificiis famæ perpetuitas qværitur. Qvorum illud etſi feliciùs ætatem ferre poſſe videtur, hujus tamen Principibus ſemper potior ferè cura fuit, ſive qvòd non alii eo genere uti poſſent, qvàm qvi potentiâ atqve opibus maximè pollerent, ſive qvòd plus dignitatis atqve ſplendoris ineſſe viſum fuit ſtructuræ alicui excelſæ, qvippe qvàm cujuscunqve conditionis, ſtudii atqve dignitatis homines æqvè ſuſpicere ac venerari poſſent, qvàm libello, erudito eo qvidem, ſed ex qvo non niſi literatus aliqvis voluptatem legendo capere, ac ferre de eo judicium valeret. In illo igitur genere, qvod Principem magis decet, Chriſtianus qvoqve noſter magnificentiam ſuam conſpici voluit. Qvòd ſi, ut apud Caſſiodorum *b)* in epiſtolis Rex inqvit Theodoricus, *talis dominus eſſe creditur, qvale ejus habitaculum comprobatur:* annon vel hoc argumento Chriſtianum omnium virtutum apparatu elegantiſſimè inſtructum fuiſſe confici poteſt? Venio nunc ad exitum vitæ, qvem ille qvidem placidum neqve diuturnâ morbi jactatione ingratum, ſed præproperum tamen habuit, in ipſo ætatis flore, cùm vix qvinqvennium potitus imperio fuiſſet, cum bonorum omnium luctu exſtinctus. Mortem ipſi hoc inprimis acceleràſſe memoratur, qvòd cùm ad extremum perſpiceret, qvantum turbarum ſe inſcio clancularii Cal-

b) Caſſiod. lib. VII. epiſt. 5.

Calviniſtæ Eccleſiis ſuæ ditioni ſubjectis dediſſent, graviſſimum inde mœrorem concepiſſet. Eſt autem omninò mœroris eò acrior vis, qvò generoſior eſt ipſa natura. Ignobiles enim animæ ſucceſſuum infelicitate non admodùm afficiuntur. Qværit alicubi in problematis Ariſtoteles *c)*, qvid cauſæ ſit, qvòd homines, qvi vel in ſtudiis philoſophiæ, vel in Republicâ adminiſtrandâ, vel in artibus exercendis claruerunt ingenio, melancholicos omnes fuiſſe videamus? qvales inter Heroas Herculem, Ajacem atqve Bellerophontem fuiſſe conſtat. Ac rationes qvidem affectûs hujus indagat prolixè, ſed eas repetere loci hujus non eſt. Scimus interim multis cauſam mortis fuiſſe mœrorem. Non dicam, qvod Henricus Stromerus Auerbachius, qvem hæc ipſa urbs ſuperiori ſeculo Medicum aliqvandiu habuit, ſæpe inter familiares ſermones feciſſe legitur: cùm qvadraginta amplius annis medicinam feciſſet, re ipsâ comperiſſe, plures homines mœſtitiâ atqve dolore animi mori, qvàm violentâ morte *d)*. Neqve Georgii Spalatini, Caroli Sigonii, aliorumqve eruditorum hominum exempla proferam, qvi nimio angore animi confecti ſunt. An non Jacobus V. Scotiæ Rex paucis poſt infelicem cum Anglo pugnam diebus dolore oppreſſus, qvem nata filia, cùm maſculi ſexûs hæredem

I 5 ſpe-

c) Ariſtot. probl. ſect. XXX. f. m. 624. *d)* Melch. Adam. in vit. Theol. p. 100.

ſperâſſet, auxiſſe creditur, interiit *e)*? An non Caſimiro Brandeburgico Marchioni, cùm obiiſſet, cor exemptum ſimile apparuit pyro toſto, qvòd tale ex mœſtitiâ contraxiſſet *f)*? Mirum igitur videri non debet, ſi Chriſtiano qvoqve Electori ægritudo animi, qvam juſta adversùs impoſtores indignatio auxit, vitæ finem attulit. Ac vixit ille, ſi annos computamus, brevi admodùm tempore; ſi merita atqve opera, qvibus memoriam ſui conſecravit, minimè brevi: hoc ipſo feliciſſimus æſtimandus, qvòd inter filios his provinciis Johannem Georgium reliqvit, eâ moderatione, iis virtutibus Principem, ut meliorem poſcere hæc ætas noſtra non potuerit. Qvod beneficium, ſupereſt, ut à Deo collatum gratis pectoribus agnoſcentes pro ejus, qvem nominavi, Principis incolumitate totiusqve Saxonicæ familiæ ſalute vota ſuſcipiamus.

Tibi igitur, Summe Imperiorum omnium atqve Principatuum Antiſtes, DEUS potentiſſime, gratias agimus immortales, qvòd Patrem Patriæ, Sereniſſimum Electorem noſtrum ab his belli tàm diuturni tamqve atrocis ac propè deſperati tempeſtatibus eluctatum, nuper cum his provinciis in amœniſſimam tranqvillitatem repoſueris, iisqve interim Liberorum Nepotumqve acceſſionibus auxeris, ut blandiſſimus Pater in complexibus Filiorum Filiarumqve, non

e) Beuther. in continuat. Sleid. ad ann. 1542. *f)* Budær. [illegible] p. 36.

non otio qvidem, qvod gubernandarum regionum ratio non finit, sed honestissimæ tamen recreationi permittere se possit. Ad hanc temporalem felicitatem nihil, qvod addatur, petere ultrà possumus, nisi ut grandævum Senem qvàm diutissimè adhuc perfrui hâc ingenuâ voluptate jubeas, ut qvot annorum molestias per incommoda belli devoravit, tòt qvoqve annorum lætitiam experiatur! Conserva nobis Johannem Georgium, Septemviralis dignitatis hæredem! Conserva Reverendissimum Præsulem Augustum! Conserva Christianum atqve Mauritium, delicias harum regionum! Conserva Illustrissimorum Principum svavissimam sobolem, & perfice, ut nova subinde spes ex novis Familiæ Saxonicæ incrementis pronascatur! Felix Thuringia, Felix Misnia, Felix Lipsia nostra, si hanc gratiarum actionem, hæc vota, pari rerum ex animi sententiâ fluentium statu repetere qvotannis liceat!

ORATIO VIII.

De Felicitate Literatorum,

Habita A. 1651. d. 20. Decembr.

In renunciatione XI. Baccalaureorum Philosophiæ.

NUllum omninò genus est hominum, in qvo non liceat reperire, qvos suæ sortis pœni-

pœniteat, qviqve ſpretâ vitæ ſuæ conditione qvamcunqve aliam præoptent. Itaqve apud Poëtam *a*) gravis ætate miles fortunatos prædicat Mercatores; Mercatori contrà militia potior videtur: Agricolam Juriſperitus laudat; Juriſperitum Agricola. Adeò omnibus dum aliena intuentur, ſua ſordent: fitqve hoc pacto, ut ſinguli, cùm aliorum judicio inter felices numerentur, ſuomet ipſorum ſint infeliciſſimi. Atqve hic morbus, qvem Græci accommodato vocabulo μεμψιμοιρίαν vocant, adeò, ut ſic loqvar, Epidemius eſt, ut eo, qvod minimè decebat, literati qvoqve non rarò tentari ſe atqve affligi ſentiant. Neqve enim inauditæ ſunt eruditorum qverelæ, dum profeſſionem ſuam neqve eo in pretio eſſe, neqve iis commodis, qvibus maximè conveniebat, abundare vident, longè meliùs exiſtimantium agi cum iis, qvi mercaturæ aut opificio alicui, aut agrorum culturæ ſe dediderunt, eò qvòd eorum laboribus æqva merces utplurimùm rependatur, cùm contrà, qvi bonæ Menti ſe deſponderunt, ii ferè dotis loco ſororem ejus pauperta-

a) Horat. lib. I. Sat. 1. v. 4. ſeqq. *O fortunati mercatores, gravis annis Miles ait, multò jam fractus membra labore. Contrà mercator navim jactantibus auſtris: Militia eſt potior: qvid enim? concurritur: hora Momento aut cita mors venit, aut victoria læta. Agricolam laudat juris legumqve peritus, ſub galli cantum conſultor ubi oſtia pulſat. Ille datis vadibus qvi rure extractus in urbem eſt, Solos felices viventes clamat in urbe.*

pertatem *b)* unà abducere cogantur. Jam ſi qvis noſtrûm hæc ad illos uſurpet, ludi ſe atqve rideri à nobis putabunt, qvòd ipſi omnium feliciſſimi cùm ſimus, miſeris felicitatem ſcilicet exprobremus ſuam: nos in otio ſvaviſſimo Muſis vacare; ſibi in laboribus perpetuis omnem eſſe vitam conterendam: nobis ubiqve primas partes deferri; ſibi poſtremas, niſi cùm tributa pendenda ſunt: noſtras opes eripi nobis nullo incendio, nullo furto, naufragio nullo poſſe; ſuas in omnem fortunæ injuriam patere. Sic mutuis qvaſi conviciis vitam nobis acerbam omnes reddimus, & tanqvam ſit aliqva voluptas dolendi, in mala noſtra ultrò cogitationibus immigramus, ægreqve nos ab iis patimur avelli. Et eſt tamen in promptu medicina, qvam cæteri qvidem ab aliis, ab ſe ipſis literati petere poſſunt, modò philoſophiæ, qvam profitentur, præcepta audiant. Primus ad ſanitatem gradus eſt, cauſam morbi non ignorare. Eſt autem μεμψιμοιρίας hæc origo, qvòd cùm in omni vitæ genere partim bona ſint, partim etiam mala, ſinguli qvadam animi depravatione oculos in ſua tantùm mala & bona aliena defigant, qvid boni ſibi, qvid aliis mali ſit admixtum, prorſus conſiderare negligentes. Qvod ipſum qvâ ratione fiat, hinc æſtimare poſſumus. Sicut enim cum pars aliqva

b) Petron. p. 94. ed. Francof. A. 1621. *Neſcio qvomodo bona mentis ſoror eſt paupertas.*

abductas à malis nostris cogitationes in bona, convertamus, aliorumqve non bona tantum, exposita oculis, sed & latentia intus mala pervideamus: scilicet ab hoc morbo convaluimus. Hoc modo Damoclem Dionysius *e*) sanavit, cùm ipsi in sellam regiam collocato impendentem capiti gladium ostenderet: sic enim perfecit, ut contentus suâ sorte rex esse non amplius desideraret. Eqvidem sentio, longè promptiùs hæc dici, qvàm probari facto: veruntamen tàm difficile nihil est, qvin assvescendo induci paulatim in animum qveat. Oculos nostros nimio splendore offensos ad florida & viridia avertere possumus, ut recrerentur *f*): qvid prohibet animum qvoqve ad jucunda revocare, atqve sic deponere molestias è miseriarum contemplatione haustas? Nihil sanè in omni vitæ ratione neqve boni est neqve mali, qvod non dudum sit minutissimè pertractatum. Nostræ optionis est, eligere, cui immoremur; immorabimur autem, si sapimus, nostris potiùs commodis qvàm miseriis, & alienis potiùs miseriis, qvàm commodis. His gradibus ad felicitatem & αὐτάρκειαν contendere qvivis potest. Qvod enim de Agricolis pronunciat Poeta *g*), fortunatos eos esse, si bona sua norint, idem non video, cur de omnibus cuicunqve tandem honestæ arti studentibus prædicari non possit. Qvapropter,

e) de qvo vide Cicer. V. Tuscul. p. 240. *f*) conf. Plutarch. d. l. II. Moral. p. 255. *g*) Virgil. l. II. Georg. v. 458. 459.

propter, A. H. cùm hodiè ex hoc loco dicendum mihi aliqvid esset, anteqvam ad actum renunciandi Baccalaureos progrederer, statui *de Felicitate Literatorum* pauca exponere, tùm qvòd argumentum hoc à re præsenti non alienum esse videretur, tùm ut animum adderem præsentibus Candidatis ad subeundas fortiter molestias, qvæ in curriculo disciplinarum ipsis adhuc subeundæ sunt, in me verò ipso studium ἀυθαιρεκείας confirmarem. Sic enim existimo, primum veræ felicitatis, qvoad in hanc vitam cadere illa potest, gradum obtinere Christianos; proximum rectè in literis institutos. Qvod ita planum esse me facturum confido, ut omnes intelligant, cur literatis qvidem vulgò invideatur, satis esse causæ, cur ipsi aliis invidere debeant, rationem deesse. Qvanqvam autem perspicio, afferri à me nihil posse, qvod Vobis, Auditores doctissimi, non sit antè præceptum atqve exploratum: facietis tamen spero libenter, ut, cujus felicitatis fructum assiduè carpitis, ejus qvoqve jucundam habeatis commemorationem. Intelligam hoc, si me per semihorulæ spacium placidè audietis.

In affluentiâ omnis generis bonorum sitam esse felicitatem, neqve à doctis in dubium vocatur, neqve ignoratur à vulgo. In eo tantùm dissensio est qvædam, majúsne ad felicitatem momentum corporis & fortunæ, qvæ vocantur, bona afferant, qvæ qvidem imperitæ plebis absurda

ſurda opinio eſt, an illa, qvibus ad Dei ſimilitudinem animus exornatur, optimarum rerum cognitio, & ad præſcriptum virtutis compoſiti mores, qvod ſentiunt eruditi? Hæc cauſa ſi in cerdonum turbâ aut reſtiariorum definienda mihi eſſet, magnus me & fortaſſe irritus labor exciperet, adhibitis eloqventiæ machinis omnibus tentandi, núm qvâ ratione vanam perſvaſionem à pulmonibus eorum (ut ſic loqvar) revellere, & in meliorem ſententiam homines poſſem perducere. Nunc cùm circà me videam & viros undiqvaqve eruditiſſimos, & Juvenes ad ſapientiam feliciter inſtitutos, omisſâ iſtius controverſiæ diſceptatione, unum hoc præcipuè agendum mihi video, ut exponam, qvàm bellè ſe habeant literatorum animi circà res eas, qvæ ſummam felicitatis complectuntur. Qvod ubi effecero, qvoniam hodiè inter philoſophos non dubitatur, qvin externa etiam illa bona veræ felicitati ſplendorem concilient, oſtendam porrò, ne illa qvidem literatis deeſſe: ſi cui tamen deſint, (neqve enim præſtare ea ſibi qvisqvam poteſt,) in literis optimum eſſe rebus adverſis preſſo perfugium. His limitibus mea ſe continebit oratio: neqve arbitror, ſi, qvæ promiſi, dedero probata, ad hoc genus beatitudinis qvicqvam poſſe magnoperè deſiderari. Nam, ut hinc exordiar, poteſtne in homine vera cogitari felicitas ſine ornamentis animi? qvibus ſublatis, qvæcun-

qve homini largiamur bona, nihilo beatiorem mutis pecudibus efficiemus. Explicandum ergò est, qvibus opibus, qvâ supellectile mentes eruditorum sint instructæ. Eqvidem si oculos corporis immittere in animi penetralia liceret, dicere ausim, nihil in atriis Crœsi, aut gazis Persarum fuisse, qvod cum his divitiis collatum non sordescat; nullas in beatorum insulis delicias à Poetis commentas, qvibus non longè majores hauriant animi eruditorum. Verè enim videor, A. affirmare posse, qvicqvid in universo orbe eximium, qvicqvid aspectu pulchrum, veneratione augustum, pretio incomparabile est, id omne literatos intrà mentis suæ septa abditum qvasi & conclusum tenere, ut qvotiescunqve sive ludis oblectare animum, sive pascere cupediis, sive permulcere voluptatibus libuerit, ad imperium omnia præstò sint. Hîc perennem illum atqve largifluum cujusqve boni fontem Deum, qvatenus humanæ tenuitati licet, circumplectuntur; hic puros & ab omni materiæ concretione liberos Spiritûs comprehendunt; hîc naturæ totius facies se pandit; hîc cœlum innumerabilibus stellis velut faculis distinctum; hîc parens omnium terra; hîc tot herbarum, florum, fructuum diversitates, tot animantium genera, tot rerum pulcherrimarum tamqve distinctæ species, hic abstrusa numerorum secreta, & mirabiles figurarum mensuræ, hîc plana camporum & aspera montium,

hîc

hîc marium profunda & ſinuoſa fluminum, hîc urbes, hîc regna, hîc populi, hîc urbium & regnorum omnium ac populorum repetitæ ab ultimâ memoriâ origenes: hora me deficiet, ſi percenſere ſingula velim, breviter dicam, hîc omnia continentur. Harum facultatum ſibi conſcia mens modò in Dei rerumqve divinarum contemplatione (qvæ qvidem cæterarum omnium ſpeculationum ultimus eſſe debet ſcopus,) acqviescit, modò ad mundum ſe demittens, aut cum ſideribus terrarum ambit orbem, aut fulgurum ac tonitruum officinas luſtrat, aut in paſcua & ſylvas exſpaciatur, aut in viſceribus terræ rimatur metalla, aut in hiſtoriarum ſeriem effuſa Xerxis exercitum Græciâ expellit, Alexandro in Indos moventi comitem ſe adjungit, cum Ventidio de Parthis triumphat, cum Arminio legiones cædit Varianas. Qvid multa? nullum eſt ſpectaculum, cui miſcere ſe mens erudita non poſſit. Atqve hæc omnia molitur neqve laboris, neqve periculi, neqve ſcelerum, ſi qva interveniunt, particeps. In cœlum extollitur, nec caſum metuit; inter fulmina diſcurrit, nec percellitur; Oceanum absqve carinâ intrat, nec mergitur; venas auri argentiqve exſcindit, nec ſudat; in Ætnæ crateras ſe mittit, & redit incolumis; in acie mediâ extrà telorum jactum eſt; cum auguribus ſervat de cœlo, cum auſpicibus exta inſpicit, cum pullariis educit pullos caveâ, pultem objicit,

tripudium notat, nec rea est superstitionis. Jam ubi cupido incessit, abdit se in libros,& hîc cum Platone fabulatur, illic cum Aristotele, alibi Strabonem per terras & maria seqvitur,alibi Livium auscultat Romanæ gentis incunabula prodentem; mox ad Homerum recurrit, mox ad Virgilium, & qvæ modò furentem in Senecâ Herculem stupebat, jam in Aristophane pulicis saltûs metientem philosophum ridet. Hæc, Auditores, hæc est illa felicitas, qvam his versibus celebrat princeps Poetarum *h)*:

Felix qvi potuit rerum cognoscere causas,
Atqve metûs omnes & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumqve Acherontis avari:

& qvæ seqvuntur in hanc sententiam plura. Qvibus illud Ovidii geminum est:

Felices animæ, qvibus hæc cognoscere primùm,
Inqve domos superas scandere cura fuit.

Hæc illa voluptas est, cujus comparandæ gratiâ Plato, Democritus, aliiqve ultimas terras peragrarunt; qvâ victus Archimedes *i)* ne patriam qvidem captam esse sensit; qvâ Chrysippus *k)* ita perfruebatur, ut eum tanqvam extrà se positum cibi sæpè potionisqve caperet oblivio. Sed hanc negant Bucçones qvidam voluptatem esse; qvibus jucundum nihil est, nisi qvod ventrem impleat aut bulgam. Qvid hoc ad nos? Núm-

h) Virgil. II. Georgic. prope fin. *i)* Cic. V. de finib. p. 137. *k)* Muret. Vol. I. Orat. 2. p. 16. ed. Lipf. A. 1629.

Númine ideò dulces nobis literæ non erunt, qvia fatuum illis palatum est? Facetè memoratur avarus qvidam populi voces sic contemnere solitus:

——— *Populus me sibilat: at mihi plaudo*
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arcâ l).

Qvantò rectiùs nos risu excipere possumus aliorum ludibria, cùm domi non nummos qvidem, (hoc enim permittamus illis, qvi eorum aspectu saturari se posse credunt,) sed pulcherrimas rerum imagines in arcâ mentis contemplamur. Non possum, A. H. qvin recitem vobis verba duorum in his studiis maximè exercitatorum hominum, ut horum exemplis pariter ac testimoniis confirmati in sententiâ magis perseveremus: idqve lubentiùs faciam, qvòd alter horum hâc ipsâ in Academiâ Professorem egit aliqvandiu. Victorinum Strigelium appello, qvi: *Juventus*, inqvit *m*), *naturaliter amat sodalitia, qvia est rudis & ignara periculorum vitæ, & putat sibi vitam esse insvavem sine sodalibus: sed profectò adultiores ipsa experientia docuit & docet qvotidiè, solitudinem scholasticam, qvæ non est otiosa, esse rem omnium svavissimam. Magna qvidem est svavitas, qvæ percipitur ex colloqvio cum amicis: sed longè major svavitas & utilitas percipitur ex lectione bonorum scriptorum.* Jam &

l) Horat. lib. I. Sat. I. v. 66. *m*) Vict. Strig. ad II. Ethic. Phil. Mel. p. 874. 875.

& M. Ant. Muretum audiamus, elegantiſſimi ingenii virum: *Verè hoc affirmare poſſum, ſi qvis mihi Deus omnes opes, omnia commoda, omnem potentiam proponat eâ lege ac conditione, ut ſemel deponam hæc ſtudia, & has qvaleſcunqve literulas, altrices adoleſcentiæ meæ, fidiſſimas meorum omnium temporum comites deſeram: nunqvam id faciam, neqve qvicqvam tanti eſſe ducam, qvod mereri velim, ut à ſvaviſſimo earum amplexu & contubernio abducar n).* Putatisne hos viros o) ſenſiſſe, qvid ſit ingenuis artibus pectus habere excultum? Qvid igitur moramur plebejas illas ac terreſtres animas, qvæ qvorum ſtudiorum dulcedinem ipſæ neqvaqvam deguſtarunt, eorum nauſeam movere guſtantibus volunt? qvibus imprecari in vindictam nihil tetrius poſſimus, qvàm ne unqvam ſapere diſcant. Ad nos qvod attinet, ne ſiverit DEUS, ut, vita dum nobis ſupereſt, voluptatis hujus ſenſu privemur unqvam! Sed nondum his terminis finitur literatorum felicitas, neqve ſatis eſt, qvòd liberales diſciplinæ mentem variarum rerum ſcientiâ exhilarant, niſi eandem nativâ exuant feritate, cicuratamqve pulcherrimis condecorent virtutibus. Tradunt antiqvi in fabulis p), Prometheum, cùm hominem fingeret, ab omnibus pecu-

n) Muret. epiſt. dedicat. Var. Lect. o) Aliorum qvoqve literariæ voluptatis præconia Orationis hujus fini adjungentur. p) Natal. Com. lib. IV. Mythol. c. 6. p. 207. Verulam, Sap. Vet. p. 193.

pecudibus desectam particulam limo miscuisse: qvo factum sit, ut in eodem homine & leporis timor, & vulpis astutia, & ambitio pavonis, & feritas tigridum, & leonum appareat iracundia. Qvo qvid in nostrum genus dici tristius potest? pro hominibus monstra nos esse, è sexcentis brutorum generibus conflata. Sed profectò, nisi assentari nobis volumus, talis est animus à nativitate noster. Hîc jam necesse est divinum agnoscamus literarum beneficium, qvæ vitiorum congenita illa semina si non convellit ab radice, certè obterit atqve conculcat, virtutibus autem, ut succrescere possint, maturitatem affert. *Nec ferè qvisqvam adeò est ferreâ naturâ, ut literis & mediocri disciplinâ non aliqvantò fiat mitior q).* Parcam hîc tempori, nec, ubi maximè potest, luxuriari orationem sinam, ne à re toties decantatâ mendicâsse copiam videar. Sed certè ita est, si nihil aliud, qvàm hoc præstaret ingenii cultura, abundè ad felicitatem contulisse censenda esset: nisi fortasse ad vitam beatam nihil interest, simusne reverâ, qvod vocamur, homines, an sub humano vultu apros, canes, lupos, serpentes circumferamus; qvod in iis plerumqve animadvertas, qvorum animi ab his studiis nostris abhorrent. Ac tametsi in multis, qvi diversum vitæ genus à literato amplectuntur, præclara virtutum insignia

q) Verba sunt Philippi Melancht. Tom. I. declamat. p. 128. (in orat. de laude vitæ Scholast.)

refulgent, (nolim enim qvenqvam suis laudibus fraudare:) propriam tamen eruditi hanc sibi possessionem vendicant, à qvorum fontibus in alios isthæc felicitas derivatur. Qvare sapienter, ut opinor, Heraclides Ponticus *r*, Herculem interpretatus est virum prudentem, cœlestiqve sapientiâ initiatum, qvi profundâ caligine demersam philosophiam illustrarit. Qvòd enim aprum cepisse fabulantur, in eo libidinis subjugatio demonstratur. Qvòd Leonem domuit, nimirum ad impetum pertinet, qvò minùs fas est, ruentem. Eâdem ratione cùm brutam iracundiam compescuisset, taurum cornupetam dictus est adstrinxisse. Expulit etiam è vitâ meticulositatem, cervam illam Cerauniam. In volucribus autem superatis spes ventosa significatur. Qvid majus vel Hercules orbi, vel humano generi Philosophia præstiterit, qvàm qvòd ille monstra, hæc vitia suis educta latibulis edomuit? Sunt enim vitia, qvæ pacem animorum destruunt, rebus integris ruinam, tranqvillis turbas, venustis sqvalorem & sordes afferunt, omnem deniqve felicitatem ex hominum consortio exterminant. Ab his ita se liberant verè literati, ut contrà justitiæ, sobrietatis, fortitudinis, beneficentiæ, cæterarumqve virtutum imagines suis sedibus reponant, qvantumqve per congenitam nobis imbecillitatem fieri potest, proximè ad Dei purarumqve men-

r) Heraclid. p. 42. Vid. & Claud. Min. ad Alciat. Emblem. p. 507. Conf. Apulej. Florid. p. 247. edit. Colvii.

mentium similitudinem se ipsos perducant. Hanc summam esse hominis, ad qvam ille naturæ adminiculis promoveri qveat, felicitatem qvi negant præfractè, næ illi digni sunt, qvos nunqvam Salus æqvis respiciat oculis. Totas Respublicas, si Platonis judicium non contemnimus, beare imperium Philosophi potest: qvantò facilius suum qvisqve pectus, qvi hæc studia seriò amplectitur, nec secum ipse dissentit, poterit beare? Qvid enim, ut cætera absint omnia, magis homini volupe esse potest, qvàm, qvæ ex virtutibus efflorescit, rectè factorum conscientia? Diutius fortasse, qvàm exspectavistis, A. huic parti sum immoratus, qvanqvam pro rei amplitudine perparum omninò dixi. Propero ad alterum caput, ut ostendam, non infelices esse literatos, si corporis etiam ac fortunæ bona reqvirâmus. De qvibus etsi deprecari poteram ne sit mihi necesse vel verbum unum prologvi, eò qvòd ista nemini propria sint, sed ita promiscuè diffusa, ut in omnibus hominum generibus alios reperias, qvi iis abundent, alios, qvi careant: tamen qvoniam his arietibus maximè pulsari nostra solet constantia, pauca de iis disserere liceat. Primum corporis bona videamus. Hîc beatulus aliqvis ex illo delicatorum grege dicet: Qvæ tu mihi corporis bona recensebis, qvibus literatos felices efficias? destillationes fortasse, tabem, tussim, calculum, cacochymiam, hypochondriacum malum, lippitudines oculorum,

pallores genarum, qvibus natio vestra præ cæteris semper notata fuit, inter commoda corporis numerabis? Poteram rogare, ut, qvi mihi hæc objicit, certam vitæ professionem definiat, qvæ non dicam à morbis omnibus, sed abs qvopiam unico, qvi eam sectantur, tutos præstet. Qvæ enim, obsecro, iniqvitas est, cùm passim per genus mortale vagentur febres, catarrhi, oculorum & ventriculi vitia, solis ea literatis exprobrare? Sed non utar isthâc excusatione. Ita ne verò animum locupletare doctrinis non licebit, nisi hâc mercede, ut corpori noceamus? Qvomodo ergò Zeno Stoicorum parens ad annos nonaginta & octo vitam produxit integer, incolumis, ac sine morbo *s)*? Qvomodo Antonius Castor Medicus centesimum ætatis annum excedens, nullum corporis malum expertus, ac ne memoriâ qvidem aut vigore concussis, prædicatur *t)*? At hos dices victûs simplicitate corpus à morbis vindicâsse. Vides igitur morborum causas non in literis, sed in intemperantiâ sæpe qværendas esse? cujus fugiendæ ipsa Philosophia cultoribus suis hortatrix est atqve adjutrix. Sed qvos non enervat crapula, eos, inqvies, vigilatæ in studiis noctes frangunt paulatim, & ante diem sepeliunt. Fateor qvibusdam hoc contingere. Sed qvemadmodùm nihil gloriosius est militi, qvàm acceptum adverso

s) Fromond. de animâ p. 205. è Diog. Laertio. *t)* Plin. Lib. XXV. c. 2.

verſo pectore vulnus, aut in conflictu, dum pro patriâ pugnat, oppetita mors: ita nævum aliqvem valetudinis, aut mortem etiam ipſam libris imputare, cùm omninò ſit homini ſemel moriendum, in parte felicitatis ſuæ ſi ponant eruditi, videbuntur fortaſſe alicui non peccare. Malo tamen iſta objicientibus aliter reſpondere. Sanè verè, ſi moderatè tractentur ſtudia, non video, qvo pacto obeſſe qveant valetudini, ac non prodeſſe potiùs mirificè. Non enim perpetuò hærebimus libris affixi, ſed inter laborem & qvietem ita partiemur tempora noſtra, ut neqve computreſcamus deſidiâ, neqve rumpamur continuis nixibus. Qvam ſedendo contraximus moleſtiam, eam diſcutiemus ambulando. Interdum ex angulis noſtris prorepemus in publicum, &, ſi per anni tempeſtatem licet, jubebimus nobiſcum Muſas ruſticari. Interdum ſalutabimus amiculos, & jucundis confabulationibus ſolvemus præcordia. Hæc agentibus opinor cum bonâ valetudine optimè conveniet. Nam cæteras morborum cauſas, iram, mœrores, ſalacitatem, luxum, ex artium noſtrarum præſcripto procul à nobis habemus. Qvòd ſi maximè diuturnior animi contentio aliqvid à vigore noſtro decerpat, id è ſtudiorum dulcedine proficiſcens gaudium ſarcit abundè, & vel ſolum plurimis ſe noſtris morbis opponit. Incredibile enim dictu eſt, qvanta ſit eruditæ voluptatis in corpore vegetando pote-

pallores genarum, qvibus natio vestra præ cæteris semper notata fuit, inter commoda corporis numerabis? Poteram rogare, ut, qvi mihi hæc objicit, certam vitæ professionem definiat, qvæ non dicam à morbis omnibus, sed abs qvopiam unico, qvi eam sectantur, tutos præstet. Qvæ enim, obsecro, iniqvitas est, cùm passim per genus mortale vagentur febres, catarrhi, oculorum & ventriculi vitia, solis ea literatis exprobrare? Sed non utar isthâc excusatione. Ita ne verò animum locupletare doctrinis non licebit, nisi hâc mercede, ut corpori noceamus? Qvomodo ergò Zeno Stoicorum parens ad annos nonaginta & octo vitam produxit integer, incolumis, ac sine morbo *s)*? Qvomodo Antonius Castor Medicus centesimum ætatis annum excedens, nullum corporis malum expertus, ac ne memoriâ qvidem aut vigore concussis, prædicatur *t)*? At hos dices victûs simplicitate corpus à morbis vindicâsse. Vides igitur morborum causas non in literis, sed in intemperantiâ sæpe qværendas esse? cujus fugiendæ ipsa Philosophia cultoribus suis hortatrix est atqve adjutrix. Sed qvos non enervat crapula, eos, inqvies, vigilatæ in studiis noctes frangunt paulatim, & ante diem sepeliunt. Fateor qvibusdam hoc contingere. Sed qvemadmodùm nihil gloriosius est militi, qvàm acceptum adverso

s) Fromond. de animâ p. 205. è Diog. Laertio. *t)* Plin. Lib. XXV. c. 2.

verso pectore vulnus, aut in conflictu, dum pro patriâ pugnat, oppetita mors: ita nævum aliqvem valetudinis, aut mortem etiam ipsam libris imputare, cùm omninò sit homini semel moriendum, in parte felicitatis suæ si ponant eruditi, videbuntur fortasse alicui non peccare. Malo tamen ista objicientibus aliter respondere. Sanè verè, si moderatè tractentur studia, non video, qvo pacto obesse qveant valetudini, ac non prodesse potiùs mirificè. Non enim perpetuò hærebimus libris affixi, sed inter laborem & qvietem ita partiemur tempora nostra, ut neqve computrescamus desidiâ, neqve rumpamur continuis nixibus. Qvam sedendo contraximus molestiam, eam discutiemus ambulando. Interdum ex angulis nostris prorepemus in publicum, &, si per anni tempestatem licet, jubebimus nobiscum Musas rusticari. Interdum salutabimus amiculos, & jucundis confabulationibus solvemus præcordia. Hæc agentibus opinor cum bonâ valetudine optimè conveniet. Nam cæteras morborum causas, iram, mœrores, salacitatem, luxum, ex artium nostrarum præscripto procul à nobis habemus. Qvòd si maximè diuturnior animi contentio aliqvid à vigore nostro decerpat, id è studiorum dulcedine proficiscens gaudium sarcit abundè, & vel solum plurimis se nostris morbis opponit. Incredibile enim dictu est, qvanta sit eruditæ voluptatis in corpore vegetando pote-

poteſtas, adeò qvidem, ut multi, cùm decumberent, librorum è lectione convaluiſſe legantur. Miratur Cardanus in Geniturâ Eraſmi Roterodami *u*), qvî factum ſit, ut morboſus ille ſemper, ad decrepitam pervenerit ætatem, ſeptuageſimo enim anno mortuus eſt. Deſinat mirari: literatus fuit. Qvid jam ex veteri memoriâ Heraclitum, Platonem, Ariſtotelem, Theophraſtum, Xenocratem, Pythagoram, Democritum, aut Chryſippum *w*) deniqve repetam, qvem inter etiam epulas tàm intemperantem ſtudii fuiſſe ajunt, ut evolante ad alia ingenio, manus ceſſaret, & hianti ori ancilla Meliſſa cibum ingerere deberet. Qvid è propioribus Albertum Magnum, Beſſarionem, Jovianum Pontanum, Marſilium Ficinum, Pomponium Lætum, Joannem Argyropylum *x*), Hieronymum Wildebergium *y*)? Atqvi horum omnium

u) Cardan. Genitur. f. 496. *w*) De his omnibus vide Lib. Fromond. lib. II. Philoſ. Chriſt. de anim. c. 2. artic. 7. (ubi ventilat qvæſtionem: *An Scaliger meritò reprehendat Cardanum, qvòd dixerit, ſtudia ad vitæ longitudinem conferre?*) p. 210. ed. Lovan. A. 1649. Chryſippi à nobis qvoqve mentio facta eſt ſuprà lit. k. è Mureto. Pro Chryſippo autem Carneadem memorat Valer. Max. lib. VIII. c. 7. n. 5. extern. *x*) De his iterum lege Fromondum d. l. p. 211. *y*) Orat. de vit. Val. Fridl. Trocedorfii (qvam exhibet Orationes poſtremæ Phil. Mel. ed. Witeb. An. 1565.) p. 895. *qvæ* [Schola Goltpergenſis] *collapſa erat poſt diſceſſum Hieronymi VVildebergii, Viri Clariſſimi, qvi mortuus eſt annis plenus, centeſimum enim attigiſſe putatur.*

um nemo septuagenario minor defecit, qvidam etiam ad centum annos & ultrà processerunt. Qvòd si qvosdam ex eruditorum grege fatalis hora in flore juventutis demetit, nimirum contingit illis, qvod & aliis plurimis, in qvibus ne vena qvidem vixerat hominis literati. De corporis bonis dictum est satis. Nam pulchritudinem eruditi aut habent, aut si non habent, ingenii dotibus copiosè redimunt. Ac veluti Cæsares qvidam calvitium coronâ laureâ dissimulâsse leguntur: sic illi, si qvam oris habent invenustatem, virtutibus animi obtegunt pulcherrimè. Fidem propè superat, qvod de Cratete Apulejus z) prodidit, eum cùm deformi gibbere notatus esset, à nobili virgine, spretis qvi eam ambiverant junioribus atqve opulentis, ultrò petitum esse. (De Socrate qvidem, cujus recalva frons, simæ nares, pilosi humeri, & repanda crura fuisse memorantur, qvid Hieronymus libro contrà Jovinianum a) annotaverit, latere jam patior.) Adeò corporis vitia, qvæ aliis hominibus impeditam reddunt uxoris qværendæ rationem, literatis non sunt obstaculo. Restant fortunæ bona, honores, gloria, opes, amicitiæ. Qvæ, ubi sua rebus pretia constant, facilè ab eruditis, si hoc agant, parantur. Nisi mihi tempus ad dicendum effluxisset,

z) Apulej. lib. II. Florid. p. 229. ed. Colv. Conf. Laert. lib. VI. sub Hipparchiâ p. 257. a) cit. Pet. Crinit. lib. II. de hon. discipl. c. II.

xisset, poteram hæc prolatis ex omni ævo exemplis confirmare. Hoc qvidem certum est, neqve dulciores ullas, neqve stabiliores amicitias esse, qvàm inter literatos qvas studiorum æqvalitas sancivit. Gloria autem, vincente tandem invidiam veritate, vel post mortem eos immortalitati efficaciter consecrat, ut qvi non silentio vitam transegerint uti pecora *b*), sed reliqverint, qvo se vixisse testentur. Cætera nec appetunt avidè, nec amissa dolent impensè. Hi enim sunt, qvi adversanti Fortunæ medium ungvem ostendere possunt. Nam ad omnes casuum qvorumlibet ictus, anteqvam inferantur, meditatione præparatum habent pectus. Itaqve soli etiam in infelicitate felices sunt, neqve sensum suarum calamitatum altiùs admittunt, qvàm rupes tundentium fluctuum minas. Docuit enim eos philosophia, miserum neminem esse, qvi suâ se virtute involvat. Ubi jam sunt, qvi miserrimos mortalium putant esse literatos? Sanè miseri sunt, qvi felicitatem suam ignorant: felices, qvi suis divitiis fruuntur. Sunt autem, ut inqvit Cicero *c*), maximæ certissimæqve divitiæ, contentum suis rebus esse. Edidit libros duos, nominatim de infelicitate Literatorum inscriptos, Joannes Pierius Valerianus, refertos exemplis eorum ex ævo superiori, qvi in Italiâ indignissimis, ut ait *d*), infortuniis

b) Salust. ab init. bell. Catilin. *c*) Paradox. pag. 125.
d) Pier. de lit. infelic. lib. I. p. 10. ed. Amstelod. A. 1647.

tuniis affecti occubuerunt, alii peste intercepti, alii exilio & inopiâ oppressi, alii ferro trucidati, alii diuturnis cruciatibus absumpti; qvibus, qvi ultrò sibi mortem consciverunt, ut infelicissimi interjiciuntur. Eqvidem qvo minùs hi maximè postremi pro infelicibus habeantur, non intercedo: sed hi ipsi profectò malè didicerunt literas, neqve ultrà strepitum inanis scientiæ progressi mihi esse videntur. In cæteris omisit, qvod maximè ad rem faciebat, qvomodo illi sua tempora tulerint. Negabo enim, si ea moderatè tulerunt, fuisse infelices, si impatienter, rectè institutos. Neqve tamen in his omnibus attulit qvicqvam, qvod ad literatos privatim, omnia, qvæ communiter ad homines pertineant. Nam exilia, paupertas, pestis, mortes cruentæ non eruditi cœtûs mala sunt, sed generis humani. Ac lepidè se habet, qvòd repertus est post eum *e)*, qvi libellis istis appendicem adjiceret, novòqve Catalogo infelicium nomen qvoqve insereret *f)* Pierii Valeriani: puto, ne qvi cæterorum tàm accuratè computâsset ærumnas, non haberet, qvi idem faceret ipsi. Cui verò vicissim, si hoc jubeatur, difficile sit vel ingentem exercitum numerare felicium literatorum *g)*, qvi conscriptam illam à Pierio Valeriano

e) Cornelius puta Tollius, cujus appendix Amstelodamensi, qvam dixi, editioni accessit. *f)* p. 9. append. *g)* Faciet hanc in rem cumprimis *Coronis Historico-Theosophica*, qvam Celeberr. *Theophilus Spizelius* Commen-

riano turmam facilè vincat, aut ex eâ etiam nonnullos in sua castra non invitos alliciat? Vobis interim, A. O. DEUM precor, ut nunqvam eveniat, qvò felicibus accenseri desinatis, neqve nostrûm cuiqvam, ut eum suæ sortis pœniteat!

* *Secuta sunt solennia ad actum hunc Academicum pertinentia.*

---

tationibus suis *de vitiis literatorum*, (qvæ anno 1676. atqve adeò mihi hæc peroranti nondum conspectæ, Augustæ Vindel. prodierunt,) p. 1060. & seqq. lectu dignissimam adjecit. Nam in eâ *Felicis Literati imago exemplis & documentis selectioribus illustrata ostenditur.*

Literariæ Voluptatis Præconia, duobus illis, qvæ in ipso Orationis contextu è Strigelio & Mureto recitavimus, bellè consonantia, & huic loco reservata.

(respice ad lit. m. n. o.)

Sirach. Eccles. c. 40. v. 20.

Οἶνος καὶ μουσικὰ εὐφραίνουσι καρδίαν, καὶ ὑπὲρ ἀμφότερα ἀγάπησις σοφίας.

Qvintilian. lib. II. c. 19. (al. 18.)

Nam est aliqvis, ac nescio an maximus, etiam ex secretis studiis fructus, ac tùm pura voluptas literarum, cùm ab actu, id est opere, recesserunt, & contemplatione sui fruuntur.

Petr. Blesens. Epist. 81.

Si semel svavitatem sapientiæ degustâsses, omnia præter illam in fastidium tibi verterentur.

Hier.

Hier. Cardanus epist. nuncup. libb. de rerum Variet. † 3.

Qvid ei voluptati comparari potest, qvam discendo capimus? Qvid jucundius, qvàm scire qvid simus, qvid fuerimus, qvid erimus, atqve cum his etiam divina atqve suprema illa post obitum mundiqve vicissitudines? deniqve præterita noscere atqve futura?

Gvilielm. Budæus Epist. ad Lud. Viv. lib. I. (cit. Jac. Pontan. p 297. Bellar. Attic.)

Enimverò lectitandi, commentandi, scriptitandi voluptatem, iis qvidem certè, qvibus ea res sub manus succedit, numine aliqvo aspirante, nec ære nec auro permutandam esse censeo, ne sceptris qvidem ipsis, nedum fascibus & infulis ad vulgus splendorem suum venditantibus.

Paul. Manutius lib. III. epist. 19. (ad Muretum.)

Nos autem nunc qvidem fruimur svavissimâ omnium & jucundissimâ voluptate, qvæ manat ex honestis cogitationibus ac studiis.

Andr. Schottus Hispan. Biblioth. p. 557.

De qvibus studiis verè judicare solitum [Petrum Ciacconium] *accepimus, si qva esset in vita mortalium felicitas animiqve oblectatio, eam in laudandarum artium studiis, nec alibi, qværendam videri: rursus si qva in his ipsis studiis cum voluptate conjuncta esset utilitas, animorumqve salus, eam in divinæ scripturæ, qvam scrutari nos Deus præcipit, & SS. Patrum orthodoxæ fidei assiduâ Lectione inveniri.* L Jul.

Jul. Wilh. Zincgräf. Teutsch. Nat. Apophth. I. p. 303.

Seinem Vater / der ihm vom Studiren ab- und zu etwas anders gerathen / schrieb er (Laurentius Zinckgreff) also: Es sey unmüglich / daß einer / so die Süssigkeit der löblichen Studien und freyen Künsten einmahl geschmeckt / davon ablassen könne. Zwar ehe er das Studiren verlassen wolle / ehe wolle er alles das Seinige / so er ins künfftig von ihm zu gewarten / daran setzen. Er könne ihm doch kein bessers noch herrlichers Patrimonium oder Erbtheil hinterlassen / als Kunst und Geschickligkeit.

Idem ibid. II. p. 28.

Er (Philipps Böckle von Böcklins-Au / Hanau-Lichtenbergischer Rath und Hof-Richter /) pflegte offtermal zu sagen: Er wüste in seinem hohen Alter nichts / das ihm / nechst GOtt und seinem Wort / lieber und angenehmer wäre / als die studia humaniora.

ORATIO IX.

Pro Aristotele, Qvod jure suo usus fuerit, negans (I. Nicom. 3.) idoneum Ethicæ Auditorem esse Juvenem:

Habita A. 1653. d. 27. Aprilis

Sub Exordium Ethicæ Professionis.

Qvod

QVod felix & salutare, Matriqve Academiæ opportunum esse Omnipotens DEUS jubeat, autoritate & jussu Serenissimi Principis JOHANNIS GEORGII Saxoniæ Electoris, Domini nostri Clementissimi, Moralis Philosophiæ Professionem publicam propediem ingrediar. Arduum profectò munus, eoqve difficilius, qvò mores se corrigi ægriùs patiuntur, qvàm formari ingenium. Accedit altera ratio, qvòd eâ jam vivitur tempestate, in qvâ qvi Aristotelicæ Philosophiæ qvamcunqve partem enarrandam susceperit, ei non tantùm cùm inscitiâ juventutis, sed & cum accusationibus eruditissimorum hominum, qvibus Aristotelis nostri in omni genere doctrinarum qvæsita gloria subruitur, decertandum esse videatur. Qvâ in re,

PRORECTOR MAGNIFICE, &c. admirari hoc licet inprimis, uti rerum in mundo omnium, ità opinionum qvoqve & sectarum fatales esse qvasdam vices & conversiones Non jam libet Peripateticæ Philosophiæ fortunam, per omnes ejus ætates scrupulosè excutere: sed tamen eam à primis incunabulis maximè variam *a*) experta esse, si animum advertamus, deprehenditur: jam à discipulis Aristotelis horumqve successoribus, tanqvam à pædagogis, non sine libertate dissentiendi castigata; mox

a) Vide Franc. Patric. Tom. I. Discuss. Perip. lib. 12 f. 152. seqq.

pallores genarum, qvibus natio vestra præ cæteris semper notata fuit, inter commoda corporis numerabis? Poteram rogare, ut, qvi mihi hæc objicit, certam vitæ professionem definiat, qvæ non dicam à morbis omnibus, sed abs qvopiam unico, qvi eam sectantur, tutos præstet. Qvæ enim, obsecro, iniqvitas est, cùm passim per genus mortale vagentur febres, catarrhi, oculorum & ventriculi vitia, solis ea literatis exprobrare? Sed non utar isthâc excusatione. Ita ne verò animum locupletare doctrinis non licebit, nisi hâc mercede, ut corpori noceamus? Qvomodo ergò Zeno Stoicorum parens ad annos nonaginta & octo vitam produxit integer, incolumis, ac sine morbo *s)*? Qvomodo Antonius Castor Medicus centesimum ætatis annum excedens, nullum corporis malum expertus, ac ne memoriâ qvidem aut vigore concussis, prædicatur *t)*? At hos dices victûs simplicitate corpus à morbis vindicâsse. Vides igitur morborum causas non in literis, sed in intemperantiâ sæpe qværendas esse? cujus fugiendæ ipsa Philosophia cultoribus suis hortatrix est atqve adjutrix. Sed qvos non enervat crapula, eos, inqvies, vigilatæ in studiis noctes frangunt paulatim, & ante diem sepeliunt. Fateor qvibusdam hoc contingere. Sed qvemadmodùm nihil gloriosius est militi, qvàm acceptum adverso

s) Fromond. de animâ p. 205. è Diog. Laertio. *t)* Plin. Lib. XXV. c. 2.

verso pectore vulnus, aut in conflictu, dum pro patriâ pugnat, oppetita mors: ita nævum aliqvem valetudinis, aut mortem etiam ipsam libris imputare, cùm omninò sit homini semel moriendum, in parte felicitatis suæ si ponant eruditi, videbuntur fortasse alicui non peccare. Malo tamen ista objicientibus aliter respondere. Sanè verè, si moderatè tractentur studia, non video, qvo pacto obesse qveant valetudini, ac non prodesse potiùs mirificè. Non enim perpetuò hærebimus libris affixi, sed inter laborem & qvietem ita partiemur tempora nostra, ut neqve computrescamus desidiâ, neqve rumpamur continuis nixibus. Qvam sedendo contraximus molestiam, eam discutiemus ambulando. Interdum ex angulis nostris prorepemus in publicum, &, si per anni tempestatem licet, jubebimus nobiscum Musas rusticari. Interdum salutabimus amiculos, & jucundis confabulationibus solvemus præcordia. Hæc agentibus opinor cum bonâ valetudine optimè conveniet. Nam cæteras morborum causas, iram, mœrores, salacitatem, luxum, ex artium nostrarum præscripto procul à nobis habemus. Qvòd si maximè diuturnior animi contentio aliqvid à vigore nostro decerpat, id è studiorum dulcedine proficiscens gaudium sarcit abundè, & vel solum plurimis se nostris morbis opponit. Incredibile enim dictu est, qvanta sit eruditæ voluptatis in corpore vegetando pote-

poteſtas, adeò qvidem, ut multi, cùm decumberent, librorum è lectione convaluiſſe legantur. Miratur Cardanus in Geniturâ Eraſmi Roterodami *u*), qvî factum ſit, ut morboſus ille ſemper, ad decrepitam pervenerit ætatem, ſeptuageſimo enim anno mortuus eſt. Deſinat mirari: literatus fuit. Qvid jam ex veteri memoriâ Heraclitum, Platonem, Ariſtotelem, Theophraſtum, Xenocratem, Pythagoram, Democritum, aut Chryſippum *w*) deniqve repetam, qvem inter etiam epulas tàm intemperantem ſtudii fuiſſe ajunt, ut evolante ad alia ingenio, manus ceſſaret, & hianti ori ancilla Meliſſa cibum ingerere deberet. Qvid è propioribus Albertum Magnum, Beſſarionem, Jovianum Pontanum, Marſilium Ficinum, Pomponium Lætum, Joannem Argyropylum *x*), Hieronymum Wildebergium *y*)? Atqvi horum omnium

u) Cardan. Genitur. f. 496. *w*) De his omnibus vide Lib. Fromond. lib. II. Philoſ. Chriſt. de anim. c. 2. artic. 7. (ubi ventilat qvæſtionem: *An Scaliger meritò reprehendat Cardanum, qvòd dixerit, ſtudia ad vitæ longitudinem conferre?*) p. 210. ed. Lovan. A. 1649. Chryſippi à nobis qvoqve mentio facta eſt ſuprà lit. k. è Mureto. Pro Chryſippo autem Carneadem memorat Valer. Max. lib. VIII. c. 7. n. 5. extern. *x*) De his iterum lege Fromondum d. l. p. 211. *y*) Orat. de vit. Val. Fridl. Trocedorfii (qvam exhibet Orationes poſtremæ Phil. Mel. ed. Witeb. An. 1565.) p. 895. *qvæ* [Schola Goltpergenſis] *collapſa erat poſt diſceſſum Hieronymi VVildebergii, Viri Clariſſimi, qvi — mortuus eſt annis plenus, centeſimum enim attigiſſe putatur.*

um nemo septuagenario minor defecit, qvidam etiam ad centum annos & ultrà processerunt. Qvòd si qvosdam ex eruditorum grege fatalis hora in flore juventutis demetit, nimirum contingit illis, qvod & aliis plurimis, in qvibus ne vena qvidem vixerat hominis literati. De corporis bonis dictum est satis. Nam pulchritudinem eruditi aut habent, aut si non habent, ingenii dotibus copiosè redimunt. Ac veluti Cæsares qvidam calvitium coronâ laureâ dissimulâsse leguntur: sic illi, si qvam oris habent invenustatem, virtutibus animi obtegunt pulcherrimè. Fidem propè superat, qvod de Cratete Apulejus z) prodidit, eum cùm deformi gibbere notatus esset, à nobili virgine, spretis qvi eam ambiverant junioribus atqve opulentis, ultrò petitum esse. (De Socrate qvidem, cujus recalva frons, simæ nares, pilosi humeri, & repanda crura fuisse memorantur, qvid Hieronymus libro contrà Jovinianum a) annotaverit, latere jam patior.) Adeò corporis vitia, qvæ aliis hominibus impeditam reddunt uxoris qværendæ rationem, literatis non sunt obstaculo. Restant fortunæ bona, honores, gloria, opes, amicitiæ. Qvæ, ubi sua rebus pretia constant, facilè ab eruditis, si hoc agant, parantur. Nisi mihi tempus ad dicendum effluxisset,

z) Apulej. lib. II. Florid. p. 229. ed. Colv. Conf. Laert. lib. VI. sub Hipparchiâ p. 257. a) cit. Pet. Crinit. lib. II. de hon. discipl. c. 11.

xisset, poteram hæc prolatis ex omni ævo exemplis confirmare. Hoc qvidem certum est, neqve dulciores ullas, neqve stabiliores amicitias esse, qvàm inter literatos qvas studiorum æqvalitas sancivit. Gloria autem, vincente tandem invidiam veritate, vel post mortem eos immortalitati efficaciter consecrat, ut qvi non silentio vitam transegerint uti pecora *b*), sed reliqverint, qvo se vixisse testentur. Cætera nec appetunt avidè, nec amissa dolent impensè. Hi enim sunt, qvi adversanti Fortunæ medium ungvem ostendere possunt. Nam ad omnes casuum qvorumlibet ictus, anteqvam inferantur, meditatione præparatum habent pectus. Itaqve soli etiam in infelicitate felices sunt, neqve sensum suarum calamitatum altiùs admittunt, qvàm rupes tundentium fluctuum minas. Docuit enim eos philosophia, miserum neminem esse, qvi suâ se virtute involvat. Ubi jam sunt, qvi miserrimos mortalium putant esse literatos? Sanè miseri sunt, qvi felicitatem suam ignorant: felices, qvi suis divitiis fruuntur. Sunt autem, ut inqvit Cicero *c*), maximæ certissimæqve divitiæ, contentum suis rebus esse. Edidit libros duos, nominatim de infelicitate Literatorum inscriptos, Joannes Pierius Valerianus, refertos exemplis eorum ex ævo superiori, qvi in Italiâ indignissimis, ut ait *d*), infortuniis

b) Salust. ab init. bell. Catilin. *c*) Paradox. pag. 125.
d) Pier. de lit. infelic. lib. I. p. 10. ed. Amstelod. A. 1647.

tuniis affecti occubuerunt, alii peste intercepti, alii exilio & inopiâ oppressi, alii ferro trucidati, alii diuturnis cruciatibus absumpti; qvibus, qvi ultrò sibi mortem consciverunt, ut infelicissimi interjiciuntur. Eqvidem qvo minùs hi maximè postremi pro infelicibus habeantur, non intercedo: sed hi ipsi profectò malè didicerunt literas, neqve ultrà strepitum inanis scientiæ progressi mihi esse videntur. In cæteris omisit, qvod maximè ad rem faciebat, qvomodo illi sua tempora tulerint. Negabo enim, si ea moderatè tulerunt, fuisse infelices, si impatienter, rectè institutos. Neqve tamen in his omnibus attulit qvicqvam, qvod ad literatos privatim, omnia, qvæ communiter ad homines pertineant. Nam exilia, paupertas, pestis, mortes cruentæ non eruditi cœtûs mala sunt, sed generis humani. Ac lepidè se habet, qvòd repertus est post eum *e)*, qvi libellis istis appendicem adjiceret, novòqve Catalogo infelicium nomen qvoqve insereret *f)* Pierii Valeriani: puto, ne qvi cæterorum tàm accuratè computâsset ærumnas, non haberet, qvi idem faceret ipsi. Cui verò vicissim, si hoc jubeatur, difficile sit vel ingentem exercitum numerare felicium literatorum *g)*, qvi conscriptam illam à Pierio Valeriano

e) Cornelius puta Tollius, cujus appendix Amstelodamensi, qvam dixi, editioni accessit. *f)* p. 9. append. *g)* Faciet hanc in rem cumprimis *Coronis Historico-Theosophica*, qvam Celeberr. *Theophilus Spizelius* Commen-

riano turmam facilè vincat, aut ex eâ etiam nonnullos in sua castra non invitos alliciat? Vobis interim, A. O. DEUM precor, ut nunqvam eveniat, qvò felicibus accenseri desinatis, neqve nostrûm cuiqvam, ut eum suæ sortis pœniteat!

* *Secuta sunt solennia ad actum hunc Academicum pertinentia.*

---

tationibus suis *de vitiis literatorum*, (qvæ anno 1676. atqve adeò mihi hæc peroranti nondum conspectæ, Augustæ Vindel. prodierunt,) p. 1060. & seqq. lectu dignissimam adjecit. Nam in eâ *Felicis Literati imago exemplis & documentis selectioribus illustrata ostenditur.*

Literariæ Voluptatis Præconia, duobus illis, qvæ in ipso Orationis contextu è Strigelio & Mureto recitavimus, bellè consonantia, & huic loco reservata.

(*respice ad lit. m. n. o.*)

Sirach. Eccles. c. 40. v. 20.

Οἶνος καὶ μουσικὰ εὐφραίνουσι καρδίαν, καὶ ὑπὲρ ἀμφότερα ἀγάπησις σοφίας.

Qvintilian. lib. II. c. 19. (al. 18.)

Nam est aliqvis, ac nescio an maximus, etiam ex secretis studiis fructus, ac tùm pura voluptas literarum, cùm ab actu, id est opere, recesserunt, & contemplatione sui fruuntur.

Petr. Blesens. Epist. 81.

Si semel svavitatem sapientiæ degustâsses, omnia præter illam in fastidium tibi verterentur.

Hier.

Hier. Cardanus epist. nuncup. libb. de rerum Variet. † 3.

Qvid ei voluptati comparari potest, qvam discendo capimus? Qvid jucundius, qvàm scire qvid simus, qvid fuerimus, qvid erimus, atqve cum his etiam divina atqve suprema illa post obitum mundiqve vicissitudines? deniqve præterita noscere atqve futura?

Gvilielm. Budæus Epist. ad Lud. Viv. lib. I. (cit. Jac. Pontan. p 297. Bellar. Attic.)

Enimverò lectitandi, commentandi, scriptitandi voluptatem, iis qvidem certè, qvibus ea res sub manus succedit, numine aliqvo aspirante, nec ære nec auro permutandam esse censeo, ne sceptris qvidem ipsis, nedum fascibus & infulis ad vulgus splendorem suum venditantibus.

Paul. Manutius lib. III. epist. 19. (ad Muretum.)

Nos autem nunc qvidem fruimur svavissimâ omnium & jucundissimâ voluptate, qvæ manat ex honestis cogitationibus ac studiis.

Andr. Schottus Hispan. Biblioth. p. 557.

De qvibus studiis verè judicare solitum [Petrum Ciacconium] *accepimus, si qva esset in vita mortalium felicitas animiqve oblectatio, eam in laudandarum artium studiis, nec alibi, qværendam videri: rursus si qva in his ipsis studiis cum voluptate conjuncta esset utilitas, animorumqve salus, eam in divinæ scripturæ, qvam scrutari nos Deus præcipit, & SS. Patrum orthodoxæ fidei assiduâ Lectione inveniri.*

QVod felix & salutare, Matriqve Academiæ opportunum esse Omnipotens DEUS jubeat, autoritate & jussu Serenissimi Principis JOHANNIS GEORGII Saxoniæ Electoris, Domini nostri Clementissimi, Moralis Philosophiæ Professionem publicam propediem ingrediar. Arduum profectò munus, eoqve difficilius, qvò mores se corrigi ægriùs patiuntur, qvàm formari ingenium. Accedit altera ratio, qvòd eâ jam vivitur tempestate, in qvâ qvi Aristotelicæ Philosophiæ qvamcunqve partem enarrandam susceperit, ei non tantùm cùm inscitiâ juventutis, sed & cum accusationibus eruditissimorum hominum, qvibus Aristotelis nostri in omni genere doctrinarum qvæsita gloria subruitur, decertandum esse videatur. Qvâ in re,

PROʀECTOR MAGNIFICE, &c.
admirari hoc licet inprimis, uti rerum in mundo omnium, ita opinionum qvoqve & sectarum fatales esse qvasdam vices & conversiones. Non jam libet Peripateticæ Philosophiæ fortunam, per omnes ejus ætates scrupulosè excutere: sed tamen eam à primis incunabulis maximè variam *a*) experta esse, si animum advertamus, deprehenditur: jam à discipulis Aristotelis horumqve successoribus, tanqvam à pædagogis, non sine libertate dissentiendi castigata; mox

a) Vide Franc. Patric. Tom. I. Discuss. Perip. lib. 12. f. 152. seqq.

Andronici Rhodii paraphrasibus qvasi ultra terminos infantiæ promota; hinc ab Alexandro Aphrodisæo ad spem aliqvam usurpandi in cæteras philosophantium sectas imperii animata; nisi Platonici nominis, præsertim apud Christianos, amor & veneratio *b)* persvasissent, ut cùm Platonicâ Scholâ inducias, ac tantùm non fœdus pacisci maluerit; dehinc inter consilia excutiendæ societatis irruptionibus barbarorum oppressa, diuturnoqve silentio damnata; qvin & in Arabum potestatem redacta, in Hispaniamqve avecta; donec ab Averroe liberaliter manumissa, atqve magnis impleta spiritibus, in Academias Europæ, non diu natas iis temporibus, immigravit, & ab omni partium studio vacuas vel ipsâ novitate occupavit. Qvâ felicitate dum impotentiùs utitur non tantùm in servitutem ingeniorum, qvibus ab Aristotele discedere summum nefas erat, sed in sacræ qvoqve Theologiæ contumeliam, cui se petulanti audaciâ consortem dignitatis oggerebat: factum est, ut, qvo tempore altissimè evecta esset, prope subsederit in ruinam. Posteaqvàm enim è templis eam sacrisqve cathedris præcipitavit Lutherus, Philosophi qvoqve, Theologorum exemplo commoniti, memores antiqvæ libertatis, aliis eam locis planè expulerunt, alibi pote-

b) vid. Augustin. lib. VIII. de Civ. Dei c. 9. 11. 12. Jo. Saresber. Policrat. lib. VII. c. 5. p. 360. Ferrar. monit. p. 69. Perer. Phys. p. 202.

potestatem ejus certis legibus circumscribentes minus ipsi dominationis reliqvére. Enimverò, Auditores, negari non potest, superioribus seculis Philosophiæ Aristotelicæ amore majorem ingenuis mentibus vim illatam fuisse, qvàm cujus pudere posteritatem non possit. Qvis enim ferat illam verborum insolentiam *c)*: nullum errorem in Aristotele inventum esse; nihil in eo mancum, nihil superfluum; esse eum regulam & exemplar, qvod natura invenerit ad demonstrandam ultimam perfectionem humanam; ipsius intellectum finem fuisse humani intellectûs; omnia deniqve ejus verba pro divinis oraculis amplectenda? Qvem tamen non errare modò, ut hominem, potuisse credibile esset, sed errâsse qvoqve in multis, divinæ veritatis ignoratione, constaret liqvidò. Atqve Averroi talia excidisse, insulsissimæ aliàs religionis mancipio, minùs erat fortasse mirandum: eos autem, qvi Christianam religionem profiterentur, carmen tàm horribile, qvod Saracenicus magister præivisset, picarum instar repetere voluisse, qvis non habeat pro portento? nisi qvòd jam assvetis parere absurdissimæ libidini Romani Pontificis minùs hæc servitus pœnitenda videri potuit, qvam ab acerrimi judicii Philosopho acciperent. Itaqve Averroem elogiis suis superantes eò tandem pervenerunt,

L 3 ut

c) De qvâ consule Camerar. ad Nicomach. p. 479. Alsted. Thes. Chronolog. p. 479. Patric. discuss. f. 162.

ut impiâ ſatis voce Ariſtotelem publicè jactarent ſic fuiſſe Chriſti præcurſorem in naturalibus, qvemadmodùm in gratuitis Johannem Baptiſtam *d)*: imò ſi contingeret Evangelica ſcripta amitti, poſſe ea reparari ex Ethicis Ariſtotelis libris *e)*. Hæc cùm tolerari diutiùs à ſanis hominibus non poſſent, invidia, qvam Ariſtotelico nomini maleferiati homines fecerant, in ejus doctrinam exonerari cœpit: utqve humanum ingenium nimia omnia vitare neſcit, indignitate rei qvidam adeò ſunt abrepti, ut ea qvoqve, qvæ rectè eſſent à Philoſopho poſita, cavillis impeterent, nullumqve facerent exagitandi Ariſtotelis finem, prorſus ac ſi omnium fuiſſet ineptiſſimus. Cujus tamen philoſophandi ratio & acrimoniâ judicii, & in cauſis reddendis ſolicitudine, & ordinis concinnitate meritò à nobis ſuprà cæteras ſectas elevatur. Sed hic eſt ſeculi noſtri morbus, ut jam multi eruditionem in eo ponant, ſi qvis Ariſtotelem poſſit de ponte, tanqvam ſexagenarium, dejicere. Ego verò, Auditores Honoratiſſimi, id mihi in Ethicâ Profeſſione credo negotii datum eſſe, ut moralem doctrinam, qvam inter veteres opti-

d) Teſte Henr. Corn. Agrippâ c.54. de vanit. ſcientiar.

e) Vid. Camerar. p. 119. ad libell. Plutatch. de virt. mor. Huc & illud refer, qvod recitat Mel. Adam. vit. Philoſ. Germ. p. 186. *de Monacho qvodam concionatore ejus loci* (Tubingæ) *narrare ſolebat* (Phil. Mel.) *qvòd pro concione omiſſâ Evangeliorum doctrinâ Ethica Ariſtotelis explicâſſet.*

optimè digessit Aristoteles, ex ejus Nicomacheis exponam, ita tamen, ut (qvæ philosophandi peripateticè antiqvissima pariter & probatissima ratio est) si veriora interdum proferri ab illustratis majori lumine poterunt, (uti poterunt certè,) salvâ viri autoritate ab ejus abire sententiâ liceat; qvæ verò commodè cumqve veritate congruenter (uti pleraqve) ab eo prolata sunt, his grato animo fruar, ac ne in iis qvidem, in qvibus ab eo secessio sit facienda, acerbitati verborum indulgeam, multò minùs, qvæcunqve sive à moribus nostris, sive à temporibus discrepent, statim in occasionem maledicendi, id qvod obtrectatoribus ejus solenne est, convertam. Hujus animi mei testificationem ut ederem, argumentum orationi meæ, qvam ad Vos, Auditores Optimi, habendam mihi intelligebam, illud elegi, qvod cùm non esset alienum ab Ethicâ disciplinâ, ac potiùs inter ejus initia agitari soleret, simul tamen objiceret mihi copiam defendendi Philosophi à præcipitis qvorundam judicii severitate. Cùm enim testatum reliqvisset, *Juvenem Ethices non satis idoneum esse Auditorem:* qvi neqve intellîgerent, qvibus temporibus hoc esset prolatum, neqve qvas cautiones huic sententiæ circumduxisset autor, animadvertere vellent, maligniùs dictum interpretantes, tanqvam istâ florentis ætatis exclusione ver ex anno tollere voluisset, Aristotelem criminati sunt. Adversum hos planum fa-

ciam, Philoſophum ita edicendi cauſas privatim habuiſſe longè graviſſimas juſtiſſimasqve. Qvod ubi expoſitâ illius ævi ratione evicero, comparatione noſtri ſeculi breviſſimè declarabo, cur eadem ratio apud nos non valeat, neqve valere adeò debeat. A Vobis, *Prorector Magnifice*, *&c.* ſummoperè contendo, ut me, qvemadmodùm cœpiſtis, benevolentiâ veſtrâ ad exitum usqve orationis proſeqvamini.

Primum igitur illud erit, ut Ariſtotelis ſententiam breviter ac nudè proponamus. Is capite tertio libri primi Nicomacheorum, cùm conditionem Ethicæ diſciplinæ non adeò accuratas demonſtrationes admittere docuiſſet, ſed contentos eſſe nos oportere deſumtis ex qvotidianâ vitâ probabilibus argumentis: mox infert, juvenem doctrinæ de moribus οἰκεῖον ἀκροατὴν eſſe non poſſe, eò qvòd ſit rudis atqve ignarus eorum, qvæ in vitâ geruntur: accedere & alteram cauſam, qvòd adoleſcentia ſeqvi ſoleat impetûs ſtultarum cupiditatum; unde conſecuturum haud dubiè, ut inutilis ipſi futura ſit inſtitutio, cùm non ſufficiat intelligere, qvæ agenda ſint, niſi, qvæ intellexeris, tradas effectui. Nihil autem intereſſe inter juvenem, qvalem jam deſcripſerit, & eum, qvi annos adoleſcentiæ egreſſus nondum deſierit peccare juveniliter. Neqve enim ex annorum paucitate, ſed ex diſciplinæ laxatione æſtimatum hoc in loco ſe juvenem velle. Hæc ab eo breviter expo-

exposita, cùm longa seculorum successio sive præteriisset tanqvam in transitu dicta, sive, ut prolata à summo philosopho, approbasset etiam judicio suo: superior demùm ætas, qvæ nullam increpandi Aristotelis occasionem prætermisit, cum ludibrio protraxit in scenam, damnavitqve absurditatis *f)*. Neqve enim æqvum dicebant, arceri ab institutione eam ætatem, qvæ invitanda potiùs atqve adducenda in tempore videretur. Itaqve sic disputabant, ut primò negarent, verum esse, juvenes omnes omni rerum usu destitui, servosqve esse cupiditatum suarum: reperiri enim sanè aliqvos, præsertim qvi à primâ statim pueritiâ fideliter instituti, honestisqve actionibus spectatores adhibiti fuerint, qvi sibi in istâ ætate & aliqvam de moribus judicandi facultatem comparaverint, & affectibus imperare didicerint rectiùs sæpè qvàm multi senes, qvibus neqvitia, qvia non statim in teneris eam correxerint, cum ipsis succrevisset. Deinde etiamsi tales essent juvenes, qvales ab Aristotele depingùntur, imperiti rerum, pleni pravarum propensionum: adeò tamen à præceptionibus philosophiæ moralis abigendos non esse, ut vel hanc ob causam admovendi sint magis. Qvæ enim, inqviunt, malevolentia est, ætatem istam, qvia nondum profecerit in curriculo virtutis, proficere etiam in poste-

f) Vide inprimis Audomarum Talæum prælect. in I. Nicom. 3.

posterum nolle? Aut qvibus profuturam esse morum disciplinam putabimus, si, qvi maximè eâ indigent, minimè uti permittentur? Nonne antiqvi legumlatores, qvi primi fuerunt magistri morum doctoresqve vitæ, malis civibus isthâc ratione consultum voluerunt, ut laude & præmio ad officium flecterentur, ignominiâ & supplicio revocarentur ab improbitate? Cur igitur adolescentes, qvia mali sunt, leges accipere vivendi ab Ethicæ doctore non patiemur? Qvid? annon animorum qvandam esse medicinam philosophiam in omnibus scholis prædicatur? Qvis autem ferat medicum, qvi januâ & domo suâ ægrotis interdiceret? At desperatis adhibere medicinam Hippocrates vetuit. Nobis verò de emendatione hominis non ita facile est desperare, qvàm de morbi curatione medicis. Sunt enim illis ægrotantium duo genera, qvorum alii, si velint, cum bonâ valetudine reduci in gratiam possunt, alii, ut maximè velint, non possunt. Illarum, utpote sanabilium, curationem suscipiunt, hos pro conclamatis relinqvunt, ne subeat speciem occisi, qvem sua sors peremerit. At nos, qvantumcunqve perditis moribus vivat adolescens, deploratum tamen vix audebimus pronunciare, tantùm convalescendi feriam adferat voluntatem. Rectè enim dixit Horatius *g*):

Invi-

g) lib. I. Epist. I.

Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeò ferus est, ut non mitescere possit,
Si modò culturæ patientem commodet aurem.

Polemone Atheniensi qvis fuit dissolutior juvenis? In lustris, in popinis, in conviviis, in omnibus deniqve locis ita gestu, incessu, sermone petulantiam profitebatur, ut desperatus omninò haberetur, qvippe qvi non illecebris tantùm vitiorum, sed ipsâ qvoqve infamiâ gauderet. Hunc tamen una Xenocratis Philosophi oratio, in qvam vino gravis, ungvento delibutus, sertis capite redimito, non discendi animo, sed ut honestissima præcepta temulentiæ lasciviis deturparet, irruperat, ita derepente immutavit, ut ex infami ganeone maximus evaserit philosophus *b)*. Nimirum obtriverat ille qvidem heluando inditum sibi sensum honestatis; sed evellere tamen radicitùs ita non potuit, qvin resumtis è gravissimi senis increpatione viribus in meliorem frugem illa se reduci pateretur. Remanent enim in perditissimis qvoqve illi conscientiæ stimuli, legisqve hominibus insculptæ dictamina, qvibus qvicunqve obtemperare decreverit, de ejus salute neqvaqvam despondendus animus videatur Non igitur de moribus judicare non poterit adolescens, neqve, si experientiâ caret, ratione qvoqve destitui putandus est, qvâ discernere ab honestis turpia valeat. Sed hac, æstima-

b) Valer. Max. lib. VI. c. 9. extern. 1.

ſtimare illum mores non poſſe. Nec ægrotus de morbo ſuo judicat. Accedet nihilominus ut ille ad medicum, ita hic ad philoſophum. Age verò, potéſtne virilis ætas aptior eſſe ad accipienda virtutis ſemina, qvæ cupiditatibus ſuis per omnem vitæ curſum permiſſa, peccandi conſvetudine non ad ſpem emendationis, ſed ad conſummationem flagitiorum maturuit, qvàm adoleſcentia, qvæ inclinata qvidem & ipſa ad pravitatem, flecti tamen, ut arbor tenera adhuc, in contrariam partem, & monitis ſalutaribus reduci faciliùs poteſt à tramite vitiorum, in qvo non adeò longas progreſſiones fecerit? Eqvis, dum teneri ſunt, nihil eſt ferocius. At eqveſtris diſciplina ab hâc ipſorum ætate inchoare jubet flectendæ cervicis imperia. Et nos juventus petulantiâ ſuâ deterrebit, ne in gyrum rectæ rationis illam cogere velimus? Præterea, ſi Philoſophia moralis una & eadem eſt tàm ſingulorum hominum, qvàm univerſorum, ſive in familiâ, ſive in civitate, aut qvocunqve vivant conſortio, ut ipſe in Politicis docet Ariſtoteles; ſiqve morales ac civiles leges promiſcuæ hominum in civitate degentium genti à legislatore communiter traduntur: annon ridiculum eſt qværere, qvi ſint in civitate legum idonei Auditores? qvaſi non una ſit communis omnium & bonorum & malorum doctrina, non una ſchola, non unus magiſter. Jam & hoc reputemus, cui is ipſe, qvi juvenes à mora-

morali Peripato exclusos voluit, sua moralia inscripserit? Nonne filio Nicomacho? Qvi si juvenis adhuc, patre jam mortuo, interiit, ut de eo Eusebius scriptum reliqvit, vir profectò, cùm hos à patre libros acciperet, esse non potuit. Videturqve Aristotelis exemplum imitari Cicero voluisse, cùm Marco filio suos de officiis commentarios Athenas mitteret, non multùm ultra vigesimum ætatis annum progresso: qvem tamen in legendis tùm græcorum, tùm paternis scriptis uti vult judicio suo *i)*. Qvòd si verum est, qvod Ammonius *k)* prodidit, ut septimo decimo ætatis anno ad Socratem itare cœperit Aristoteles: qvod argumentum validiùs in Aristotelem torqveri poterit, qvàm proprium ipsius exemplum? Constat enim, Socratem nullam, nisi hanc Philosophiæ partem docuisse *l)*. Hæc, Auditores humanissimi, speciosis verbis adversùs principem Philosophorum perorari solent, qvibus id deniqve efficiatur, ut inconsideratè eum fecisse credamus, qvi non intelligens, qvantum sit à teneris assvescere, ab eâ ætate omni, qvæ ad virilem usqve porrigitur, institutionem ad mores honestos removerit. Gravis profectò, si vera sit, accusatio.

Qvis

i) Cic. I. offic. p. 1. *Nostra legens, non multum à peripateticis diffidentia, qvoniam utriqve & Socratici & Platonici esse volumus, de rebus ipsis utere judicio tuo: nihil enim impedio.* *k)* in vitâ Aristot. *l)* Muret. comment. in Aristot. Eth. ad Nicom. p. 39.

Qvis enim non indignetur, tantum philosophum, qvi tàm oculatus fuerit in obscurissimis disputationibus, eâ ignorâsse, qvæ populorum omnium consensu vera semper, ipsâ naturâ monitrice, judicata sunt, honestatis præcepta nulli ætati feliciùs, qvàm illi flexibili nondumqve induratæ applicari? Qvòd si hæc sciens dissimulavit tamen, majore etiam odio dignus sit, qvi isthâc sententiâ communem Rerump. salutem, cujus bona pars dubio procul in rectâ juvenum educatione posita est, prodiderit, pestilentissimi autor consilii. Sed longè abest ab Aristotele nostro hæc reprehensio. Qvem inveteratam formandæ ad virtutem adolescentiæ rationem impugnare neqvaqvam voluisse, si nihil aliud, vel hoc abundè ostendat, qvòd vix tribus versibus hæc disseruit, nec tetigit aliter, qvàm in transcursu: qvi aliàs, qvoties in minutorum etiam philosophorum dogmata, qvantumvis in iis non sita esset salus Græciæ, incurrit, qvàm confertam obsecro argumentorum aciem educit! qvibus viribus præliatur! qvibus armis confligit! qvas admovet machinas! Neqve in physicis solùm disceptationibus tàm strenuè pugnat, sed in iis etiam, qvæ ad practicam philosophiæ partem referuntur. Taceo qvàm copiosè Platonicam & possessionum & mulierum publicationem refutaverit. Phaleas qvidam Chalcedonius statuerat, optimum esse in Rep. si civium omnium facultates æqvarentur:

rentur: id enim ipsi percommodum fuerat visum ad cavendas seditiones, qvæ utplurimùm fortunarum causâ orirentur. Id etsi ab homine, ut apparet, obscuro, nulliusqve nominis erat prolatum, neqve ab ullâ Rerump. receptum, & multis de causis absurdissimum: peculiari tamen capite *m)* eoqve satis prolixo destruendum sibi putavit Aristoteles, jam illud objiciens, non facultatum modò, sed liberorum qvoqve procreandorum æqvalitatem anciendam fuisse, qvippe sine qvâ multorum civium egestatem, ob alendæ familiæ copiam, seqvi esset necesse; jam reprehendens, qvòd de bonis ad modum reducendis magis, qvâm de cupiditatibus civium frenandis laboraverit Phaleas; qvodqve agrorum tantùm possessiones æqvari voluerit, de cæteris bonis, puta pecudibus, servis, numis, supellectile nimium securus; deniqve nec illud omittens, qvòd in istâ facultatum mediocritate civibus, si hostis externus ingrueret, ad belli sumtûs tolerandos non satis esse præsidii videretur. Ergò qvi unius homuncionis constituendæ Reip. frigidum consilium tàm operosè repudiat, si tot ætatum inolitas, validissimisqve communitas rationibus, de fingendâ juventute leges evertere voluisset, non paratiorem in hoc prælium credemus fuisse descensurum? Qvid multis opus est? Annon initiò statim libri secundi Ethicorum, cùm ostendisset, virtu-

m) cap. 7. (al. 5.) lib. II. Politic.

virtutem nobis non insitam esse à naturâ, sed doctrinâ atqve assvefactione parari oportere, gravissimâ sententiâ eam disputationem obsignavit *z*), non parum referre, sed caput esse rei, hoc aut illo modo hominem ab ineunte ætate assvefieri? Sensit igitur, maturè inclinandum esse hominem ad studium honestatis, neq; hanc rem in ætatem provectiorem differendam. Qvæ cùm ita sint, inqvirendum jam nobis est, qvid ipsi venerit in mentem, ut cùm tanti interesse crediderit, à teneris præclarè institui, juvenes tamen inidoneos esse Ethicæ auditores pronunciaret. Qvi enim hæc duo inter se componentes non adverterunt animum, qvibus temporibus vixerit Aristoteles, qvalemve scholam Ethicam aperuerit, (qvod audacter dicam nullum eorum fecisse, qvi ipsum hoc in loco vituperant) fieri non potest, qvin aut inconstantiæ eum, aut erroris insimulent gravissimi. Liceat hîc mihi, Optimi Auditores, cum istis obtrectatoribus agere paulisper, iisqve revocare in mentem, (qvoniam hoc ignorare se ostendunt,) qvæ fuerit illorum temporum, institutionisqve Aristotelicæ conditio. Agite igitur, reprehensores Aristotelis, ac mihi primum hoc respondete! Putatisne eum juvenes sine discrimine omnes ab officiorum disciplinâ submovisse, nullam aliam ob culpam, qvàm qvia juvenes sint? Perfricate frontem qvantum libet, nunqvam tamen probabitis, cum hâc ætate tàm duriter eum

z) II. Nicom. 1. in fine capitis.

eum egiſſe. Manifeſtè enim negat, in ætate eſſe vitium, ſed in iis, qvæ utplurimùm hanc ætatem comitantur, duobus nævis, imbecillitate judicii, & affectuum intemperie; adeoqve ſi qvis etiam è ſenioribus ab illis adoleſcentiæ vitiis nondum ſe extricaverit, eundem pariter pro juvene excluſum ſe velle. Qvid hinc putatis conſeqvi? niſi ut è contrario, ſi qvis juvenis ad laudes maturiori ætati proprias ſurrexerit, eum ipſo qvoqve Ariſtotele judice *o*) digniſſimum ſtatuamus Ethici præceptoris expolitione. Talem nimirum & ipſum fuiſſe eâ ætate, & filium habuiſſe Nicomachum facilè vobis aſſentiemur. Qvanqvam, qvod ex Ammonio affertis, Socratem ab Ariſtotele auditum eſſe, id haud dubiè ratio temporis non permittit *p*), cùm à morte Socratis ſexto decimo demùm anno natus ſit noſter philoſophus. Depulſa jam eſt magna pars invidiæ, dum oſtendi, ſolos eos adoleſcentum excluſos, qvos ſtupor juvenilis & morum petulantia infeciſſet. Vos verò ne hoc qvidem tolerandum eſſe clamatis, negatisqve fas Ariſtoteli fuiſſe, ſic ægrotantibus medicum prohibere. Hic mihi ad ipſa Ariſtotelis

M verba

o) Facit huc illud lib. X. Nicom. c. 9. p. 439. ed. Hanov. A. 1611, *Nunc verò ita comparatum eſt, ut verba, doctrina, ac præcepta poſſent illa qvidem liberalia ingenia cohortari & excitare, & benè nata & amantia honeſtatis ingenia,* [νέων τοὺς ἐλευθερίους, juvenes ingenuos] *admirabili qvodam amore virtutis inflammare.* *p*) Nunneſ. ad vitam Ariſtot. ab Ammonio ſcriptam p. 65.

verba ducendi estis paulò propius. Ubi enim, qvæso, juvenili ætati aditum præclusit monita vitæ honestæ audiendi? Provocatis ad hæc ejus verba: τῆς πολιτικῆς οὐκ ἔστιν οἰκεῖος ἀκροατὴς ὁ νέος. O homines præclaros! qvi non intelligant, haud vetuisse philosophum, qvò minus erudiantur ad virtutem juvenes ab iis, qvibus hoc sive à moderatoribus Reip. sive à parentibus datum est negotium, sed tantùm sibi, privato homini, & qvidem inter *Acroamaticos* moralis philosophicæ discipulos, (id enim ἀκροατοῦ vocabulum innuit,) qvibus non libellum aliqvem moralibus Catonis distichis similem prælegeret, sed perfectam virtutis possessionem ingeneraret, noluisse habere rudes ætate, & ab affectibus abductos in servitutem juvenes. Hoccine tàm insanis vociferationibus explodendum putavistis? Hicne campus est, in qvo depectendi Aristotelis usurpari tanta debuit licentia? Nihil à legibus formandæ juventutis decerpsit, nihil præscripsit ætati secuturæ, ac de nostrâ ne cogitavit qvidem: usus est tantùm eâ libertate, qvâ tùm doctores universi gaudebant *q)*, ut qvos vellent, adsciscerent discipulos, qvos non vellent, repellerent sine injuriâ. Hoc Platoni licuit, qvem omnibus ἀγεωμετρήτοις scholam suam clausisse nemo ignorat. Licuit hoc idem Xenocrati *r)*, qvi admitti petentem

inter

q) Vid. Conring. Antiq. Academ. p. 9. *r)* De qvo Laert. in vit. Philos. p. m. 161.

inter discipulos, qvoniam rudis esset mathematicarum disciplinarum, abire jussit, qvasi qvi non haberet ansas philosophiæ. Antistheni *s)* licuit, qvi etiam baculum Diogeni intentavit, nî facesseret. Atqvi hos nemo vestrûm reprehendit. Unus Aristoteles, qvem veluti scopum qvendam invectionibus vestris præfixistis, cùm eodem jure submovendi, qvos non satis commodos sibi auditores arbitraretur, usus sit, conviciis oneratur, qvasi voluerit juventutem planè moribus suis relinqvi, omni alienâ informatione destitutam. Qvid autem dicetis, si probavero, eundem ipsum, qvem vos adeò reprehenditis, Aristotelem juvenibus multis, iisqve sine delectu, non rhetorica solùm, sed civilia qvoqve præcepta (peripato qvidem vespertino) dedisse? Hoc enim si verum sit, annon ita cogitare debebatis, philosophum istâ sententiâ peculiarem aliqvam scholam comprehendisse, è qvâ adolescentes exesse voluerit? Qvæ verò dixi, autoritate nituntur gravissimi scriptoris A. Gellii *t)*, hoc tamen peccantis, qvòd acroamaticas commentationes non docendi limatiore modo, sed ipsarum argumento doctrinarum ab exotericis distinxerit, hoc videlicet pacto ethica atqve politica præcepta à matutino peripato planè relegans: cùm tamen Nicomachei libri neqve ordinis pulchritudine, neqve argumentorum copiâ, neqve subtilitate disse-

s) Laert. d. l. p. 229. *t)* lib. XX. noct. Attic. c. 4.

rendi (qvoad qvidem eorum ratio permittit) à Logicis aut Physicis commentariis, qvos nemo dubitat acroamaticos esse, relinqvantur. Satis, opinor, Auditores, ostendi, qvod Philosophus noster negat, idoneum esse ad auditiones politicas juvenem, id neqvaqvam aliò pertinere, qvàm ut intelligeremus, consilium ipsi non fuisse, inter Ethicæ discipulos secretioris admissionis locum permittere juvenibus. Illud qvidem certè constat, accuratum discipulorum delectum ab eo habitum fuisse, & qvæ pomeridianis horis dissereret in Lyceo populariter & pingviore, ut ajunt, Minervâ, ab iis neminem facilè audire cupientem rejecisse: à matutinis autem subtilitatibus, tanqvam à sacris mysteriis, profanam multitudinem arcuisse, neqve illarum acroasium participem fecisse qvenqvam, cujus non antè ingenium atqve aptitudinem singularem exploràsset. Qvam partiendæ scholæ rationem non ipse primus usurpavit. Nam & jam olim Pythagoram (ne vetustiora scrutemur) ad similem modum duos discipulorum ordines habuisse, notum est è Clemente Alexandrino *u*). Nunc ineunda nobis est ratio, cur Aristoteles ætatem juvenilem repulerit à practicæ philosophiæ acroamaticis, qvam à theoreticâ parte nuspiam legitur ineptitudinis causatione prohibuisse. Neqve enim temerè aut invi-

u) lib. V. Strom. f. 118. Plura suggeret Franc. Patric. Discuss. Perip. Tom. I. lib. VI. f. 67.

invidiâ qvadam abreptus hoc egit, ſed qvòd hoc ita ſcholaſtico ſuo inſtituto qvàm maximè congruum videretur. Id ut pateat, paulò rem altiùs repetemus. Decretum illi fuit procul dubio, neminem in ſelectis habere auditoribus, niſi qvem certâ præſumtione confideret ad ſummum ſapientiæ faſtigium educi poſſe. Volebat enim hanc auferre à poſteris gloriam, ut ex ejus ſcholâ non niſi abſolutiſſimi philoſophi prodiiſſe dicerentur. Qvin & ex hoc ipſo grege ſucceſſorem ſibi, qvod tùm magiſtris ſolenne erat, eligere meditabatur. Itaqve ad cæteras humanæ ſapientiæ partes perſpicaciam ingenii poteſtatemqve judicandi; ad moralem hoc amplius etiam ſedatos affectûs à diſcipulo reqvirebat. Id nî faceret, facilè prævidebat fore, ut aut deſtitutus judicio opinari tantùm diſceret auditor, non ſtatuere firmiter, aut moribus jam depravatus præter acutè diſputandi de virtutibus facultatem nihil aſſeqveretur, cæterùm (qvod turpiſſimum eſſet) ſuam ipſius doctrinam ſcævis moribus refelleret, non ethicam tantùm profeſſionem, ſed & ipſius Magiſtri dedecorans autoritatem. Peſſimè enim præceptis moralibus operam is dedit, qvi, qvæ recta eſſe intelligit, non facit eadem atqve exeqvitur ſtrenuè, cùm non contemplandi, ſed maximè agendi causâ ethicus adiri doctor debeat. Qvapropter cùm juvenili ætati neqve rerum adſit experientia, unde judicium de actionibus

 gigni

gigni oporteret, & affectuum adhærere soleat intemperies, qvorum corrigendorum in lubrico admodùm spes esset: maluit nempe Aristoteles certo proposito ab illis se liberare, qvibus explorandis ætas obsisteret, qvàm subire periculum in discipulo, incertum an non degeneraturo. Est enim profectò, Auditores, maximum discrimen inter principia illa, qvæ ad practicam philosophiam afferre oportet, & altera, qvæ ad theoreticam. Consignatæ sunt in animis nostris utriusqve generis notitiæ: sed alteris assentiri promtissimum nobis est; in alteris assensum ille humanæ stirpis capitalis morbus flagitiosè langvefecit. Qvem morbum etsi parum habuit exploratum Aristoteles, experientiâ tamen fultus satis perspexit, qvanto faciliùs intellectum nostrum raperent artificum illæ & geometrarum prænotiones, qvàm hæc de discrimine honestorum & turpium principia, qvibus universa moralis doctrinæ ratio gubernatur. Itaqve initio capitis, qvod habemus in manibus, fatetur tantis errorum ac dubitationum fluctibus ea concuti, ut multis lege tantùm arbitrariâ & opinione hominum, non ipsâ naturâ, constituta videantur. Et libri sexti capite qvinto docet, intemperantiâ obrui & corrumpi non qvidem contemplabilium rerum notitias, ut qvòd trigonum tres angulos habeat duobus rectis æqvales, sed illas certè, qvæ sunt rerum practicarum. Similes ejus locos plures

plures coacervare parco. Videbat autem hinc fieri, ut ad perfectæ virtutis possessionem vix posset citiùs adspirari, qvàm juvenilium cupiditatum, processu annorum & prudentiæ acqvisitione, excusso imperio: cùm aliàs mathematicarum rerum cognitione sic satis accuratâ, etiam puer imbui possit. Qvapropter & in definitione summi boni, qvod in optimâ virtute & perfectissimâ collocat, vitæ perfectæ mentionem sibi faciendam putavit *x)*. Fuit igitur in Aristotele singularis argumentum prudentiæ, qvòd in Ethico Auditore statuit expectare terminos à naturâ definitos, neqve cum pœnitentiæ periculo spes suas temerè præcipitare. Tàm anceps deliberatio in theoreticâ philosophiâ non erat, ad qvam modò videret à discipulo afferri aciem qvandam non vulgaris ingenii, & in discendo ardorem, (qvalia æstimari non in juvene dicam, sed jam in puero possunt,) nullus erat locus dubitationi, qvin hoc magistro ad excellentiam profici in hoc genere posset. Itaqve non opus fuit, ut ætatem hîc exciperet. At in moribus castigandis qvantò pleniora omnia suspicionum, in istâ præsertim ætate, inexplicabilis humani ingenii fecit dolositas, tantò justiorem habere se causam trepidandi agnovit. Ac repetebat qvoqve memoriâ, qvid paulò ante sua tempora Socrati contigisse à parentibus inaudierat. Hic cùm primus philosophiam

x) lib. I. Nicom. c. 7.

ad corrigendos componendosqve mores flexisset, scholamqve ethicam perqvàm liberaliter aperuisset juvenibus, multos eqvidem tales reddiderat, qvales ab hoc præceptore orbis expectabat: veruntamen, ut fit, in tanto discipulorum cumulo, à qvo nemo facilè excluderetur, fuerunt qvoqve, qvos vomicas suas & carcinomata non injuriâ dixisset. Atqve inter hos præcipui Critias & Alcibiades *y*), uterqve pestis Reip. Atheniensium, ille qvidem, cùm ad paucos pervenisset civitatis status, hic, dum adhuc populus dominaretur. Etsi autem hâc in re nulla fuit Socratis culpa, qvi jam depravatos cupiditatibus, scholamqve suam neqve diu admodùm, neqve eum in finem, ut meliores fierent, sed ut dicendi facultatem sibi compararent, freqventantes corrigere frustrà laboravit: tamen carissimè hanc noxam expiare coactus est, cum inter duas causas iniqvissimæ damnationis ad mortem altera jactaretur, qvòd juventutem Socrates corrupisset. Qvis jam vitio vertat Aristoteli nostro, si alieno exemplo condocefactus, in eâ urbe, ubi ficus super ficum consenesceret, ethicam professionem cautiùs aliqvantò administrare cogitavit, evitandaqve criminatione, qvæ Socratem pessundederat, providit, ne, qvod aliqvando interrogantibus, cur Athenas reliqvisset? respondisse eum annotatum est, bis in philosophiam ab Atheniensibus

y) Vide Xenoph. lib. I. de fact. & dict. Socr. f. 713.

bus peccaretur *z)*? Videbat hoc à Socrate, animo qvidem publici boni studiosissimo, sed non æqvè prudenter, factum fuisse, qvòd discipulorum hujus generis nullum habuisset delectum: qvo instituto si non ab omnibus, qvi posteà degenerarunt, à Critiâ tamen certè & Alcibiade, qvi ipsi in primis objiciebantur, se absolvere potuisset, qvos civium omnium naturâ ambitiosissimos à pueris fuisse nemini fuit eo tempore ignotum. Itaqve Aristoteles, ne ex eâdem causâ vocari in judicium capitis posset, honestâ causatione periculosam ætatem ab ethicis acroasibus exclusit. Accedebat, qvòd virtutem doceri posse, contrà Platonem jam diu assereret. Si ergò contingeret, ut è scholâ virtutis plurimi nihilò meliores redirent, facilè prævidebat adversantium voces, culpam hanc à discipulis rejecturorum in magistrum, ut qvi rem docere suscepisset nullâ disciplinâ parabilem, sed à solâ naturâ divini Numinis beneficio expectandam. Enimverò Socratem Plato *a)* sic differentem inducit in Menone: si virtus à doctrinâ proficisceretur, nullam rationem dari posse, cur optimorum plerumqve parentum pessimi evaderent filii, ut Themistoclis, ut Aristidæ, ut Periclis, ut aliorum, qvos nominatim appellans id procul dubio & cupiisse impensè & operam dedisse ait, ut qvàm simillimos sibi

 vide-

z) Ælian. lib. III. var. histor. c. 36. *a)* Plato in Menone f. 423. Similia leges in ejus Protagorâ f. 223.

viderent liberos. Hujus sententiæ contrariam Aristoteles defendit. Qvibus id argumentis faciat, non opus hîc exponere. Cognoscetis hoc, lectissimi Adolescentes, ubi ad secundum librum Nicomacheorum volente Deo pervenerimus. Non possum tamen, qvin hoc loco breviter respondeam Platoni, qvia intelligetur hâc occasione, qvalis fuerit ea ætate apud Athenienses juventutis institutio, qvæ profectò inprimis excusatum præstare Aristotelem debet. Qvòd enim probissimorum civium tàm degeneres essent filii, non ea causa erat, qvam Socrates apud Platonem affert: sed vel alia, vel hæc etiam inter primas, qvòd virtutis nullus fuisset apud Athenienses præceptor idoneus, parentes autem ipsi præceptorum partes suscipere occupationibus publicis vetarentur. Fatetur ipse Socrates *b)* sæpenumero se, si qvi essent virtutum magistri, omni studio investigâsse, sed qvi hoc nomen mereretur, invenisse neminem: licet enim qvi tùm in Scholis regnabant Sophistæ, ut aliarum rerum omnium, ita virtutis qvoqve doctrinam mercede profiterentur; eorum tamen consvetudine deteriores ferè factos discipulos satis comprobâsse, qvàm ineptis ad hanc rem usi fuissent magistris *c)*; unum illorum Gorgiam tàm ingenui pudoris repertum, ut eloqventiam qvidem promitteret discipulis, virtutis autem doctorem jactare se nec

b) Apud Platonem in Menone f. 421. *c)* ib. f. 422. C.

nec unqvam ipse voluerit, & socios riserit jactantes *d)*. Hæc ita de suâ ætate Socrates. Cujus si verissimum semper elogium habitum fuit, qvòd primus omnium philosophiam è cœlis devocaverit in terram, hoc est, de virtutibus & vitiis potiùs, qvæqve inter homines agerentur, qvàm de cœlestium corporum magnitudine atqve intervallis qværendum putaverit: dubitari non debet, qvin ante eum apud Athenienses moralis doctrinæ nulli fuerint magistri. Fortuna autem ejus in hâc professione ejusmodi fuit, ut ea in temporum qvoqve seqventiuum philosophis facilè extingvere potuerit studium tàm ingratæ plebis liberos ad honestatem revocandi. Ac nescio sanè, annon Atheniensium Remp. hæc maximè afflixerit clades, qvòd juvenibus de bonâ institutione non satis prospexerit. Mirum hoc videri possit de civitate, qvæ sapientiæ laudibus præ cæteris semper floruit: sed de iis temporibus loqvor, qvibus improbi meliore esse conditione cœperant, qvàm probi. Qvod Xenophon *e)*, Atheniensis ipse, deplorans, nec laudare ausus, qvo pacto excusaret, nihil invenit, nisi qvia populari statui ista maximè ratio congrueret, ut mali bonis dominarentur. Eqvidem qvin pueros suos artibus liberalibus instrui diligenter curaverint, nolim abnuere. Verùm nihil minùs harum numero comprehendebatur, qvàm morum doctrina: nisi

d) ibid. f. 424. F. *e)* de Athen. Rep. ab init.

nisi fortasse grammatica, gymnastica, musica, aut scientia pingendi *f)*, (his enim artibus liberalium doctrinarum ambitus circumscribebatur,) virtutem animis nostris ingenerant, qvod tamen integrâ epistolâ, eâqve satis prolixâ, philosophus Seneca *g)* negat. Taceo qvòd pueris pædagogos servos præficiebant *h)*, bellissimos scilicet virtutum doctores: omitto, qvòd luxu & varietate vestium animos, ciborum saturitate corpora eorum emolliebant. Qvales igitur hoc pacto fieri potuerint juvenes Attici, in aperto est. Non inficior, bonos evasisse grammaticos, oratores disertos, disputatores subtiles, eqvites perfectos, musicos excellentes, pictores non ineptos. Cæterùm si de moribus qværatur, tales ajo per istam educationem effectos, qvales in comœdiis veterum verissimo schemate producuntur in scenam, scortatores impuros, bonos aleatores, ganeones perditos, callidos impostores, mendaces, perjuros, verbo ut absolvam, vitiis omnibus inqvinatissimos. Non enim, cùm ex ephebis excessissent, astringebantur imperio alicujus magistri, qvi verecundiam, sobrietatem, temperantiam, modestiam & id genus alia inculcaret, sed, ut Pamphilo Terentiano, liberiùs vivendi dabatur potestas; qvæ servorum ac parasitorum improbâ consvetudine accedente vix poterat aliter, qvàm in omnem

f) vid. Aristot. VIII. Polit. 3. Confer. Plat. iterum in Menone f. 424. *g)* Epist. 88. (al. 89.) *h)* Xenoph. f. 288. F.

omnem neqvitiam progerminare. Hoc illud eſt, qvod in ſuis etiam temporibus accuſat Plutarchus *i)*, pueris qvidem pædagogos ac magiſtros præfici, adoleſcentum impetûs nullo frenari imperio: qvi tamen tantò majore cuſtodiâ opus haberent, qvantò graviora ſint adoleſcentum flagitia erratis puerorum. Haud paulò rectiùs habebant hæc apud Lacedæmonios, qvi egreſſis pueritiæ fines neqvaqvam iſtiusmodi licentiam indulgebant, ſed qvod in pueris erat inchoatum, laboribus exercere pergebant, asſveſcebantqve ſub publicis magiſtris virtutem tùm in ſermonibus uſurpare freqventer, tùm factis exprimere: ut meritò & à Xenophonte *k)* hoc nomine liberaliter laudati ſint, & reprehendere ipſi aliqvando publicè Athenienſes potuerint, qvòd ſcientiam qvidem rectorum haberent, ſed facere eadem non vellent perinde *l)*. Apud Perſas autem inſtituendæ juventutis rationes tàm prudenter diſpoſitæ fuerant, ut in omnis Græciæ inſtitutis nihil ſimile reperiatur. Qvam enim diligentiam Græcorum pueri liberalibus artibus impendere docebantur, eandem Perſæ ſuos tenerrimâ ætate tùm aliis virtutibus addiſcendis, tùm juſtitiæ inprimis, in loco publico adhibere inſtruebant. Qvo in ſtudio adeò feliciter proficiebant, ut Cyrus vix duodecennis apud Aſtyagen avum verè glo-

i) libello de educatione liberorum. *k)* de Rep. Lacedæmon. f. 289. *l)* Cic. de ſeneſt. p. 90.

gloriatus fuerit *m*), se jam examussim callere justitiam, qvam hujusmodi qvodam periculo didicerit: Fuisse enim à Magistro aliis judicem constitutum, delatâqve ad se à duobus pueris controversiâ, qvorum grandior alteri tunicam laxiorem per vim eripuisset, redditâ breviori, sed qvæ illius corpori magis conveniret, secundùm grandiorem pronunciâsse, qvòd verum videretur, ut haberet uterqve vestem staturæ suæ aptam: verùm hujus judicii pœnas ubertim à Magistro dedisse. Qvalem juvenum apud Persas putemus institutionem fuisse, si hæc puerorum fuit? Qvæ omnia eum in finem à me commemorantur, Auditores, ut ex Atheniensium cum Lacedæmoniis ac Persis *n*) comparatione æstimetur, qvantò tutiùs expeditiusqve horum qvàm illorùm adolescentes assumi ad doctrinam morum potuerint, neqve ampliùs succenseatur Aristoteli, ab Atticæ juventutis correctione tantoperè resilienti. Ut enim operæ pretium faciat morum præceptor, inprimis in puerili futuri auditoris assvefactione situm est *o*). Qvæ laudatur & illa qvidem in Theo-

m) Xenoph. l. I. Cyropæd. f. 5. *n*) Etiam Plato Atheniensibus hoc in genere præfert Lacedæmonios & Persas. Alcibiad. I. f. 441. (edit. oper. Francof. A. 1602.) *o*) Qvintil. lib. I. c. 2. p. 18. *Mollis illa educatio, qvam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit. Qvid non adultus concupiscet, qvi in purpuris repit?* Et c. 3. p. 25. *Frangas citiùs, qvàm corrigas, qva in pravum induruerunt.* Conf. Plut. de liber. educ. (Tom. I. moral. p. 6.)

Theoreticæ philosophiæ partibus, verùm si absit, non adfert tantum detrimenti, qvod non utcunqve superari possit. In morum disciplinâ qvantum noceat perversa educatio, vel Hipparion Dionis puer *p)* documento sit, qvem, cùm pater absente se pessimè corruptum appositis custodibus in viam reducere vellet, se ipsum è superiore parte ædium dejecisse, atqve ita interiisse accepimus: usqve eo commutatam vivendi rationem ferre non potuit. Multa hîc, Auditores Optimi, prætereo, de necessitate rectæ educationis dici qvæ possent: vereor enim, ne jam nimis excreverit modus orationis meæ. Qvare nec illud afferam, præstantissimum qvemqve Philosophum, qvi scilicet mores alienos regere sapientiæ præceptis decrevisset, si qvis ei objiceretur jam perditus & depravatus, noluisse vinum illud salutaris doctrinæ aceto confundere, seu ut Pythagoras αἰνιγματωδῶς loqvebatur, cibum reponere in matellâ *q)*. nem-

p) Cornel. Nepos in Dione. *q)* Joach. Camerar. de vitâ Æsopi p. 51. *Qvemadmodum, si cum aceto suavissimum vinum confundas, acescit hoc statim & amittit dulcedinem suum: ita perversa natura qvicqvid bonorum præceptorum accepere, statim corrumpunt, inqve similem sui sensum convertunt. Viderunt hoc sapientissimi philosophi Pythagorici, qvorum inter alia hoc qvoqve fertur: cibum in matellam non reponendum. Id certe significat, bona & salutaria præcepta virtutis non committenda improbis.* Conf. qvæ de Epicteto refert Gellius lib. XVII. c. 19. & Erasm. Chiliad. I. cent. I. adag. 9.

nempe qvòd pravâ educatione corruptos censerent plus damni & dedecoris consciscere sanctissimæ philosophiæ, qvàm ab eâ referre utilitatis. Qvorum præjudiciis qvis non intelligit causam Aristotelis juvari vehementer posse? Tantùm hoc ergò ostendam, Aristotelis qvoqve temporibus talem fuisse Atticæ pubis depravationem, qvalem paulò antè descripsimus. Qvod tamen non aliunde, qvàm ex ipso Aristotele, depromtis aliqvot ejus testimoniis jam qvidem declarare libet. Is qvarto capite libri primi expresse dicit, eum, qvi dignè sit de ratione honesti & justi auditurus, oportere esse benè moribus institutum, & qvidem ἐκ νέου, ut alibi *r*) addit, similia qvoqve repetens in fine Ethicorum *s*). Annon, Auditores, si hæc sententia cum eâ comparetur, qvam præcedenti capite propositam ita flagellant importuni censores, ubi scripserat, non esse moralis philosophiæ idoneos auditores juvenes, fortiter inferemus, adolescentes illos, qvibus ethicam scholam præcludit, pro malè institutis atqve educatis eum habuisse? ut mirum sit profectò, cùm istæ sententiæ vix integrâ pagellâ ab se disjungantur, tam negligentem esse qvenqvam potuisse, ut ad eas inter se contendendas non adjiceret animum. Sed qvid faciamus illis hominibus, qvorum mentem invidia Aristotelici nominis excæca-

r) Lib. II. Nicom. c. 3. *s*) Lib. X. Nicom. c. 9.

cæcavit? Sunt in promptu & alii loci, qvi non obscurè convincant, displicuisse Aristoteli juvenum sui temporis in Atticâ civitate institutionem. Leguntur ii extremo librorum, qvos ab eo Politicos habemus. Ibi non tantùm Lacedæmoniorum circà liberos educandos consvetudinem nominatim commendans, Athenienses suos tacitâ præteritione reprehendit capite primo *t*), sed & mox secundo capite *u*), ubi jam definiendum esset, qvalem utriusqve ætatis educationem esse deceret, si usitata disciplina inspiceretur, ταραχώδη σκέψιν, hoc est, horribilem & turbulentam disqvisitionem hanc esse conqveritur. Qvamobrem obsecro? nempe qvia metuebat, si ostenderet longè aliâ informandorum juvenum ratione opus esse, qvàm qvæ vulgò Athenis obtineret, ne Reip. leges concussisse accusaretur, & in Socraticam se fortunam indueret. Itaqve facit & ibi qvidem de studio virtutis mentionem, sed ita contemperans omnia tractatione artium, qvas vocabant

 libe-

t) cap. 1. p. 505. (ed. Græcolat. Francof. A. 1601.) *unde non immeritò Lacedæmonios qvispiam laudaverit, qvi maximum in formandis pueris, idq; publicum studium adhibeant.* Paulò clarior hanc in rem locus est Aristotelis lib. X. Nicom. c.9. p.443. (ed. græcolat. Hanov. A.1611.) *In solâ autem Laconum civitate paululum videtur nomothetes rationem habuisse educationis & studiorum: in longè plurimis autem civitatibus hæc neglecta sunt, ubi vivit qvisqve pro libidine, Cyclopum more liberis & uxori imperando.* *u*) p. 506.

liberales *x)*, in qvibusqve solis juvenes Atheniensium exercebantur, facilè ut appareat, hos scopulos circumnavigare eum voluisse, ne propriæ salutis faceret naufragium. Venitqve hîc in mentem suspicari, si fortasse hæc causa sit, qvamobrem (id qvod in confesso est apud interpretes) opus Politicorum non consummatum habeamus, tanqvam non reperiente Philosopho, qvo pacto satisfaceret instituto, nec sibi tamen extremum crearet periculum. Certè qvantum nobis reliqvit Politicorum, id in hâc tractatione deficit, nec ipse eam, uti solet aliàs, absolutæ investigationis formulâ concludit. Qvicqvid autem hujus sit, satis opinor explanâsse me hactenus, gravissimas eum causas habuisse, cur sibi cum juvenibus nihil intercedere negotii in matutinâ ad virtutem informatione voluerit. Restat, ut jam qvoqve edisseram, qvamobrem nostro seculo eosdem ab Auditoriis Ethicæ doctrinæ publicis non tantùm non absterreamus, sed omnibus invitemus modis. Qvod, Benevolentissimi Auditores, ne nimis abutar benevolentiâ vestrâ, qvàm breviter potero, exeqvar, præsertim cùm nemo sit adeò rudis temporum nostrorum, qvi non hoc ipse comminisci per se facilè qveat, aut etiam colligere ex iis, qvæ jam dicta sunt. Utinam autem ab

x) Has initio capitis 3. p. 508. speciatim nominat, *grammaticen*, *gymnasticen*, *musicen*, *graphicen*. De singulis plura in capitibus seq.

ab institutione juvenum nostrâ petere possem, hujus discriminis argumentum! Qvàm valdè vereor, (qvalis qvidem ea vulgò est, & apud plerosqve, non enim omnes eidem qverelæ involvere convenit,) ne habeamus Atheniensium istis moribus non multò meliorem. Certè qvæ sit adolescentibus vivendi libertas, qvem lateat, opinor esse neminem. Sed nolo mihi hujus diei serenitatem deplorandis temporum nostrorum injuriis offuscare. Ferendum est nobis malum publicum, cui medicinam afferre non possumus, & cogitandum interim, ut iis officiis, qvæ nobis mandata sunt, morem geramus. Sive igitur nobis optimè instituti juvenes in Academias mittantur, (qvales qvidem Vos esse, Studiosi ornatissimi, mihi persvadeo,) sive (qvod nolim ominari) sit hâc in parte aut indulgentiâ parentum, aut seculi infelicitate aliqvid omissum: non committemus certè, ut doctrinæ nostræ avidus ab his subselliis, in qvibus moralis philosophiæ præcepta excipienda sunt, arceatur. In qvo rectè nos facere satis demonstratum est ab iis, à qvibus culpari Philosophum audivimus. Id si cui discrepare à consulto Aristotelico videatur, is velim consideret, longè aliam esse rationem Professoris horum temporum publici, qvàm fuit olim Aristotelis. Hic Scholam aperiebat pro suo lubitu, non publicam, (neqve enim ulli philosopho munus docendi ab Atheniensibus erat imposi-

tum, aut constitutum præmium ex ærario,) sed privatam, cujusqve leges ipse ponere suo posset arbitratu. Qvare cùm nollet inde procedere qvenqvam, cujus pudere præceptorem posset, in eligendis cuiqve Disciplinæ auditoribus eum adhibuit delectum, qvi huic proposito commodissimus videretur. Porrò vivebat in eâ civitate, in qvo pessimæ fraudi fuerat innocentissimo hominum Socrati perversos juvenes moribus expoliendos suscepisse. Apud nos alia sunt omnia. Præceptores publicâ autoritate piissimi Principis mittuntur, salario annuo eorum opera conducitur, ut intelligant, leges se docendi non ferre, sed accipere, neminemqve sibi deprecandum esse auditorem, qvem civitate donaverit Academia. Neqve Serenissimi Electoris ea est inclementia, ut improbitatem Auditorum Professoribus imputet, si qvidem hi faciant officium suum: qvanqvam sperare potiùs libet, etiam Auditores nostros à gravi reprehensione immunes fore. Sanè qvæsivit hoc illa lex nostra, qvæ vult unumqvemqve habere privatum Præceptorem, videlicet cujus consvetudine præparetur ad semina publicæ doctrinæ majore cum fructu accipienda. Itaqve ne à privatis qvidem doctrinam moralem interpretantium subselliis removetur qvisqvam Juvenum. De me verò, Adolescentes ingenui, sic habetote, uti lectionibus meis copiosam vestram præsentiam maximè exopto, ita ope-

operam daturum, ut non tantùm Ariſtoteles à vobis intelligatur, rerumqve jucundarum pariter & utilium cognitione paſcamini, ſed & (qvod poſtulari à me inprimis intelligo) ſtudium virtutum in vobis magis magisqve accendatur. Qvâ in re multum me adjuvabit voluntas veſtra, ſi firmâ animi inductione ſtatuetis, percipienda proponi ethica dogmata non tàm, ut eorum pulchritudine mentem oblectetis, qvàm ut ea vitæ morumqve elegantiâ & rectitudine exprimatis.

DEUM rogo, fontem omnis bonitatis, eumqve per nomen Filii unigeniti, qvem ipſe nobis perditarum rerum recuperatorem, omnigenæqve ſalutis impetratorem conſtituit, veris precibus invoco, ut laboribus noſtris auram ſuæ gratiæ adſpirare dignetur, meqve talem efficiat, qvi non voce tantùm, ſed etiam exemplo (qvâ in re maxima vis eſt perſvadendi) viam honeſtatis præire meminerit; Auditoribus verò inpoſterum meis id largiatur, ut cùm ſapientiæ, tùm humanitatis, omniumqve virtutum majora indies capiant incrementa: qvo pacto & gloria ejus inter homines illuſtrari, & qvantum cuiqve vitæ ſupereſt, tranqvillè feliciterqve peragi qveat! Eidem ſenectutem Sereniſſimi Principis noſtri, Saxonicæ totius Familiæ Illuſtriſſimæ proſperitatem, Eccleſiæ, qvæ in his ditionibus colligitur, ſalutem, Academiæ noſtræ Reiqve publicæ oppidanæ proſperitatem,

Veſtras, Auditores, omnium fortunas, qvantâ maximâ poſſum pietatis contentione commendo. Vobis autem, Prorector Magnifice, &c. gratias ago immortales, qvòd majorem honoris mei, qvàm rerum earum, qvas per hanc horam cuiqve vel dignitas officii, vel generoſa libertas, vel oportunitas domeſtica, objicere poterat, rationem habere, meâqve oratione benignè auſcultandâ, partim autoritate commendare, partim favore animare Profeſſorem novum volueritis. Si qva eſt in me aut demerendæ hujus benevolentiæ facultas, aut certè prædicandæ, qvibus potero modis grati animi teſtificationem edere, qvamdiu vivam, ſtudebo.

ORATIO X.

De Georgio Principe Anhaldino:

Habita A. 1653. d. 19. Novembr.

In renunciatione X. Baccalaureorum Philoſophiæ.

QVam ſuo jam ævo qverelam inſtituit Horatius *a*):

Ætas parentum pejor avis tulit
Nos neqviores, mox datura
Progeniem vitioſiorem:

eam noſtris qvoqve temporibus convenire qvi dubitet, eſſe opinor neminem; niſi qvòd de vitioſio-

a) lib. III. od. 6. in fine.

tiosiore progenie non magnoperè metuendum esse nobis videtur, ætate nostrâ jam ad extremam omnis neqvitiæ lineam progressâ. Hâc re non leviter perturbari certum est animos piorum, cùm vident pessimis hominibus se ab omni latere circumseptos esse non secus, ac si ovibus versandum sit in medio luporum. Itaqve in his angustiis qvæ possunt & auxilia circumspectant, & accersunt solatia. Non autem minima pars præsidii in eo posita est, si, qvantum licet, improborum sodalitia, qvibus aliàs aut corrumpi possumus, aut everti funditùs, evitantes, mentem nostram interim convertamus cùm in alias res honestas, tùm in ea secula, qvibus parentes nostri aut majores vixerunt. Qvæ sive scelerata fuerunt & ipsa, hoc nobis præstant solatii, qvod in omni calamitate solet societas similia patientium; sive tolerabiliora paulò aut etiam optabilia videntur, iis perinde afficiemur reminiscendo, ac si præsentes interessemus. Sed contingit plerumqve, ut respicientes in præterita tempora, dilaudemus ea præ nostris & magnificiamus. Ac fieri qvidem potest, ut eveniat nobis, qvod ægrotantibus solet, qvibus morbi aliorum, utut sint longè molestissimi, faciles tamen & clementes judicantur, qvippe vivo eorum sensu carentibus. Veruntamen non planè falluntur omnes judicio, qvi præterita secula præsenti anteferunt, cùm Salvator ipse significaverit, extrema tempora

præcedentibus longè pejora fore: in qvibus versari nos & ipsa res clamitat, & consentiunt prædictiones divinæ. Accedit ratio, qvòd vero simile est, uti res alias naturali impulsu concitatas, ita generis qvoqve humani malitiam incrementa capere magis ac magis progrediendo, donec consumto improbitatis curriculo, cùm sustinere ampliùs magnitudinis suæ pondus non possit, in ruinam prolabatur. Ideò qvod aliàs in senibus ceu vitium notatur, cùm eos laudatores videmus esse temporum præteritorum, in eo judicium potiùs illorum, ipsâ confirmatum experientiâ, approbandum videtur. Penè enim est ut dicam, nos ipsos, qvi senectutis nondum attigimus ne limen qvidem, magis delectari recordatione rerum nobis pueris gestarum, qvàm præsentium contemplatione. Adeò sub manibus qvasi crescentem seculi deprehendere licet proterviam. Verùm huic sensui, qvi literas tractamus, paratum habemus remedium, ævi antegressi speculationem. Dum enim animis in ea tempòra peregrinamur, qvibus adhuc pretium aliqvod virtuti atqve honestis moribus fuisse videtur, qvasi cum animis & corpora essent subducta, miseriæ nostræ obliviscimur paulatim, & in Catonum atqve Fabriciorum contubernio, non inter Cyclopas aut Læstrigonas toti versamur. Nescio autem qvomodo præ cæteris illud mihi semper, in qvo molestias vitæ qvotidianæ depone-

ponerem, placuerit seculum, qvo B. Lutherus, qviqve ipsius æqvales fuerunt, vitam egit in his terris. Etsi enim ne tùm qvidem defuerunt, qvi libertatis Evangelicæ revelatione ad licentiam omnium flagitiorum abuterentur: tamen in multis qvoqve, qvi recenti memoriâ tenerent, è qvibus tenebris ad qvam lucem Dei beneficio essent provecti, salutaris illa verbi divini prædicatio fructûs fecit longè dignissimos copiosissimosqve. Itaqve & in aulis Principum, & in curiis Civitatum, & in Templis, & in Academiis atqve Scholis tranqvilliora omnia, & minùs deplorata fuerunt: ut, qvotiescunqve temporis istius statum cogitatione concipio, tanqvam in novum planè nostróqve dissimilimum orbem delatus gaudeam in sinu, & obhæream libenter, gravatéqve ad ætatis nostræ homines remigrem. Qvòd si in eo, dum ista tempora nostris antepono, errorem aliqvem patior, patior sanè haud invitus, neqve magis eripi eum mihi velim, qvàm ille apud Poetam *b*),

Qvi se credebat miros audire Tragædos,
In vacuo lætus sessor plausorqve theatro.

Eapropter cùm hoc die, anteqvàm Baccalaureorum Philosophiæ fieret renunciatio publica, disserendum mihi aliqvid esset, obsecutus huic meæ voluptati ex illustrium istius ætatis virorum numero unum elegi, de qvo jam ex hâc cathedrâ perorans Vos unà mecum, A. H. abri-

 perem

b) Horat. lib. II. epist. 2. v. 129. 130.

qvi qvidem annus medio ſpacio inter Lutheri mortem & Philippi interjectus eſt *e*). Cumqve idem annus alios qvoqve in Germaniâ viros eruditione, virtute ac pietate præſtantes abſtulerit non paucos, Johannem Æpinum, Johannem Rivium Attendorienſem, Eraſmum Reinholdum Salveldenſem, Caſparem Huberinum *f*), Jacobum Sturmium *g*): Georgius tamen Princeps maximè placuit, qvem velut in ſcenam hoc tempore producerem, tùm qvòd eximiis ejus virtutibus ſuprà cæteros inſignem ſplendorem ſumma generis nobilitas conciliaverit, tùm qvòd in ejus inprimis hiſtoriâ urbis noſtræ & regionis vicinæ implicanda ſe offerat mentio. Qvamobrem à Vobis, *Rector Magnifice &c.* maximoperè contendo, ut de doctiſſimo pariter ac religioſiſſimo ætatis ſuæ Principe dicentem me cum benevolentiâ audiatis. Vobis verò, Studioſi ornatiſſimi, eò jucundior hæc oratiuncula eſſe debebit, qvò major inde fructus ad vos redire poterit, cùm exemplo Illuſtriſſimi hominis, qviqve facilè poterat ſubterfugere, qvicqvid in literarium ſtudiis moleſtiæ objicitur inter earum initia deſudanti, magis

Georgii diem *18. Octobr.* memorat, leg. piè def. p. 92. Corrigenda & verſio vitæ Georgii germanica *4: operum ejus Germ. qvæ habet *19. Octobr.* & Camerarius ipſe in vitâ Phil. Mel. p. 334. ponens *15. Cal. Nov.* *e*) Obiit Lutherus A. 1546. Philippus Melanchthon A. 1560. *f*) Budæ. Θεναζλ. p. 82. *g*) Thuan. lib. X. f. 252. Chytræ. Chron. Sax. f. 527.

gis ac magis impelli vos ad ea, qvæ inchoastis, prosеqvenda experiemini.

Fuit natus Georgius noster ex amplissimâ inter Principes familiâ Ducum Anhaldinorum, qvæ ex Alberto Urso ante qvingentos annos *h)* Marchiam Brandeburgensem post obitum Pribislai *i)* Obotriti, veterum Marchionum postremi, adepto, ut superiores taceam, deducta, Electores aliqvot tùm Brandenburgenses, tùm etiam Saxoniæ progenuit, florentium omni laude virorum semper feracissima. Non enim tantùm peperit egregios bellatores, qvalem inprimis Rudolphum *k)* Georgii patruum commemorare fas sit, qvi sub Imperatore Maximiliano fortissimi Ducis officio functus, & maximè à Liviano *l)* Venetorum Duce reportatâ victoriâ clarus, exteris etiam fuit admirationi *m)*: sed & gubernatores insignes Reipublicæ dedit, qvi togatis artibus constituere nossent civitatem, & amplificare constitutam, & amplificatam conservare. Taceo, qvàm amantes veræ & à Pontificiis sordibus repurgatæ religionis fuerint Anhaldini. Hæc enim virtus cùm non inchoari ante ea tempora potuerit, qvibus Deo visum est Lutheri ministerio jugum

h) A. 1152. Albiz. geneal. Tab. 30. Menc. Stammb. p. 26. *i)* Albiz. in annot. ad Tab. 30. *k)* Phil. Mel. IV. declam. p. 545. *l)* Albiz. annot. ad Tab. 30. in fine. *m)* Menc. Stammbaum p. 276. seqq.

jugum iſtud Romanæ tyrannidis à Germanorum cervicibus excutere, in Georgio maximè noſtro effloruit: qvanqvam hîc etiam qvem ſeqveretur, ex ſuâ gente habuit, qvindecim *n)* annis majorem ſe Wolſgangum patruelem. Is enim inter Principes atqve Statûs Imperii, qvi ſuperioris ſeculi anno trigeſimo confeſſionem verè auguſtam Auguſtæ Vindelicorum agenti comitia Carolo Cæſari exhibuerunt, (qvo qvidem tempore ætatis annum tertium modò & vigeſimum *o)* expleverat Georgius noſter,) ſuum qvoqve nomen eſt profeſſus. Cujus hæc inter alias plena magnanimitatis annotata vox eſt, cùm Eccio Jureconſulto iisdem in comitiis Lutherani cœtûs autoritatem & vires contemptim, neqve ſine futuri belli ſignificatione elevanti, reſpondit: confidere ſe bonitati cauſæ, qvam Deus, cujus ea ſit propria, etiamſi pereundum ſit univerſis, potenter ſit aſſerturus; hoc tamen velle ſcire Eccium, ſi noſtri ad arma provocentur, cum viris hoſti fore congrediendum, ſeqve adeò ipſum, qvi aliàs non ſemel in honorem pudicæ virgunculæ eqvo impoſuerit ephippium, longè id facturum libentiùs, ſi pro gloriâ Dei ſit ipſi aliqvando dimicandum *p)*. Sed non opus habet Georgius noſter, ut

n) Wolfgangus natus eſt A. 1492. teſte Brun. Qvinos Sterbkunſt p. 434. Georgius autem A. 1507. *o)* natus qvippe Ann. 1507. ut modò dictum. *p)* Bruno Qvinos Sterbkunſt p. 438. Hiſtor. Conf. Aug. p. 483.

ut in ejus commendationem alienæ virtutes, cùm proprias habeat ſplendidiſſimas, afferantur. Neqve tamen hoc loco facere poſſum, qvin ediſſeram breviter, qvâ generis propinqvitate Sereniſſimam Saxonicam domum, cujus imperio hæ ditiones ſubjacent, attigerit. Hujus enim, qvem dixi, Wolfgangi ſoror Margareta *q)* Johanni Saxoniæ Septemviro, cui ob perſeverantiam in agnitâ veritate Conſtantis nomen adhæſit *r)*, viduo elocata, præter alios Johannem Erneſtum *s)* peperit, qvi poſteà emortualem annum *t)* cum Georgio noſtro habuit communem. Sed ſtirps materna propiùs illum noſtris admovit Principibus. Mater enim ejus Margareta *u)*, Henrici primi Monſterbergenſium Ducis filia, amitinos habuit (eundem qvem ipſa avum Georgium *w)* Podiebracium Bohemiæ regem agnoſcentes,) Georgium & Henricum Saxoniæ Duces; è qvibus Henrico pronepotem debemus Johannem Georgium Electorem, Dominum noſtrum clementiſſimum: cui Benignitas Divina in multos annos prorogare velit ſpacium vivendi! Nunc ad proprias Anhaldini laudes progrediar. Sed è tam

q) Menc. Stamb. p. 185. 276. *r)* Fauſt. Stamb. p. 183. Dreſſ. IV. Iſag. p. 442. *s)* Menc. d. l. p. 186. Fauſt. d. l. p. 187. Albiz. Tab. 31. *t)* nempe 1553. vide præter modò citatos Budæ. Πίναξ. p. 81. *u)* Ælur. Glaciogr. p. 502. 503. Menc. p. 279. *vv)* Ab hoc Georgio videtur Georgii nomen in Saxonicam familiam deductum fuiſſe.

tam ſpacioſo & undiqvaqve floribus virtutum conveſtito campó, prætermiſſis iis omnibus, qvibus Georgius noſter & egregium ſe Principem & Epiſcopum religioſum demonſtravit, cùm ea jam ſint ab aliis dilucidè commemorata, tantùm ea excerpam, è qvibus intelligatur, qvem ſe in Oeconomico ſtatu præbuerit. Ac mirabitur aliqvis fortaſſe, qvid in mentem mihi venerit, ut ordini Oeconomico adſcriberem eum, qvem obiiſſe conſtet expertem conjugii. Huic qvod reſpondeam, habeo in promptu. Neqve enim mariti tantùm officio œconomicæ virtutes circumſcriptæ ſunt: ſed habent in eodem vivendi genere & filii qvod agant, habent fratres, habent diſcipuli, habent familiares: imò habent qvicunqve non attingunt aliqvam gubernandæ aut Reip. aut Eccleſiæ partem. Itaqve hoc in capite licebit opinor mihi comprehendere ſimul eas Georgii virtutes, qvæ privatim ad bonum virum pertinent, non publicè ad eum, qvi civili ſocietati cum imperio, aut Chriſtiano cœtui præſit. Eqvidem cùm natus eſſet anno ſuprà ſeſqvimilleſimum ſeptimo *x*), Patrem Erneſtum novennis amiſit *y*).

Sed

x) Deſſaviæ, Budæ. γενεαλ. p. 81. qvi ſimul monet, eſſe, qvi ſeqvente anno (1508.) natum memorent. Circà diem qvoqve natalem diſſenſio qvædam eſt: qvem referunt ad 14. Auguſti Melch. Ad. in vitis Theol. Germ. pag. 246. Eber. in Calend. p. 268. Bucholc. Chronol. p. 456. ad 15. Auguſti Pantal. III. Proſopogr. f. 227. *y*) A. 1516. Pan-

Sed Mater, qvæ erat ipsa Princeps religiosissima, ad annos qvatuordecim superstes Marito in Filio ad pietatem assvefaciendo cohortandoqve nihil fecit reliqvum. Accessit cura Martisburgici Præsulis Adolphi, qvem agnatum *z)* cum haberet Georgius, consilio ejus *a*) & vivo Patre ab ineunte pueritiâ domi liberali disciplinâ cum Joachimo fratre institus fuit *b*), & mortuo ad pleniorem qvasi doctrinæ mercatum missus, nondum annos natus duodecim, in hanc Academiam nostram *c*): videlicet ut inspicere ejus studia ex urbe vicinâ meliùs posset ipse non vulgariter doctus Princeps *d*). Itaqve tanqvam alterum parentem Adolphum hunc semper veneratus est, sanctamqve ejus habuit memoriam. Qvod vel inde possumus testatum facere, qvòd in scriptis suis præclaram ejus aliqvoties mentionem injicit, non tantùm eo nomine illum prædicans *e*), qvòd rarissimo exemplo, Princeps qvi esset natus, Episcopi munia

tal. d. l. d. 15. Junii, Menc. Stamb. p. 279. Mortuo Patre Tutores dati sunt illi Albertus Cardinalis Moguntinus, Joachimus Elect. Brandeb. hujus frater, & Georgius Dux Saxoniæ. Vid. Opera germ. Georg. Anhald. f. 196: *z.*) Ipse Georgius in Operibus germanicis nominat eum passim seinen Vetter f. 32. 34. 183: 200: 356: *a*) Camerar. in vitâ Georg. f. 5. *b*) Phil. Melanchth. IV. declam. p. 546. *c*) ibi Adolphus & Wolfgangum agnatum antehac ad pietatem exhortatus est. Vid. Brun. Qvinos Sterbf. p. 434. *d*) Camerar. in vitâ Georg. f. 5. *e*) Oper. germ. f. 32. 200: 270: 356:

nia concionando *f)* accuratè & sedulò exeqvi soleret ipse, non suffraganei ad hanc rem usus operâ, vehementerqve improbaret inolitam iis temporibus consvetudinem Episcoporum, qvi illustri orti prosapiâ non ipsi populum erudirent ad salutem, qvos ideò canes mutos prophetico *g)* convitio appellare non esset veritus: sed in doctrinâ qvoqve de justificatione hominis rectè eum sensisse, in ejusqve confessione diem suum beatè clausisse asserens *h)*; nævos interim ejus, qvem constat Luthero addictis infensum fuisse, dissimulans. Eqvidem vel Georgii Principis causâ facere non possum, A. qvin Adolphum omnibus ornatum laudibus cupiam: fueruntqve in eo virtutes omninò egregiæ *i)*, præter eruditionem non contemnendam sanctitas vitæ & castimonia singularis, studium pacis & concordiæ, justitia ac liberalitas, deniqve in examinandâ religione solicitudo atqve industria *k)*. Verùm sitne statim assecutus, qvod isthâc solicitudine qvæsivit, æstimare licet ex iis, qvæ de eo in literas nonnulli retulerunt. Qvæ proferre jam libet in medium, non ut aliqvid de ejus gloria imminuatur, sed qvo-

O niam

f) Concionantem auditum sibi ipse Camerarius testatur l. c. *g)* Esai. 56. v. 10. *h)* Oper. germ. f. 356: *i)* de qvibus consule Camerar. in vitâ ejus f. 5. Brotuff. II. Merseb. Chron. c. 56. *k)* Lutheri ad Adolphum epistola, hujusqve responsio extat Tom. I. Oper. Luth. germ. Jen. f. 224. seqq. Summam utriusqve habes apud Sleidan. lib. II. p. 43. 44.

niam Lipsiensium rerum continent aliqvam commemorationem singularem, non passim obviam. Illud qvidem satis constat, cùm à Luthero adversus Eccium fuisset hâc in urbe disputatum eo fructu, ut studiosorum pariter ac civum non paucis oculi ad agnoscendam veritatem aperirentur, Georgio Saxoniæ Duci autorem fuisse Adolphum *l)*, ut magis magisqve invalescentem Lutheri doctrinam reprimeret; qvin & visitationem Academiæ, Episcopatui Martisburgensi subjectæ, Adolphum ipsum obiisse, eâqve peractâ Rectori ejus temporis Andreæ Camitiano sub sigillo Principis pariter & Episcopi mandatum, ut lectio librorum Lutheri programmate publico severissimè prohiberetur, neqve multò pòst Magistros aliqvot, Lutheranæ religionis suspectos, ad Episcopum, ut perpetuis carceribus damnarentur, missos fuisse *m)*. Atqve hæc cùm legi possint in Chronicis hujus oppidi, tetigisse breviter sufficiat. Qvæ autem per ea tempora cum Sebastiano Frœschelio Ambergensi acta sunt, paulò copiosiùs, qvàm in annales nostros relata videmus, ex ipsius Frœschelii præfatione qvâdam *n)* afferemus. Fuerat in hanc Academiam missus à parente Frœschelius anno superioris seculi qvar-

l) Heidenr. Leipz. Chron. p. 98. 99. Jerem. Web. Lipſ. Evang. p. 19. seqq. *m)* Heidenr. d. l. p. 101. Web. p. 28. *n)* Libri vom Königr. Christi. Præfationis hujus paginæ citabuntur jam in seqventibus.

qvarto decimo, seqvente Baccalaureus, decimo verò nono Magister artium renunciatus *o)*. neqve multò pòst Subdiaconum primò, mox Diaconum, ac tandem Presbyterum eum creaverat Adolphus Episcopus *p)*. Cùm autem placere ipsi Lutheri cœpisset negotium, Witebergam petiit, Adolpho indignante: ad qvem delatus à monachis nostris, tanqvam qvi malefico, cui se ad supplicium deducto consolatorem addiderat, demere vincula voluisset, iter in patriam simulaverat *q)*. Redux Witebergâ *r)* anno vigesimo tertio *s)* rogatu civium multorum in templo suburbano, qvod Divo Johanni consecravit Majorum religio, concionem habuit, cùm sperarent, impetraturos se à Principe qvem optarent concionatorem, eiqve salarium constituere vellent ipsi sumptibus privatis. Verùm cùm iterare sacra alio die decrevisset, observatâ à Monachis Thomani cœnobii æde prohibitus, re ad tumultum spectante nihil egit aliud, nisi ut frementes cives ad tranqvillitatem cohortaretur. Posteà citatus ab Episcopo, causamqve Martisburgi dicere jussus, nec sine minis, si pergeret concionando, dimissus, in urbem rediit. Qvo qvidem tempore

o) p. 1: *p)* p. 1: 7: 8: *q)* p. 10: 11. *r)* Witebergæ posteà, factus minister verbi, consenuit. Vid. Web. Lipf. Evang. p. 25. *s)* Frœsch. præf. p. 11. Minùs benè annum 1524. memorat Heidenr. Leipz. Chron. p. 100. Vid. Meel-führ. Spruchb. vermehret &c. ed. A. 1682. p. 659.

Wolfgangus Anhaldinus, qvi commodùm ad Adolphum diverterat, qvò minus attineretur Fröschelius, visus est precibus perfecisse *t)*. Sed, qvem Martisburgi effugerat, carcerem Lipsiæ invenit. Admonitus enim Saxoniæ Princeps ab Adolpho, nisi prospiceret huic negotio, fore ut brevi totam Lipsiam Lutheranam efficeret Frœschelius, confestim in hanc urbem contendit ipse, ejusqve comprehendendi negotium Magistratui dedit oppidano: à qvo è Scholâ Nicolaitanâ, eqve contubernio M. Conradi Burchameri abstractus *u)*, horarumqve aliqvot custodiâ asservatus, in arcem tandem & conspectum Principis, deducentibus eum tribus Consulibus & Senatu universo, pervenit. Ibi Georgius Princeps, convocatis Academiæ Rectore Hegendorfino & ejus Consiliariis, gravissimâ oratione increpuit Frœschelium, qvi ex ranunculo *w)* pulchello venenatus bufo Witebergæ factus, & sibi, & Episcopo, & Ecclesiæ Romanæ debitam obedientiam subtraxisset *x)*: sibi qvidem, qvòd studiorum gratiâ Lipsiam Witebergâ commutâsset; Episcopo, qvòd spreto ejus mandato Lipsiæ esset concionatus; Ecclesiæ, qvòd intonso vertice, secus qvam ordinem suum deceret, conspiceretur. His eum criminibus notatum, cùm ipse frustrà se defen-

de-

t) Frœsch. præf. p. 12. seq. *u)* p. 14: *w)* aus einem schönen Fröschlein. Alluditur ad nomen Frœschelii. *x)* Frœsch. p. 17.

deret, in hanc deniqve ſententiam condemnavit: poſtero die urbe & ditione ſuâ excederet, non niſi rebus in aliam faciem converſis rediturus *y)*. Ea res mane inſeqventis diei contentioni locum dedit in conſeſſu Academico, relegarine Frœſchelium, an excludi penitus voluerit Princeps *z)*? Itum eſt tandem in eam ſententiam, ut reus relegaretur, nullo ipſi, qvo redire licitum eſſet, ſpacio definito: id qvod eâdem die factum eſt. Hujus autem rei invidia bonam partem in Adolphum incubuit, qvem certum eſt iniqviorem fuiſſe partibus Lutheri ejusqve inprimis aſperitatem ſcribendi (qvam tamen ulcera Eccleſiæ poſcebant,) improbaſſe *a)*. In qvo qvidem non eſt, ut patrocinium ejus ſuſcipiamus. Veruntamen ſperare fas eſt, & eum pariter & Georgium Ducem, perinde ut olim Paulum, dum adhuc eſſet Eccleſiæ perſecutor, inſcios peccaſſe, & miſericordiam fuiſſe à DEO adeptos. Certè facillimum fuit iis temporibus improbare Lutheri conſilium ad antiqvam integritatem revocandæ religionis. Solent enim bonæ mentes ab omni rerum inſvetarum conatu abhorrere. Qvod uti in rebus politicis ac minoris momenti commendandum eſt maximoperè, ita non æqvè valet in gravibus atqve Eccleſiaſticis, ſi oſtendi poſſit liqvidò, degeneraſſe doctrinam & cul-

O 3 tum

y) p. 17: *z)* p. 18: *a)* Vid. Sleidan. lib. II. p. 44. ex epiſtolâ ejus ad Lutherum reſponſoria, de qva ſuprà lit. k.

tum ſacrorum. Interim, ut ad Georgium noſtrum Anhaldinum revertamur, qvòd de Adolpho, à qvo tot eſſet affectus beneficiis, honeſtè ſenſit, id verò neqvaqvam reprehendi debet, præſertim cùm odio perſonæ magis, qvàm ſinceræ doctrinæ, peccâſſe videatur Adolphus. Sanè verò Georgius diſertè teſtatur *b)*, eum paucis ante obitum diebus menſæ aſſidentem, cùm Sebaſtianus qvidam, Prædicatorum ordinis homo, merita bonorum operum extolleret, graviter contradixiſſe, dictum Pſalmi *c)* urgentem, qvo aſſeritur, *non juſtificari in conſpectu Dei omnem viventem*, ac poſteà in fiduciâ non meritorum ſuorum, ſed miſericordiæ divinæ animam exhalâſſe. Eidem confeſſioni & Matrem ſuam Margaretam immortuam eſſe aliqvoties non ſine gaudio repetit in ſcriptis *d)*. cujus qvidem eruditæ pietati ſatis teſtimonii perhibent rhythmi germanici qvingenti, qvibus univerſam Dominicæ paſſionis hiſtoriam complexa eſt, cantari ab eâ in gynæceo ſoliti, & à Georgio operibus ſuis intexti *e)*, argumentum ſuæ in matrem obſervantiæ univerſo orbi relinqvere ſic volente *f)*. Porro in præceptorem qva-

b) Oper. germ. f. 356: Conf. f. 183. in marg. & Camerar. de vita Georg. f. 5: *c)* Pſalm. 143. v. 2. Vid. & Meelführ. Spruchb. vermehret n. CXXXII. p. 471. *d)* Oper. germ. f. 34. 309. 356: 357: 359: *e)* Ibid. f. 109. ſeqq. Qvorum initium: HErr GOtt zu meiner Hülff gedenck/ thu mir deiner Hülffe ſchein/ Daß ich mög betrachten das Leiden des Sons dein. *f)* qvod ipſe profitetur f. 34. oper. germ.

qvalis fuit Georgius? Qvàm nullas omisit probi discipuli partes! Fuerat autem, cùm in hanc urbem ablegaretur Georgius nondum annos duodecim natus, ipsius pariter ac fratris educationi atqve studiis præfectus vir optimus & flagrans desiderio cognitionis eruditæ Georgius Heltus *g*), patriâ Forchemius: è cujus scholâ Joachimus Camerarius, Casparus Cruciger *h*), Sebastianus Frœschelius *i*), aliiqve istius ætatis clarissimi viri prodierunt. Hujus imbutus disciplinâ Georgius non tantùm celeriter Grammaticen, lingvam latinam, Dialecticen & Catechesin doctrinæ Christianæ didicit *k*), sed & exemplo commonitus, cùm per ea tempora inveteratæ superstitiones atqve errores disputationibus acerrimis commoveri cœpissent, indefesso studio inqvisivit in veritatem cœlestem *l*), non somno parcens, non valetudini, (nam cùm alios morbos, tùm oculorum lippitudinem *m*) inde contraxit:) tanqvam non

g) Heltum Præceptorem nactus est Georgius tùm demùm, cùm Lipsiam adiisset. Vid. Camerar. in ejus vita f. 5. Itaqve non assentior Michaeli Mackerey, scribenti (f. 388. oper. germ. Georg.) cùm ab Helto jam Grammaticam, Dialecticam, & Latinam lingvam didicisset, Lipsiam demùm profectum. Videtur eum decepisse malè intellecta, aut fugitivis oculis inspecta præfatio Philippi in Tom. V. Luth. oper. lat. qvam vide & Tom. IV. select. declam. Phil. p. 546. 547. *h*) Phil. Mel. d. l. *i*) Frœsch. præf. vom Königr. Christi p. 6. *k*) Phil. Mel. l. c. *l*) Id. p. 549. Cam. f. 6. *m*) Cam. d. l.

Princeps esset, cui in deliciis atqve otio ævum transigere liceret, sed unus ex pauperrimis & infimæ sortis hominibus, qvi necesse haberet fortunam corrigere diligentiâ. Itaqve reliqvæ eruditioni præter lingvarum Græcæ atqve Hebraicæ cognitionem haud vulgarem *n)*, rituum qvoqve & consvetudinum Ecclesiæ notitiam *o)* adjiciebat accuratissimam: haud dubiè tantis laboribus id consecutus, ut inter Theologos consummatissimos eum obtineret locum, qvem inter Principes ipsi concesserat nativitas. Sed cùm in manibus eruditorum versentur scripta ejus, non opus est ad hanc rem commendatione ejus ulteriore. Taceo eloqventiam ipsius *p)*, taceo modestiam *q)*, taceo pudicitiam, taceo mores innocentissimos *r)* qvibus ita se approbavit universis, ut ne hostes qvidem, qvos ipsi dissensio in religione concitabat, ullo eum convitio pulsâsse legantur. Etsi autem in cœlibatu vitam exegit omnem *s)*, non tàm temporum istorum inductus consvetudine, qvi Ecclesiasti-

cæ

n) Phil. Mel. IV. decl. p. 549. Menc. Schmb. p. 280. *o)* Camerar. Orat. X. de Maurit. p. 310. & in vitâ Phil. Mel. p. 223. *p)* Phil. Mel. IV. decl. p. 548. Dresser. III. Isag. p. 205. *q)* Camer. in vita Phil. Mel. p. 333. 334. & Orat. X. de Maurit. p. 308. *r)* Optavit Lutherus tàm innocens esse, ut Georgius Anhaldinus, aut Hausmannus ejus concionator. Vid. oper. germ. Georgii f. 403. Will. legend. piè def. p. 92. Et Carolus V. Principibus omnibus probitate & eruditione eum prætulit: Oper. germ. Georg. f. 386. *s)* Phil. Mel. IV. declam. p. 550.

cæ Dignitatis gereret adminiſtrationem, qvàm heroico qvodam voluptatum contemptu,(nam nec ullâ impuritate maculavit conſcientiam caſtiſſimus Princeps *t*),&alios à fœdâ libidine graviſſimè dehortatus *u*) eſt,) de conjugio tamen & ſenſit ſemper ſic honeſtè & locutus eſt *w*), ut honeſtiùs potuerit nemo; id qvod inprimis cùm ex homiliâ, qvam in nuptiis habuit Illuſtriſſimi Principis Auguſti *x*),poſteà Saxoniæ Electoris, tùm ex iis ejus diſſertationibus patet, qvibus permittendum eſſe Clericis conjugium exqviſitiſſimè diſputat *y*). Nimirum talem eum formaverat aſſidua Præceptoris Heldi conſvetudo, qvo nihil fuit eâ ætate humanius, nihil diligentius, nihil pudicius. Nam & hîc à primæ pueritiæ annis ad mortem usqve, qvàm ſexagenarius oppetiit *z*), caſtiſſimè cœlebs vixit. Sed idem tamen, qvanti faceret honeſta matrimoniorum conſortia, eo declaravit, qvòd certæ pecuniæ fructum annuum, qvi honeſtæ & pauperi alicui virgini in ſuâ patriâ dotis nomine penderetur, de ſuis facultatibus moriens deſtinavit *a*). Obiit autem in familiâ Principis Georgii, qvi tanto præceptorem amore com-

 plexus

t) Vid. Oper. germ. Georg. f. 389. *u*) Vermahnung/ daß ſich die Jugend für Unzucht hüten ſoll / extat in operib. ejus german. f. 300. *vv*) Vide iterum opera ejus germ. f. 359. *x*) extat ea ibid. f. 281: *y*) ibid. f. 259. 346: *z*) Camerar. de eo p. 11. *a*) Idem in vitâ Phil. Mel. p. 218. & in vitâ Georg. Anhald. f. 7: 8.

plexus est, ut noluerit eum à se abstrahi, sed in ditionem Anhaldinam assumptum liberalissimè habuerit in oppido Dessaviâ, ubi & ætatem exigeret in literis, & consilia sibi, si opus esset, sua suppeteret. Qvandoqvidem in hujus viri mentionem incidimus, breviter qvoqve attexemus, qvæ de eo sunt alia literis prodita, tùm qvòd ad laudem Academiæ nostræ pertinet celebrari hominem, qvi olim in eâ formatorem egerit juventutis, tùm qvod exemplum hominis verè philosophi meretur omninò vindicari ab oblivione. Semper enim ille aut studiis, aut alienæ solicitudini intentus, nunqvam inserviit valetudini suæ *b*).Cùm autem incredibili fide ac benevolentiâ complecteretur omnes discipulos suos, qvos habebat complures, ita ut eorum numerus plerunq; excederet qvadragenarium, docebat illos laboriosè & assiduè, sed delictis, negligentiâ, socordiâ illorum graviter commovebatur. Victus autem erat cotidianus, qvem capiebat cum discipulis, neqve sibi unqvam aliqvid eximii parari patiebatur. Qvo cùm sic uteretur, ut etiam delectaretur vilissimo, essetqve corpus appetens alimenti, neqve ipse die uno qvicqvam gustaret, nisi bis usitato more: tamen nunqvam non aut librum in manu tenebat vescens, aut aliqvid scribendo annotabat. Solebat & crebris inambulationibus uti, exemplo in Georgium qvoqve Principem transeun-

te

b) Idem de eo p. 11: seq.

te *c)*, ſed ita, ut modum penè excederet. Somni autem parciſſimi erat; pudicitiæ ac verecundiæ ſic amans, ut ne dictum qvidem ullum in diſcipulis ferret obſcœnius aut ſcurrilius, cùm ſcholam ſuam officinam eſſe vellet probitatis. Ac meminiſſe ſe ſcribit Camerarius, cùm inter docendum perturbatus indicio flagitii, qvod feciſſet unus ex diſcipulis, aliqvantisper cum animo commoto, ſi indignationem vincere poſſet, colluctatus, tandem ſuperante dolore librum clauderet, neqve enarrare locum inchoatum poſſet. Porrò multorum doctor cùm jam diu fuiſſet, non eum tamen puduit aliorum, qvorum magni faceret doctrinam, eſſe diſcipulum. Itaqve à Georgio Principe, cùm jam eſſet in ejus familiam tranſcriptus, ſæpe exorabat copiam aliqvantiſper Witebergæ degendi, ut à Philippo inprimis Melanchthone rediret doctior *d)*. Atqve ibi non dubitabat cum libellis & chartis ad loca doctrinæ publicæ itare non minùs aſſiduè, qvàm infimæ ſortis alter qvisqvam: tantus etiam in ſene durabat ardor diſcendi! præ qvo rerum ad tolerandam vitam pertinentium adeò erat incurioſus, ut diſertim affirmet Camerarius *e)*, neminem ſe noviſſe unqvam ἀμεριμνότερον περὶ τὰ βιωτικά. Neqve tamen ad egeſtatem hæc eum negligentia deduxit, tantum Deo ſubminiſtrante, ut & pauperibus

c) Idem iterum in vitâ Georgii f. 13: *d)* Idem in vita Phil. Mel. p. 217. *e)* de Helto p. 12.

bus, qvod suprà diximus, testamento relinqvere posset summam pecuniæ non pœnitendam, & bibliothecam copiosam atqve amplam instruere, dignam Principi habitam, qvam eo mortuo redimeret ab hæredibus *f*). Nempe fuerat in numero eorum, qvibus qværentibus primò regnum Dei adjiciuntur cætera *g*). Visus est enim maturè, atqve adeò inter ipsa initia repurgatæ religionis, cœlestem veritatem esse amplexus, & fraudes atqve imposturas nundinatorum Papalium aversatus. Qvare jam eo tempore, cùm Tecelius in æde Paulinâ hujus urbis pro concione merces suas impudenter laudaret, auditis monachi ampullis, surgens ipse, ac discipulis simul abeundi signum ostendens, templum est egressus, qvòd nugas vanissimas ampliùs audiendo tolerare non posset *h*). Posteà qvoqve, cùm in gratiam Eccii in Auditorio Theologorum instituta esset disputatio, in qvâ Heltus ipse respondentis munere fungeretur, talem se gessit, ut ab Eccio, qvòd Lutherum sapere videretur, exagitari meruerit *i*). Eqvidem qvin & ejus exemplo Georgius noster Anhaldinus, cùm aliàs in custodiendis majorum ceremoniis pertinacior esset *k*), adductus

f) Camer. de vita Georg. f. 7: de vita Phil. Mel. p. 218. *g*) Matth. 6. v. 33. *h*) Melch. Adam. in vit. Philos. Germ. p. 259. *i*) Frœschel. præf. vom Königr. Christi p. 6 *k*) Vide ipsius Georg. oper. Germ. f. 196. Kittelman. vom Exorcismo p. 66.

ductus sit in societatem Ecclesiæ Lutheranæ, non est causa cur dubitetur. Qvapropter præceptorem multis sibi nominibus carissimum, etiam mortuum omnibus pietatis summæ officiis prosecutus est, & cùm monumento ornari sepulcrum, tùm cætera, qvæ se velle testatus fuerat, fieri curariqve jussit *l*). Sanè non Georgio tantùm, sed & Luthero ipsi atqve Melanchthoni obitus ejus dolorem attulit haud exiguum, id qvod utriusqve testantur epistolæ à Camerario collectæ: Georgio tamen summum, qvi in eo & præceptorem fidelissimum, & studiorum posteà socium indefessum amisisset. Restat, ut breviter dicam, qvis in Fratres fuerit Georgius: qvod ubi præstitero, finem faciam susceptæ de hoc illustrissimo Principe narrationis. Cùm vidua mater Georgii diem obiisset suum *m*), universarum ditionum gubernatio filiis tribus relicta est, Johanni, Georgio, atqve Joachimo. Ibi ante omnia amorem & conjunctionem fraternam sic stabilivit Georgius *n*), ut illâ inter fratres concordiâ nihil firmius fieri dulciusqve posset, essetqve difficile decernere, unusqvisqve alterum magisne & studiosiùs veneraretur atqve observaret, an ardentiùs diligeret, & arctiore benevolentiâ complecteretur. Qvi-

l) Camerar. de vitâ Georg. f. 7: *m*) A. 1530. Vid. Georg. oper. germ. f. 357: Pantal. III. Prosopogr. f. 227. *n*) Pantal. d. l. Phil. Melanchth. IV. declam. p. 549. Camer. in vita Georg. f. 6: Menc. Stamb. p. 282. 283.

Qvibus effectum rebus est, ut cùm abolere vitiosos ritûs, & secundùm lucem sibi affulgentem corrigere suis in ditionibus religionem haberent necesse, tota eorum administratio tranqvillissima pariter ac felicissima fuerit. Nunc, posteaqvam satis mihi verborum de virtutibus Georgii œconomicis pro ratione instituti mei fecisse videor, ad reliqvam hujus actionis partem, cujusqve maximè causâ hæc veluti præfatio adhibita est, progredior.

* *Secuta sunt solennia ad Actum Academicum renunciationis Baccalaureorum pertinentia.*

ORATIO XI.

De Regibus Poloniæ:

Habita A. 1655. d. 3. Nov.

In renunciatione VII. Baccalaureorum Philosophiæ.

QVod scenicorum ludorum spectatoribus evenire solet, *Magnifice Domine Rector, &c.* ut cùm mediâ sui parte fervet fabula, & ante catastrophen miscentur ac turbantur omnia, arrectis qvasi auribus atqve oculis adstent omnes cupidissimeqve eventum turbarum præstolentur: idem non dubium est, cùm in amplissimo orbis theatro serii ludi aguntur, reliqvis habitatoribus terræ, qvi tanqvam spectatores circumsident, contingere, ut avidissimâ animorum

morum ſuſpenſione in rei variis fortunæ nexibus implicatæ cognoſcendum eventum immineant. Novem ipſi anni ſunt, cùm *a*) infeliciſſimus Magnæ Britanniæ Rex Carolus, rebus parùm proſperè adverſùs inteſtinæ ſeditionis autores geſtis, amiſſo exercitu, urbis Oxonii, in qvam fortunæ in iſto bello ſuæ ſedem locaverat, deſperato præſidio, vix ipſe per manûs hoſtium, cùm alieno veſtimento falleret, elapſus Scotorum ſe, qvos inter hoſtes minimè hoſtili animo eſſe credebat, poteſtati commiſit. Hîc, Auditores, ipſi meminiſtis, qvanta tùm fuerit, qvò hæc res evaſura foret, expectatio. Ea verò creſcebat poſteà, cùm anno ſeqvente *b*) Scoti, auri, qvod pro impenſis belli poſcebant, parte acceptâ, eum, qvi ad ſe ſupplex veniſſet, Anglis concederent. Qvi cùm tandem biennio pòſt *c*) inauditi exempli parricidio regium ſangvinem publicè carnificis uſi miniſterio effunderent, qvæ paſſim terrarum erat conſternatio! qvæ tam nefandi facinoris abominatio! qvis horror! qvæ cogitationum perplexio! A qvâ ubi ſe recepiſſent paulatim animi, qvis non exitum novi imperii, inuſitatæqve machinationis fortunam præſtolabatur? At enimverò poſteaqvam Regibus communem cauſam DEO ſoli commendare, DEO ad hanc tragœdiam connivere placuit, qvoniam res Anglicanæ

a) A. 1646. vide Seſqviſec. Anglic. p. 44. *b*) A. 1647. Seſqviſ. Anglic. p. 45. *c*) A. 1649. 30. Januar. ibid. p. 46.

canæ ex eo tempore partim consiliis callidissimis, partim violentiâ sic constitutæ videntur, ut nullam magnoperè novitatem spectatorum oculis, jam qvidem promittant: qvasi satiati hoc ludo ad recentiora convertimur, flexisqve ab occidente in septentrionem oculis, qvandoqvidem ibi nova se scena aperit, occupandi animi materiam libentes amplectimur. Prodeunt nobis in theatrum Reges duo, Carolus Gustavus Sveciæ, Poloniæ Joannes Casimirus; ille ut vicinum regno, hic ut regnum hoste exuat. Qvousqve jam res processerit, non ignoramus. Poloniæ regnum, intestinis dissensionibus qvodammodo exulceratum, adhæc novissimè à Moscho vexatum, hostem novum profundiùs admisit, qvàm ipse fortasse sperasset; captæ aliqvot urbes; profligatæ Regis turmæ; ipse inter fugæ & novi prælii consilia anceps; comitia interim ab hoste provincialibus indicta. Hæc ita certis ad nos perlata nunciis credimus, qvasiqve præsentes intuemur. In exitum verò hujus belli nihil nisi conjecturis licet. Anceps alea Martis est, sæpeqve inchoati & finiti belli diversissimæ apparent facies. Neqve tamen impetrare ab innatâ nobis curiositate possumus, qvin Polonicæ res, & soli cùm sumus, cogitandi, & qvando cum aliis, versamur, percunctandi confabulandiqve præbeant argumentum. Qvæ reputans ego, cùm hoc tempore ante solennem Baccalaureorum Philosophiæ

phiæ renunciationem aliqvid ad Vos, A. Honoratissimi, profundendum esset verborum, accommodare orationem meam ad fabulam præsentem, deqve Polonicis rebus pauca disserere decrevi. Qvod consilium cùm agitarem porrò, tria, è qvibus unum eligerem, veniebant in mentem. Videbam enim aut de eventu futuro aliqvid afferri probabile, aut de præsenti qvasi causæ ipsius justitiâ litem disceptari, aut deniqve præteritos in eo regno casûs revocari in memoriam posse. Verùm qvoniam primum illud exqvisitam sagacitatem ac prudentiam, qvam in me non invenio, reqvirere, alterum invidiæ ac periculi plenissimum, & ab officio meo prorsus alienum, adhæc, re in aciem deductâ, supervacaneum intelligebam: tertium hoc mihi relictum apprehendi, in qvo præsertim nihil mihi magnoperè, præter colligendi ex historiis & excerpendi mediocrem industriam, foret necessarium. Qvare jam nihil aliud Vobis, Auditores, qvàm de Regibus Poloniæ, à primo ejus Regni conditore Lecho repetitam, atqve ad nostra usqve tempora breviter deductam, neqve tàm meis, qvàm aliorum, qvorum ut in re gestâ indiciis uti necesse fuit, verbis delineatam commemorationem polliceor. Qvanqvam autem non dubito, vel propter benevolentiam, qvâ me semper estis complexi, vel propter ipsius argumenti opportunitatem, non eam vobis injucundam fore: incivilis tamen sim, parum-

qve æqvus veſtræ dignitatis æſtimator, niſi id qvoqve, qvod ultrò eratis daturi, beneficium veſtrum faciam. Qvare, ut oratiunculam meam faventibus auribus accipiatis, per humanitatem Veſtram à Vobis omnibus oro.

Principiò commodum mihi videtur, ut meæ declamationi certos terminos circumſcribam, ne tanta Regum ac Principum Poloniæ varietas, qvanta à primordiis Regni ad noſtram ſe ætatem effudit, ſine lege ullâ errans, nauſeam vobis potiùs qvàm voluptatem pariat. Sunt qvi ſeptem dynaſtiis *d)* totam imperantium in Poloniâ ſeriem; ſunt, qvi pluribus *e)* emetiuntur. Neqve negaverim per varias Rerumpublicarum formulas Poloniam, Regnum ipſum per varias familias ambulaſſe: ut non peccet, ſi qvis vel qvatuordecim mutationes *f)* numeret. Verùm mihi in præſentiarum non tàm id agendum videtur, ut rationes viciſſitudinum Polonicarum computem, qvàm ut veſtræ, Auditores Optimi, memoriæ conſulam. Non igitur amplius tribus ordinibus univerſos includam Poloniæ Reges: qvorum capita ſint, Lechus, Micislaus, Jagello. Merentur enim hi memorati præ cæteris: Lechus, qvia regnum hoc

d) Alſted. Chronol. p. 230. 231. è Neugebauero. *e)* Joannes Piſtorius (vid. corpus Polonicæ Hiſtoriæ Tom. III. f. 147.) *f)* Nam Piſtorius ad Stephanum usqve Bathorium numerat mutationes XIII. Eſſet igitur qvarta decima, ſub qvâ jam Jo. Caſimirus.

hoc auſpicatus eſt; Micislaus, qvia Chriſtianâ religione primus id poſt qvatuor ſecula illuſtravit; Jagello, qvia poſt ſecula totidem hoc idem, qvod Poloniæ Micislaus, præſtitit Lithuaniæ, Lithuaniam ipſam adjecit Poloniæ. De primo ordine id mihi præfandum eſt, qvemadmodùm Græcorum hiſtoriam ante bellum Trojanum, ita Polonorum ante ſuſceptam Chriſtianiſmi profeſſionem incertam valdè, & fabularum ſuſpectam, alicubi & mutilam eſſe, ac præcipuè circà temporum ſupputationes laborare *g)*. Atqve in eo qvidem conſentiunt Hiſtorici omnes, neqve res temerè neganda, fuiſſe olim fratres duos; Zechum atqve Lechum, qvorum ille Bohemiæ, hic Poloniæ regnum condiderit: cæterum indigenæ illi an peregrini fuerint, &, ſi peregrini, qvâ invitati occaſione in iis terris conſederint, qvâ item ſeculorum tempeſtate floruerint, variis ſententiarum divortiis diſceptatur. Qvâ in obſcuritate illud ſeqvemur, qvod eruditiſſimis harum rerum viris *h)* perſvaſum eſſe videmus, ſcilicet non diu poſt Attilæ tempora, cùm Vandali Galliam, Hiſpaniam & Africam, Gothi Italiam inundaſſent, eunte tùm Româ in præceps, ſuoqve exitio variis imperiis dante initia naſcendi, effuſos ex ulteriori Sarmatiâ ac Ruſſiâ Ducibus Zecho & Lecho popu-

P 2 los,

g) Conf. Curæ. Schleſ. Chron. f. 28. *h)* Joach. Paſtor. Flor. Polon. p. 2. Martin. Cromer. (qvem habes Tom. II. Corp. Polon. hiſt.) f. 418.

los, ea loca, ubi nunc Bohemia eſt atqve Polonia, bonam partem vacuæ incolis, occupaſſe, fundamentumqve his regnis poſuiſſe. Qvod ita contigerit ſeculo poſt Chriſti nativitatem circiter ſexto. Nam qvi hos fratres duos non longè à diluvio removent, gravibus admodùm rationibus à Martino Cromero, diligentiſſimo ſuæ gentis hiſtorico refelluntur, cùm nimis procul, ut antiqvitatem ſummam Polonico imperio aſſererent, à veritate receſſerint. Felix naſcentis regni omen Lecho huic ſe præbuit, cùm novam urbem molienti nidus aqvilæ oblatus eſt: unde & ipſi urbi, qvæ mox Lechi regia facta, nunc Archiepiſcopi ſedes eſt, nomen Gneſnæ, (nidum enim Gnasdo vocant Poloni,) & inſignibus Polonorum Regum albam aqvilam erectam expanſis alis hæſiſſe ferunt *i*). Mortuo Lecho, qvi regiâ dignitate unus præfuerit, neminem memorant monumenta hiſtoriarum: unde ſunt, qvi improlem conjiciant obiiſſe *k*). Alii reliqviſſe ajunt poſteros, qvi principatum obtinuerint annis centum & qvinqvaginta *l*), ſed eorum nomina latere *m*). Id qvidem conſtat, formam Reipublicæ immutatam poſteà, & duodecim Optimatibus, qvos pro Wojevvodis latinè loqventes vocant Palatinos, ſummam imperii delatam fuiſſe *n*). Qvi & numero, & factis,

i) Cromer. d. l. f. 419. Paſtor. p. 2. *k*) Paſtor. d. l. *l*) Calviſ. Chronol. p. 641. ſub A. 550. *m*) Piſtor. f. 147. *n*) Paſtor. p. 3.

factis, & fine deniqve haud multum absimiles Decemviris Romanorum fuere. Nam ut illi Romanam, ita Polonam Remp. isti legibus certis devinxerunt: qvæ tamen, ut apud rudem adhuc atqve incultum populum, non tabulis sed mentibus inscriptæ legebantur. Stetit hoc imperium ad seculum usqve à nato Christo octavum, donec scilicet Palatinorum inusitata magnæ licentiæ ac crudelitatis exempla populum ad abrogandam illis potestatem compulerunt *o*). Sed cùm laborante externis qvoqve bellis Poloniâ publicæ rei interesset ab uno rursus omnia regi, cunctorum consensu Cracus electus est *p*); qvi turbatum imperium pacare ingressus hostes partim conciliavit fœderibus, partim armis repressit. Sed & novam urbem ad Vistulæ ripam excitavit, eamqve de suo dictam nomine Cracoviam, relictâ Gnesnâ, Regni caput esse jussit: meritis in suam gentem adeò illustris & gratiosus, ut qvi patri paruerunt, filio qvoqve parere non recusarent. Is erat Lechus, minor natu: nam frater inter venandum perierat. Qvem ubi fraude patefactâ constitit à fratre regnandi cupido, (non à feris, ut initiò credebatur,) interemptum; in exilium missus est parricida, regnum sorori Vendæ, qvæ de Craci sobole unica supererat, commissum. Nam sexûs sui opprobrium inusitatâ animi magnitudine correxerat, & ex eâ Poloni, si conju-

o) Pistor. f. 147. *p*) Pastor. p. 4.

gio applicuisset animum, alium sibi regem de Craci stirpe pollicebantur. Verùm illa Virginitatem servare constituerat: itaqve Ritigerum, vicinæ Principem Germaniæ, nuptias ejus ambientem, sprevit. Is verò, qvod precibus non poterat, armis tentavit. Processit obviam cum expeditis suorum copiis Virgo, omnia præter amorem mutua ostentans. Dum legationibus morantur bellum, puduit Ritigeri comites pugnare contrà castissimam virginem pro Principis sui libidine. Sic desertus ille à suis præ impatientiâ manus sibi infert. Venda triumphans Cracoviam ingreditur, nec contenta victimas alias mactâsse, ipsa se in Vistulam præcipitat, tanqvam pro hâc victoriâ se Diis dedicans *q)*. Hæc ita memorantur, sed dubiâ fide *r)*. Neqve enim in Germanorum annalibus Vendæ illius procum ullum reperire licet. Ac videri hoc possit imitatione qvâdam è Bohemorum expressum historiis, qvi Croci sui filiam, Zechi neptem Libussam qvandam Bohemiæ reginam memorant, virilis animi & illam viraginem. Sed nos omisso harum rerum examine pergamus ad reliqva. Cum Vendâ Croci stirps interciderat. Revoluta ergò in Palatinos

q) Joach. Pastor. p. 6. *r)* Cluver. l. III. Antiq. Germ. c. 44. f. 190. Qui [antiqvissimi Polonorum Historiographi] *gentis regniq; primordia fabulosè, ut ubiq; gentium omnis vo mos fuit, confingentes, inter primos reges numerarunt reginam Vendam*. Conf. Mart. Zeill. Beschreib. des Königr. Polen p. 80.

tinos denuo eſt moles imperii *s*). Sed brevi pòſt, cùm plebeji hominis Premiſli (aurifabrum enim fuiſſe proditum eſt) callidum inventum (qvod explicare longum nunc foret) inſignis adverſus Pannonas ac Moravos victoriæ cauſam dediſſet, dignum habuerunt omnes, in qvo Regiam Poteſtatem iterum experirentur: ac placuit eum, ob Lechi primi memoriam, diminutivè Leſcum appellari. Sed cùm orbus iſte deceſſiſſet, ortâ ſuper principatu Procerum contentione, conſensére ad extremum, ut fortunæ permitteretur electio, ſelectis eqvis procurreretur ad metam, qvi primus perveniſſet, Princeps foret. Ibi repertus eſt ex competitoribus, qvi fortunæ arbitrio dolum interponeret. Is campi, in qvo certandum erat, arenas tribulis ferreis clam noctu impedit, relicto ſibi tramite integro, eqvo inſuper ſoleis ferreis in caſum munito. Effuſis in curſum omnibus, lapſantes reliqvos vel tardatos facile fuit impoſtori antevertere. Jamqve victor, jam Princeps clamabatur: Darium novum fuiſſe dixiſſes, ſi, ut fraude Darium imitatus, ita & ſimili fortunâ uſus fuiſſet. Verùm paulò pòſt fraudis compertum trucidafunt *t*). Forte autem, cùm cæteri eqvites decurrerent, vir qvidam tenuiſſimæ ſortis idem ſtadium pedes non ſine riſu adſtantium ingreſſus fuerat, metamqve poſt ipſum doli ſtructorem tetigerat primus. Eum

P 4 Polo-

s) Joach. Paſtor. Flor. Polon. p. 7. *t*) Id. p. 8.

Poloni fato ſibi oſtenſum rati, qvanqvam pauperem & nec unius eqvi dominum, Principatu donarunt *u)*. Qem ipſe nec ſuperbè, ut ſolent aliàs, qvi ex humili ſorte emergunt, nec inſtrenuè geſtum, ad Leſcum tertium *w*), (nam & Patri Leſco nomen fuit cum impoſtore comune,) circà Caroli Magni tempora transmiſit, paternæ non magis poteſtatis, qvàm virtutis hæredem. Sed in hujus filio, Popielo primo ſeu Majore *x*), inclinaverunt hæ laudes; in nepote Popielo ſecundo ſeu Juniore, planè defecêre. Hic nempe fuit Popielus, qvem eodem genere mortis divinâ ultione immiſſæ, qvo Hattonem qvendam Præſulem Moguntinum, celebrem faciunt hiſtoriæ. Cùm enim patruos blandis circumventos inſidiis veneno ſuſtuliſſet, è cadaveribus projectorum enati mures ipſum unà cum uxore doli inventrice, ac liberis fruſtrà renitentihus, depaſti ſunt *y*). Poſt tàm fœdum Popieli interitum nova de Principatu diſſidia orta, ſimulqve de ſucceſſore indicta comitia diffluxére. Coacti iterum in Cruſvicenſi oppido Proceres cùm diu ſe variis contentionibus fatigâſſent, tandem eum eligunt Principem, qvem nemo unqvam ſperaverat. Is erat Piaſtus,

u) Idem p. 9. *w)* De qvo idem p. 10. *x)* De qvo vide iterum Paſtorium p. 11. Pro *Popielo* qvidam *Pompilium* vocant, ut pro *Craco Gracchum*: qvi ſcilicet antiqviores volunt eſſe hos Reges, qvàm ſunt, ut è Romanis veteribus qvaſi excitare eos poſſint. *y)* Joach. Paſtor. p. 13.

ſtus, Cruſviciæ oppidanus, agello modico colendo, & mellificio vitam ſuſtentans, ſed inter fortunæ anguſtias vitæ innocens, & inprimis in egentes promptus. Hunc narrant ſcriptores extremis comitiis, cùm magnâ annonæ caritate laboraretur, refeciſſe omnem eorum, qvi ad comitia convenerant, multitudinem, nihil minuentibus miraculo qvodam inter tot avidas fruentium manûs dapibus *z*): qvo prodigio attonitos Polonos Piaſtum neqvicqvam reluctantem ſalutâſſe Principem. Hæc ſive ſic geſta ſunt, ſive in ſpem alienæ credulitatis confictа, certè non ſine fato potitum eſſe principatu Piaſtum, principatus ipſe poſteà oſtendit, geſtus ab illo feliciſſimè, & ad ſeram poſteritatem ordine non interrupto per annos ampliùs qvingentos deductus. Qvi enim poſt illum Duces vel Reges Polonorum ad Ludovicum Ungarum, Jagellonis anteceſſorem proximum, numerantur, illius ſoboles ſunt, & ad eundem noviſſimè Duces Lignicenſes ac Bregenſes generis ſui primordia referunt *a*). Fuit autem ejus abnepos Miecislaus ille, qvem ſecundi ordinis Regum Polonicorum caput fecimus, ut qvi Chriſtianorum Poloniæ Principum fuerit primus. Ad qvem, omiſſis qvi intercedunt reliqvis, Ziemovito primo, proavo ejus, Leſco qvarto avo, Ziemomislo patre, (neqve enim de ſingulis dicere ratio temporis patitur,) dignis interim omni

 lau-

z) Id. p. 14. *a*) Id. p. 15.

laude, qvæ in homines non Christianos convenire possunt, Principibus, mea nunc festinat Oratio. Miecislaum hunc *b*) sero partu mater ediderat, & qvasi ne sic qvidem satis elaborasset natura, cœcum; neqve hoc vitium medicorum manûs corrigere potuére. Jam ad septimum annum pervenerat puer, eiqve patrio qvodam ritu primam comam tonderi, nomenqve imponi oportebat, cùm præter omnium spem subitò oculis uti cœpit. Interrogati super hâc re harioli lumen Poloniæ sub hoc Principe portendi respondére. Id de bellicis accessionibus interpretatus pater Miecislai nomen ipsi indidit, qvo gentis lingvâ significaretur is, qvi gloriam sibi gladio esset pariturus. Sed majus qviddam, qvàm qvod ille suspicatus erat, parabat Deus. Miecislaus jam parentis mortui successor, ductis barbarico more septem uxoribus, ex nullâ tamen fieri pater potuit. Ea res primum religioni Christianæ in Poloniâ aditum aperuit. Sparsi enim forte per regnum ex vicinis ditionibus Christiani Principem adierunt, prolem à DEO vero pollicentes, si eum spretis paganæ superstitionis sacris juxtà secum coleret. Illectus ille tantæ rei spe, an potius à Deo tactus, barbaras uxores repudiat, Boleslai Bohemorum Ducis filiam jam Christianam ducit; paucis ut multa complectar, veram de Christo doctri-

b) De hoc vide præter Pastorium p. 18. seqq. Muret. Volum. I. Orat. 14. p. 140. seqq. ed. Lipf. A. 1629.

ctrinam ſuſcipit, utqve idem facerent, ſubditos movet exemplo, breviqve temporis ſpacio Poloniam Chriſto aſſerit. Nam altero anno idola planè deſtructa, iisqve paſſim, ſicubi adhuc reſtitarent, abolendis ſolenni edicto ſeptima dies Martii deſtinata. Unde ſunt, qvi ad noſtra usqve tempora deductum eſſe morem opinantur, neſcio qvæ mortis ſimulacra qvadrageſimali tempore in lacus aut fluenta qvotannis mergendi *c*). Neqve fefellit Miecislaum promiſſio Chriſtianorum. Suſcepit enim ex novâ conjuge filium, qvem de avi materni nomine Boleslaum vocavit, à ſuis poſteà cognomen Chrobri, qvod virum acrem ſignificat, (inprimis enim militari gloriâ excelluit,) indeptum. De qvo hoc memorandum præterea, qvòd primus regium titulum uſurpaverit, cùm Anteceſſores ejus re ipsâ contenti à nomine abſtinuiſſent, Ducum modò aut Principum vocabulis ornati. Regii autem nominis aſſumendi hanc fuiſſe occaſionem accepimus *d*): Venerat in Poloniam Otto Imperator III. ut more illis temporibus freqventato reliqvias veneraretur novi Martyris Adalberti, à Prutenis dæmonum cultoribus occi-

c) Vide Martin. Cromer. (Tom. II. Corp. Polon. Hiſtor.) f. 434. Albiz. Genealog. f. 19. Dreſſer. de feſt. p. 61. 62. Calviſ. Chronol. p. 823. ſub A. 966. Bucholcer. Chronol. p. 297. ſub A. 965. Barthol. Scherzi Sprachenſchul p. 63. Tieroff Evangeliſche Todtenbahn p. 416. ſeqq. & alios paſſim. *d*) Vide Lanſ. Conſultat. de principatu inter provincias Europæ p. 604. ſeq. ed. Tubing. A. 1620.

occisi, cujus cadaver Boleslaus redemerat à barbaris. Venerat autem Otto sive voti exolvendi causâ, qvod gravi morbo implicatus nuncupaverat, sive expiandi sceleris, qvi Comitem qvendam Italum, falsis à conjuge criminationibus oneratum, pro adultero, cùm esset innocens, damnavisset capitis. Cùm ergò religioso consilio PosnaniâGnesnam usqve pedes esset iturus Imperator, Boleslaus totum illud viæ spacium, qvod per septem milliaria protenditur, panno stravit, itinerisqve pedestris Imperatori se comitem adjunxit. Otto, ut gratus esset, Boleslaum solenniter Regem creavit *e*), sociumqve & amicum Romani Imperii appellavit. Verùm qvem titulum Boleslaus hic primus meruerat, eum pronepos hujus Boleslaus alter, cognomento Audax, decoxit posteà, cùm non ab avitis modò, sed suis qvoqve virtutibus degenerans extremam vitæ partem adulterio, & Stanislai Cracoviensis Episcopi cæde contaminâsset *f*). Ob hæc enim Pontificis Romani fulmine percussus est, in ipsam qvoqve Poloniam redundante execratione, cui ut sacris, ita Regis creandi potestate interdictum fuit *g*). Prostrata sic jacuit Regia dignitas ducentis & ultrà

e) Bodinus impudenter scribit, Polonos sceptra Regia, sibi ab Imperatoribus Germanicis oblata recusasse. Vid. Meibom. ad Sleidan. de qvatuor summ. Imperiis p. 347.
f) Joach. Pastor. Flor. Polon. p. 36. *g*) Idem p. 37. 38.

ultrà annis *b*): cujus qvidem rei hanc fuiſſe vel potiſſimam vel non minimam certè cauſam apparet, qvòd relictâ ſubinde à Dominantibus numerosâ ſobole in tot Principes diviſa fuit, Polonia, vix ut horum qvisqvam regio nomini eſſet ſuſtinendo *i*). Premiſlum tamen poſthumum, in qvem plures provinciæ felici ſucceſſione coiverant, dignum ſui judicarunt, qvi tot annis neglectum geſtaret regium diadema *k*). Qvod ei Gneſnæ ſolenni ritu Jacobus Archiepiſcopus Anno Chriſti poſt milleſimum ducenteſimum nonageſimo qvinto impoſuit *l*). Paulò pòſt in Caſimiro Magno *m*), Cracovienſis Academiæ inchoatore Piaſtea progenies, qvæ qvidem in Poloniâ dominaretur, defecit. Is cùm improlem ſe videret, maturè ſucceſſorem circumſpicere cœpit, placuitqve eligenti Ludovicus *n*), qvem ex ſorore Caſimiri Eliſabethâ Carolus Ungariæ rex ſuſceperat. Nam etſi hinc in Sileſiis qvibusdam Principibus, illinc in Du-

b) Idem p. 82. ducentos & qvindecim annos numerat Calviſ. Chronol. p. 1023. *i*) Paſtorius iterum p. 82. Conf. Dreſſer. Iſag. hiſt. millen. ſexto p. 616. *k*) Paſtor. d. l. Vide & Henning. Geneal. Tom. IV. part. poſtr. f. 288. Joan. Piſtor. (Tom. III. Corp. Polon. hiſtor.) f. 150. *l*) Calviſ. Chronol. p. 1023. *m*) De hoc Dreſſerus Iſag. hiſt. mill. VI. p. 624. inter alia hæc memorat: *Jura ea conſtituit, qvibus in hanc usqve diem Polonia regnum continetur & viget.* *n*) Dreſſer. d. l. Pro *Ludovico* Paſtorius p. 97. *Carolum* hìc memorat, qvodam errore memoriæ: nam ipſe poſteà p. 102. *Ludovicum* nominat.

Ducibus Masoviorum, nondum esset mascula Piasti progenies extincta: spreti tamen utriqve sunt *o*), qvòd alteri per defectionem ad Bohemos *p*) hoc honore excidisse, alteri non satis dignitatis aut virium afferre posse dicerentur. Ita Poloniæ regnum ad Ludovicum Ungarum devenit. Verùm nec ille, qvi sibi succederet, filium habuit. Unde destitutum iterum rectore Regnum multorum moxPrincipum vota ac studia in se arrexit *q*). Sed omnium spem Jagello tandem, Lithuaniæ Princeps, intervertit, is qvem initiò tertii ordinis inter Reges Poloniæ Ducem constitui. De qvo ejusqve posteris pauca, qvæ mihi dicenda restant, æqvis animis, A. H. qvæso accipite. Reliqverat Ludovicus filiam Hedvvigin, cujus matrimonio annectere Poloniam visum erat post annorum aliqvot interregnum Proceribus. Eam ergò sibi petere cœpit Jagello, se & Lithuaniam ad Christiana sacra, (ad qvæ nondum eo tempore conversi erant,) & hanc simul ad societatem Reipublicæ Polonicæ offerens. Non displicuit Polonis tali cum fortunâ regni sui procus *r*). Igitur nec dubitaverunt ad extremum ipsi cum regiâ filiâ regnum despondere. Ingressus ille Poloniam primò omnium Gentilismum ejurat, novumqve Uladislai nomen suscipit: inde celebratis

o) Vid. Cromer. f. 598. 599. *p*) Factum hoc regnante Uladislao Loctico Dresser. d. l. p. 622. *q*) Joach. Pastor. Flor. Polon. p. 106. *r*) Id. p. 108.

bratis cum Hedvvige nuptiarum solennibus regio diademate insignitur. Mox compositis rebus in Lithuaniam suam reversus, Sacerdotis ibi magis qvàm Principis munere fungitur, gentem suam ad sacra meliora traducens, & prima fidei rudimenta ipse illis, (cùm adducti è Poloniâ Episcopi lingvæ alienæ rudes essent,) voce pariter & calamo præiens. Sic per annum ab Ethnicâ superstitione repurgata est illa qvoqve regio, pariqve sorte & Poloniæ & Christi regno accessit *s*). Hujus posteri, qvi regno præfuerint, non ultrà sex numerantur: filii nempe duo, Uladislaus & Casimirus; nepotes ex hoc Casimiro terni, Johannes Albertus, Alexander & Sigismundus; pronepos unus, Sigismundus Augustus. In qvo cùm seculi superioris anno septuagesimo secundo *t*) Jagellonia stirps mascula defecisset, Henricum Valesium, Caroli IX. Galliæ Regis fratrem elegerunt Proceres. Sed is cùm paulò pòst fratre extincto Galliæ regnum ad se intelligeret pertinere, cum paucis ministris clam elabens, discessione suâ vacuum regnum reliqvit, novoqve successori locum dedit. Is fuit Stephanus Bathorius, Transylvaniæ Princeps, cui cùm Annâ Sigismundi Augusti sorore, (perinde ut antehac Jagelloni cum Hedvvige,) regnum traditur. Huic posteà per electionem suffectus est Sigismundus,

s) Id. p. 109. 110. *t*) Calvis. Chronol. pag. 1195. Bucholc. Ind. Chrohol. p. 631.

dus, Johannis III. Svecorum Regis ex Catharinâ Jagelloniâ Annæ ſorore filius, qvem connivente marito mater in Pontificiâ religione educandum curaverat. Ea res poſteà Sveciæ regno, qvod hæreditarium acceperat à patre, illum exuit, cùm adverſus noſtram fidem, cui gens illa per DEI gratiam hactenus conſtanter adhæret, qvædam moliri, qvæ decretis regni jam prohibita eſſent, comperiretur. Itaqve ab eo in Carolum patruum regiæ dignitatis faſtigium translatum eſt, fruſtrà fremente ipſo ac paternum regnum repoſcente. Qvod & eo mortuo filios Uladislaum & Johannem Caſimirum feciſſe in recente habemus memoriâ. Qvibus poſt Carolum filius Guſtavus Adolphus, poſt hunc Chriſtina, & hodiè Carolus Guſtavus illius ſucceſſor reſtitére. Neqve dubium, qvin ab iſtis initiis ſimultas, inter Carolinam & Sigismundi cognatas familias orta, neqve ſatis annorum ſuperiorum transactionibus compoſita, in hoc deniqve bellum eruperit. Sed hâc de re, ut qvæ ætati noſtræ propior à nemine ignoratur, verbum non ampliùs addo. DEUM autem rogare noſtrum eſt, ut & Regum illorum animos reducat in gratiam, aut ſi coaleſcere illi minùs poſſunt, clementer prohibeat, ne flamma hujus belli provincias noſtras qvoqve invadat! Id qvod ipſe præſtare dignetur propter Filium ſuum unigenitum! Amen.

Tempus eſt, Auditores, id nunc ut aggrediar,

ar, & cujus cognoſcendi gratiâ invitati vos eſtis, & qvod à me Juvenes ſeptem eruditione, moribus, pietate ornatiſſimi, qvos aſſurrexiſſe videtis, tacito qvodam deſiderio flagitant. Hos, cùm à Facultate noſtrâ primum in Philoſophiâ gradum decerni ſibi petiiſſent, examine publico exploravimus diligenter atqve accuratè. In qvo ad interrogata de omnibus humanioris literaturæ partibus ita reſponderunt promptè atqve appoſitè, ut publico eos præconio digniſſimos æſtimatos honeſti deſiderii participes facere decreverimus. Sed ut non meæ magis commendationi, qvàm veſtris ipſorum judiciis credatis, loqvi nunc ipſos jubebo.

ORATIO XII.

De Sectâ Nominalium:

Habita A. 1658. d. 28. Jan.

Cùm XIV. Candidatis Magiſterii conferenda eſſet ſupremi hujus in Philoſophiâ gradûs Licentia.

Sunt mibi bis ſeptem præſtanti corpore nymphæ,
Qvarum qvæ formâ pulcherrima, Deiopeiam
Connubio jungam ſtabili, propriamqve dicabo.

Virgilianæ Junonis hæc verba, qvibus ad Æolum uſa ſit *a*), neminem ex Vobis eſſe

Q opi-

a) Virgil. lib. I. Æneid. v. 75. ſeqq.

opinor, *Rector Magnifice*, *&c.* qvi non aliqvando vel in tenerâ ætate recitari inScholis explicariqve audierit. Ea verò paucis immutatis mea nunc faciam, &, qvod DEUS feliciter evenire jubeat, clarâ voce, ut ab omnibus exaudiri qveam, exclamabo:

Sunt mihi bis septem præstanti pectoreEphebi,
Qvos hæc lux omnes pulcherrimaPhilosophiæ
Connubio junget stabili propriosqve dicabit.

Jure enim mihi vendico, jure meos appello qvatuordecim ingenii ac doctrinæ laude commendabiles Bonarum Artium Candidatos. De qvibus à Spectabili nostræ Facultatis Decano hâc ipsâ horâ Philosophiæ Baccalaureos renunciari tres postremos audivistis, mihiqve adeò unà cum cæteris, illas honorum primitias alio tempore adeptis, qvasi in manus tradi & liberaliter transcribi. Cui vicissim ego gratiam relaturus, post concessam universis Serenissimi Academiæ hujus Cancellarii nomine, qvi mihi munus hoc demandavit, supremi gradûs Licentiam, eos illi tales redhibebo, ut nullâ interpositâ morâ capita illorum pileis, digitos annulis, ipsos Magisterii titulo exornare qveat: hæc enim me causa in hanc cathedram unicè prolicuit. Neqve tamen recedam ab antiqvissimâ, eâdemqve literato nostro ordini perqvam convenienti consvetudine differendi aliqvid pro lubitu, anteqvam ad solennes renunciationum formulas perveniatur, qvod scilicet vel

varietate

varietate suâ novitatéve adsvetas alioqvi talibus formulis aures præsentium revocet à tædio, atqve ingenuâ voluptate perfundat, vel utilitate pascat interim & moram redimat, vel etiam utroqve nomine decenter afficiat. Ac tale confido à Vobis judicatum iri argumentum, qvod mihi sumpsi à Professione Dialecticâ meâ non alienum. Dicam enim de Sectâ Nominalium Philosophorum, à qvibus qvi extremè dissentirent, Reales sunt appellati. Subobscura est eorum in recentium scriptis, neqve adeò freqvens mentio, qvòd ipsa hæc secta tantùm non interciderit penitus, neqve agmen aliqvod, ut olim, seorsim ab aliis ducat. Itaqve sæpe evenit mihi, ut in eorum nomen incidens obhærerem, & eorum pleniorem paulò historiam mihi exoptarem. Qvam cùm ab illis frustrà reqvisivissem, qvorum de historiâ aut sectis Philosophorum commentarios videre licuit *b*): cœpi ipse diligenter, qvicqvid de illis qvasi aliud agendo commemoratum uspiam reperirem, annotare, ut qvoad possem ipse suppetias ferrem ignorantiæ meæ. Nec despero tamen esse, qvi id, qvod optare me dixi, præstiterint, atqve

b) De Nominalibus & Realibus qvæ memorat Georg. Hornius Histor. philos. lib. VI. c. 5. pauca sunt, nec dilucida satis, ut infrà in orationis contextu lit. yy. monstrabitur. Longè pauciora illa Vossii de sectis Philosophorum c. 17. p. 92. §. 26. *Paulò ante annum millesimum centesimum Peripatetici sunt divisi in Nominales & Reales.* Neqve enim qvicqvam additur de hâc scissione.

adeò gratiam à me magnam initurus est, qvicunqve fontem, unde ad satietatem bibere possim, mihi demonstraverit. Verùm ea fuit infelicitas hactenus mea, ut hujusmodi præsidio destitutus consulere utcunqve mihi ipsi necesse habuerim. Si qvos ex Vobis, Honoratissimi Auditores, fortuna melior respexit, eos peramanter rogo, ut rerum illarum, qvas meliùs noverunt ipsi, memoriam saltem, à me refricari patiantur; cæteros, ut me de re non usqve adeò tritâ verborum aliqvid facientem, neqve in eâ rhetoricos qværentem colores, sed simplici ac planâ perfungentem narratione, benevolè auscultare dignentur.

Viguerunt ergò cùm in aliarum Nationum, tùm in ipsis qvoqve Germaniæ nostræ Academiis Majorum nostrorum memoriâ philosophantium adversæ sibi duæ familiæ, Nominalium una, Realium altera. Habet enim hoc omnis erudita doctrina, ut incubante speculationibus suis ingenio humano variæ discrepantesqve inter se opiniones excludantur. Qvæ ubi aliis qvoqve similiter persvasæ fuerint, fieri non potest, qvin discedatur in partes, & vinculum rumpatur concordiæ. Tacebo Theologos, qvi sectarum solâ enumeratione ac recensione historicâ ingentes exarant libros. Inter Jureconsultos Proculiani cum Sabinianis, inter Medicos Dogmatici cum Empiricis, cum Galenicis Paracelsistæ adversis aciebus concurrunt.

Inter

Inter Philosophos (nam & mea mihi vineta cædenda sunt,) Pythagoras, Thales, Plato, Aristoteles, Zeno, Epicurus (ut è qvamplurimis paucos nominem) capita sunt priscarum familiarum de veritatis possessione controvertentium. Qvid nostra ætas? Nonne Cartesianos experitur, inolitam multis seculis philosophandi consvetudinem summis viribus labefactantes? Sed, qvos dixi, universum doctrinæ philosophicæ, qvàm latè patet, corpus, sententiis suis pervagantur: Nominales, de qvibus mihi institutus sermo est, intrà Dialecticæ limites ferè se continuerunt, neqve tàm reliqvam Philosophiam bellis suis, qvàm Logicam impleverunt, unde & ab Anselmo *c)* hæretici Dialecticæ qvondam sunt appellati. Tametsi enim placita eorum in aliis qvoqve Philosophiæ partibus subinde recitantur; (qvoniam necesse est, si qvid in universali disciplinâ, qvalis est Logica, peccatum sit, id in cæteras aut spargi consultò, aut suapte vi serpere;) in Logico tamen campo præcipuè copias explicuerunt suas, in eoqve arcem suæ causæ sitam habuerunt. Qvanqvam, si jubeat qvod res est dicere, contentio illa Metaphysica

 poti-

c) De incarnatione verbi c. 2. (Tom. III. oper. f. 35.) — *nostri temporis Dialectici (imò dialecticæ hæretici,) qvi qvidem non nisi flatum vocis putant esse universales substantias* —. De Nominalibus hæc Anselmi verba expresse interpretantur Conimbricenses Commentar. in Dialect. Aristot. p. 81. (ed. Colon. A. 1611.) & Hornejus Instit. Log. lib. I. Q. 7. p. 34.

potiùs, qvàm Logica, vocari debet. Fuit enim mota de naturâ Universalium essentiarum, qvam expedire Metaphysici interest: expeditam à Metaphysico Logicus mutuatur demùm, & ad ejus figuram prædicabilia sua, qvæqve hinc seqvuntur cætera, adaptat. Verùm qvo primùm tempore Nominalis illa secta in auras prodiit, nondum emerserat è seculi tenebris Metaphysica, aut certè confusis imperii sui limitibus bonâ sui parte intrà Dialecticæ artis, majores nido suo pennas extendentis, qvasi amplexûs delitescebat. Unde factum est, ut concertatio hæc Dialecticorum esse, non Metaphysicorum, credita fuerit, persvasione ad nostram etiam ætatem sic perdurante, ut de Universalium naturâ à pluribus & prolixiùs ad Isagogen Porphyrii *d)*, qvàm ad Aristotelis Metaphysica disputetur. Nimirum qvia sic à primis opinionum harum seminatoribus factum meminerant. Qvorum tamen & nimiam & alieno expromptam loco diligentiam suo jam ævo (vixit autem non diu post initia Sectæ Nominalis) castigat Joannes Saresberiensis in libello,

d) Porphyrius qvidem in præfatione Isagoges mentionem injicit qvæstionis: *an genera & species in rerum naturâ an in solis nudis animi notionibus posita sint?* ac similium aliarum: sed eas propter obscuritatem omissurum se promittit. Qvamobrem Conimbricenses ad hæc Porphyrii verba commentantes (p. 77. in dialect. Aristot.) his qvæstionibus nonnullos Philosophos hoc loco invito Porphyrio statim respondere asserunt. Conf. Jo. Lud. Viv. lib. III. de caus. corrupt. art. p. 121. ed. Colon. A. 1536.

bello, cui Metalogici nomen fecit *e)*, idqve vice non unâ. Non possum mihi temperare, qvin ejus vel unicum locum Vobis, Auditores, recitem, est enim elegans, nec destituitur acumine. *Littera,* inqvit *f), svaviter excutienda est, & non more captivorum acerbè torqvenda, donec restituat qvod non accepit. Porrò austerus nimis & durus magister est, tollens, qvod positum non est, & metens, qvod non est seminatum: qvi Porphyrium cogit solvere, qvod omnes philosophi acceperunt.* Sed ne absqve limitibus mea vagetur oratio, terminis eam suis jam circumscribam, totamqve in duo partiar capita. Primò, qvænam fuerit Nominalium princeps opinio, qvæ & appellationem illis dedit, aperiam. Deinde qvo tempore nata fuerit hæc secta, qvibus autoribus & propagata, & ab interitu vindicata aliqvantisper, donec planè concideret, qvantum mihi compertum erit, patefaciam. Qvod ergò ad præcipuum dogma attinet Nominalium, fuisse illud de Universalibus naturis paulò jam antè dixi; qvale fuerit, nondum dixi, sed hoc facilè qvis ex ipso Nominalium vocabulo conjecerit. Nimirum negabant ea, qvæ universalia vocantur à Philosophis, res esse verè, citraqve mentis humanæ fictionem existentes: ex adverso firmiter asserebant, omnem earum naturam meris nominibus, nudis vocibus, aut solis animi con-

e) Ubi vide p. 88. 97. 98. 104. 125. 129. 130. 131. 154. edit. Paris. A. 1610. *f)* lib. III. Metalog. c. 1. p. 131.

ceptibus exhauriri. Qvare ab hoc, qvod propugnabant, dogmate, Nominales appellari meruerunt: ficuti, qvi fe horum doctrinæ opponebant, Realium nomen fortiti funt. Enimverò duo Entium gradûs à transnaturali philofopho conftituuntur: univerfalium unus, fingularium feu individuorum alter. Singularium exempla funt Moyfes, Plato, Ariftoteles, qvorum in hoc Auditorio depictas cernitis imagines; univerfalium homo, animal, corpus, & talia fexcenta. Singularia oculis arbitrar poffumus, univerfalia non item. *Menfam eqvidem*, ajebat Diogenes Cynicus *g), & cyathum video, menfalitatem & cyathitatem*, (ignofcite verborum infolentiæ, Auditores, neqve enim breviùs licet τὴν τραπεζότητα καὶ κυαθότητα interpretari,) *neutiqvam video.* Non mirabimur, fi qvid eft à Nominalibus olim, in univerfalis effentiæ vim inqvirentibus, prolatum ejusmodi, qvod abhorreret non ab eruditorum modò judiciis, fed ab ipfis propemodùm auribus, fenfuqve hominum communi. Profunda vorago eft Univerfalium natura: qvò acriùs, qvò diutiùs intendas oculos, hôc denfiores tenebræ oboriuntur. Etiam diu ante Nominales Philofophorum Græcorum Scholæ certaminibus fuper hoc argumento ferbuerunt. Heraclitus Ephefius, Craty-

g) vid. Diog. Laert. de vit. Philofoph. p. 240. (ed. latin. Lugdun. A. 1546.)

Cratylus, aliiqve *b*) ante Platonem omninò negabant esse qvid in rebus universale, qvandoqvidem omnia fluere, omnia fieri, nihil esse, hoc est, firmum nihil atqve immutabile ne in momentum qvidem perseverare judicabant. Qvâ in re qvidem ad naturalia tantùm corpora respicere visi sunt. Sed cùm hoc pacto unà cum universalibus ipsam qvoqve rerum scientiam de medio tollerent, (non enim de singularibus rebus, sed universalibus, non de fluxis, sed permanentibus atqve constantibus scientiam haberi jam diu fuit à Sapientibus præjudicatum,) neq; tamen negari posset, summam esse naturalium corporum inconstantiam, jam orientium, jam intercidentium rursus: Ideas Plato produxit in scenam, hoc est, eorum, qvæ sensu percipimus, exemplaria qvædam æterna, neqve ulli mutationi obnoxias formas, in qvas intuens Deus hæc, qvæ dixi, procuderet *i*); à qvibus qvoniam ipsæ essent penitùs separatæ, inde fieri, ut à variis rerum casibus nihil vicissitudinis acciperent aut contraherent labis, sed in eodem statu qviescerent perpetuò: has nimirum esse universales naturas, qvarum contemplatione, qvicqvid est humanæ scientiæ, definiatur. Eas posteà discipulus ejus labefactavit Aristoteles,

b) De his vide Conimbr. in dialèct. Arist. p. 80. Antòn. Rub. Log. Mexic. Part. I. p. 112. & Comment. Log. p. 26. Monlor. in prior. Analyt. p. 420. Conf. Muret. p. 84. ad Nicomach. *i*) Muret. d. l. p. 87.

& ideas seu species illas Platonicas inania tantùm esse περιστώματα (auribus potiùs oblectandis, qvàm exsaturandæ menti idonea) pronunciavit *k*): neqve enim salvari scientiam non posse, nisi animus nescio qvas à singularibus rebus cunctis separatas species venaretur, sed res ipsas visibiles intuendo tantum nos latentis ibi naturæ universalis excerpere posse, qvantum ad constipandam homine dignam scientiam sufficiat. Insecutis temporibus Stoici qvoqve de Ideis sive universalibus philosophati sunt: verùm ea non, ut Plato, rebus ipsis antiqviora fecerunt, neqve tamen cum Aristotele rebus crediderunt immersa, sed nihil aliud illa esse docuerunt, qvàm rerum in animo nostro notiones, atqve resplendentes & impressas intelligentiæ imagines. Eorum ergò è priscis Philosophis, qvi universalia esse aliqvid faterentur, trifariam secta fuit opinio. Aut enim cum Platone sciscebant, ea naturas esse singularium rerum ortum antegressas; aut assentiebantur Aristoteli, in ipsis ea singularibus qværenti; aut cum Stoicis tùm demum existere opinabantur, cùm designata cogitatione qvasi fœtus qvidam in animo procrearentur. Atqve hoc illud est, qvod in Scholis triplex esse fertur Universalium genus: ante multa, in multis, post multa. Primum illud Platonis propria, si cum Senecâ loqvi libet, supellex, alterum familiare Aristoteli,

k) I. poster. analyt. 22. (al. 18.) f. 120.

teli, tertium decantatum à Stoicis: qvanqvam non ita penitus universalia singularibus impegit Philosophus Stagirites, qvin existimaret, earum formas seu simulacra intellectûs beneficio abstrahi etiam inde, & ita seorsim effingi posse *l)*. Hæc ita, anteqvam Nominalium secta foret orta, de universalibus inter vetustos Græci orbis philosophos disceptata sunt. Parum autem abest, qvin Stoicorum opinionem resuscitasse Nominales dicendum sit. Sanè enim universalia nihil esse præter conceptûs existimabant. Qvin & hoc accepimus, ea Stoicos οὔτινα appellasse *m)*, ut οὔτινα ἄνθρωπον, non hunc aut illum hominem, sed hominem in genere: unde & sophismatum genus qvoddam οὔτις appellatum est, (erant enim in his talibus excogitandis occupatissimi Stoici,) in qvo videlicet ἐκ τοῦ τινὸς πρὸς τὸ οὔτινα, hoc est à singulari ad universale perperam progrederetur argumentatio. Cujus exemplum hoc profertur: *Qvi est Athenis, ille non est Megaris: Sed homo est Athenis: Ergò homo non est Megaris.* Οὔτινα autem, latinè si vertas, *nulla* sonant: qvod qvæso qvàm prope abest à Nominalium dogmate! qvi dum negant universalia esse res, nimirum in non-entium referre censum ea videntur. Itaqve & Aventinus sexto Annalium libro *n)* Nominales Stoicorum secta-

l) vid. Muret. ad Nicom. p. 87. *m)* Id. ibid. p. 85. *n)* f. 497.

ctatores haud obscurè perhibet. Observavit tamen Johannes Crassotius *o)* diligens, si qvis alius, opinionum in hoc argumento expositor atqve collator, duabus præcipuè rationibus à Stoicis Nominales distingvi debere. Nam Stoici apertè suas à Peripateticis dissensiones professi sunt semper; Nominales autèm opinioni suæ nomen Aristotelis prætenderunt, sententias ejus non planè nullas eidem accommodantes. Præterea sub universalibus Stoici conceptûs tantùm mentis, non etiam ore prolatas voces seu nomina, qvod Nominales fecisse constat, comprehendisse videntur. Sed hæc tamen utriusqve factionis intervalla non tanta sunt fortasse, ut non qvasi in iisdem castris militasse ambas dici qveant. Certè qvi cum Nominalibus pugnam susceperunt, ut Peripateticæ Philosophiæ hæreditate eos excluderent, Stoicorum ipsos hac in re placitum, non Aristotelis defendere sententiam exprobrarunt. Vicissim à Nominalibus Reales, ut qvi Platonica de Ideis seu formis existentibus portenta propugnarent, exagitati, contrariaqve accusatione ab Aristotelici nominis usurpandâ dignitate prohibiti sunt. Verùm has criminationes non ab omnibus promiscuè reciprocatas esse, sed ab iis tantùm, qvi vel vetustas Philosophorum sectas, vel earum interpretationes veris inter se nec unqvam componendis dissidiis certare explo-

o) Tom. I. Philos. Perip. p. 129.

ploratum haberent, facilè persvaseris. Cæterùm sicuti Cicero, summæ vir in philosophando libertatis, Stoicos à Peripateticis & Academicis omnia transtulisse, nominibus tantùm commutatis easdem res observâsse censet: ita, qvod mireris, juratæ Peripato Nationis viguit aliqvando tale seculum, qvod crederet, Aristotelem à Platone non re sed verbis dissidere. Qvam utriusqve Philosophi concordiam, ut alios taceam, Boëthius qvoqve in omnem Philosophiæ partem non promisit solùm, verùm etiam, (si qvibusdam credimus) aggressus est aliqvando, tametsi aut operis magnitudo, aut immatura mors obstitit, qvò minùs ad exitum illud perduceret *p)*. Qvo autem tempore scissus est in has duas sectas Peripatus, notiora propemodùm erant in scholis Boethii scripta, qvàm ipsius Aristotelis. Qvo factum dixerim, ut non pauci per ea tempora, sive nominum, sive rerum sententiam tuerentur, Platoni pariter atqve Aristoteli approbare eam se posse confiderent: qvorum ita neutros adversæ parti platonicè philosophandi studium pro crimine impegisse qvis ambigat? Ac Nominalibus qvidem rationes Platonicas perplacuisse vel inde qvis suspicetur, qvia inter objectas Abelardo, post Rucelinum exercitûs Nominalis ductori primario, hæreses etiam hæc fuit, qvòd Spiritum Sanctum doceret esse animam mundi, tantoqve

p) Paul. Benius in Timæum Platonis ad Lect. p. 4.

toqve excellentius animal esse mundum, qvantò is meliorem animam habeat. Qvin hæc ex affectu in Platonem tenerrimo profecta fuerint, non sinunt nos dubitare verba Bernhardi, qvi hunc ejus errorem castigans multùm sudasse eum scribit *q)*, qvomodo Platonem faceret Christianum. Qvod si qvis contendat, maximam partem Abelardinæ hæreseos, cujus qvidem ille reus habitus, & duobus in Conciliis, Suessionensi & Senonensi, damnatus fuit, è Platonicis fontibus effluxisse, ab eo non vehementer dissenserim. Ejus enim dogmata modò Sabellium, modò Arium, Nestorium, Pelagium sapuisse perhibentur, qvibus omnibus hæreticis qvin Patriarcha fuerit Plato illi soli dubitant, qvibus Ecclesiæ primorum seculorum ignota est historia. Ergò si Platoni Theologiam suam attemperavit Abelardus, eidem qvoqve congruenter philosophatum priùs fuisse vero est perqvam simile: qvam ob causam & in epitaphio, qvod ipsi scripsit Petrus Abbas Cluniacensis, non tantùm Aristoteli, sed & Platoni comparari meruerit *r)*. Neqve res ipsa abnuit. Citiùs enim in Academiâ Platonis qvàm Lyceo Aristotelis sententiam Nominalium reperias.

q) Tract. de erroribus Petri Abailardi c. 4. (Tom. IV. oper. f. 114. *r*) His verbis:

Gallorum Socrates, Plato maximus Hesperiarum,
Noster Aristoteles.

Vid. Magdeburg. Cent. XII. histor. Eccles. f. 1710.

perias. Docuit Plato, universales naturas non esse singularibus inolitas, sed ab iis oppidò sejunctas. Qvid hîc est, qvod Nominales ferre non possint? Illas universales ideas Plato in divinâ mente effulgere, angelorum etiam & hominum intellectibus inseri professus est. Ne hîc qvidem audias qvicqvam, qvod suum facere nolint vocum patroni. Non id volo, deliberatum eis fuisse, ut ab Academicis adversum Peripateticos starent; sed cùm id ipsum facerent ignorantes, crediderunt ita, pro Aristotele etiam arma sua esse auspicata, nempe qvi hos duos Scholarum principes pacem inter se colere, saltem super hoc argumento, sibi persvasissent. Qvod ipsum qvoqve Philippus noster Melanchthon cùm persvasum haberet, qvem Nominalium opinione imbutum fuisse vel ex indicio Camerarii s) novimus, Ideam à Platone nihil aliud vocari, qvàm qvod Aristoteles speciem appellat, disertè pronunciat t). Hæc ergò documenta ejus amicitiæ, qvam Nominalium qvibusdam cum Platone intercessisse dixi, fidem faciant nobis. Inter Reales qvoqve fuisse, qvi Platonem haberent in deliciis, eamqve Aristoteli conciliare niterentur, facilè intelliget, qvi Joannes Saresberiensis Metalogicum perlustrabit. Possum enim ex eo planum facere, non modò Bernardum

s) in vit. Phil. Melanchth. p. 21. 22. t) Erotem. Dialect. lib. I. p. 7. ed. Witeb. A. 1548.

dum Carnotensem, qvi se Nominalium commentis inter primos opposuit, qvemqve ipse perfectissimum inter Platonicos seculi sui nuncupat *u)*, verùm & Sectatores ejus operosè id egisse, ut componerent inter Aristotelem & Platonem *w)*. Qvos qvidem tardè venisse arbitratur Saresberiensis *x)*, & laborasse in vanum, ut reconciliarent mortuos, qvi, qvamdiu in vitâ licuit, dissenserunt. Atqve hic Bernardus, Platonem æmulatus, nihil præter ideas genus esse dixit vel speciem *y)*. Qvo & ejusdem Bernardi hoc pertinet πετρ́άστιχον *z)*:

Non dico esse qvod est, geminâ qvod parte coactum
Materiæ formam continet implicitam:
Sed dico esse qvod est, unâ qvod constat earum:
Hoc vocat idean, illud Achæus hylen.

Jam & indiciis haudqvaqvam levibus compertum habeo, supparem illius ætatis Ottonem Frisingensem à partibus Realium adversùs Nominales stetisse. Atqve hoc ipsum significare cùm vellet Radevicus civis ejus & continuator operis, qvod de gestis Friderici Barbarossæ reliqvit Otto, *ideas* eum *asseruisse* disertè scribit *aa)* in

u) IV. metalog. 35. p. 226. *w*) Ibid. II. 17. p. 101. *x*) d. l. *y*) Saresb. ibid. p. 100. *z*) Respice iterum ad Saresber. IV. metal. 35. p. 227. ubi qvidem hi versûs leguntur non satis emendati.

aa) in ejus epitaphio: id qvod satis manifestè ad Platonicum de universalibus dogma alludit. Neqvaqvam tamen existimandum est, omnes Realis Naturæ assertores ideas Platonicas eâ ætate adorasse. Itum est enim, sub eâdem licet familiâ, in diversas sententias. Qvod Saresberiensis in hunc modum enarrat *bb)*: *Eorum*, inqvit, *qvi rebus inhærent*, (his enim verbis Reales circumscribit,) *multæ sunt & diversæ opiniones. Siqvidem hic ideò, qvòd omne, qvod est, unum numero est, rem universalem aut unam numero esse, aut omninò non esse concludit. Sed qvia impossibile est, substantialia non esse, existentibus his, qvorum sunt substantialia, denuò colligunt, universalia singularibus, qvod ad essentiam, unienda. Partiuntur itaqve statûs duce Gautero de Mauritaniâ, & Platonem in eo, qvod Plato est, dicunt individuum, in eo qvod homo, speciem, in eo, qvod animal, genus, sed subalternum, in eo, qvod substantia, generalissimum.* Habetis primam opinionem. Accipite nunc secundam, Bernardi ejus, qvem paulò ante memorabamus. *Ille* (sic enim pergit noster,) *Ideas ponit, Platonem æmulatus, & imitans Bernardum Carnotensem, & nihil præter eas genus dicit esse vel speciem.* — Habetis secundam. Seqvitur tertia: *Alius, ut Aristotelem exprimat, cum Gilberto Episcopo Pictavensi,* (hic est ille, Auditores, qvi aliàs Porreta-

R nus

aa) Radevic. Frising. lib. II. de gest. Friderici I. c. 11.
bb) II. metalog. 17. p. 99. seqq.

nus usurpatur;) *universalitatem formis nativis attribuit, & in earum conformitate laborat. Est autem forma nativa originalis exemplum, & quæ non in mente Dei consistit, sed rebus creatis inhæret, — singularis in singulis, sed in omnibus universalis.* Qvarta opinio sic exponitur: *Est & alius, qvi cum Gausleno* (Joslenum alii vocant, nonnulli Jozelinum, vel Joscelinum,) *Suessionensi Episcopo Universitatem rebus in unum collectis attribuit, & singulis eandem demit.* Venio ad qvintam: *Est aliqvis, qvi confugiat ad subsidium novæ lingvæ, qvia latinæ peritiam non satis habet: nunc enim, cùm genus audit vel species, res qvidem dicit intelligendas universales, nunc rerum maneries interpretatur. Hoc autem nomen in qvo auctorum invenerit, vel hanc distinctionem, incertum habeo,* inqvit Saresberiensis. Qvi de sextâ deniqve opinione sic loqvitur: *Nec deest, qvi rerum statûs attendat, & eos genera dicat esse & species.* Non id ago nunc, ut ostendam, hanc totam sex opinionum varietatem in qvatuor capita breviùs constringi posse, idqve ne ipso qvidem Saresberiense invito. Satis habeo, qvòd demonstravi, fuisse in agminibus Realium, qvi Platonicis ideis apertè patrocinarentur. Posteà cùm universa Realium natio Thomistarum præcipuè ac Scotistarum nominibus distingveretur, tametsi Joannes Major Hadingtonensis à Realibus Platonem tùm eo differre, qvòd posuerit ideam separatam à singularibus, tùm

tùm aliis de caufis apertè confeffus eft: Philippus tamen nofter Scotum, qvòd ineptias idearum nefcio ubi volitantium feqveretur, objurgavit, addens, ei prorfus accidiffe, qvod fatuo cribri foramina obftruenti *cc)*. Sed ad Nominales regrediamur. Qvos & ipfos olim in diverfas cohortes fciffos fuiffe, qvarum uni Rucelinus, alteri difcipulus hujus Petrus Abelardus, tertiæ nefcio qvis duces fe præbuerint, toties à nobis laudatus Joannes Saresberienfis his verbis nos docuit *dd) : Alius confiftit in vocibus, (licet hæc opinio cum Rocelino fuo ferè omninò jam evanuerit :) Alius fermones intuetur, & ad illos detorqvet, qvicqvid alicubi de univerfalibus meminit fcriptum. In hâc autem opinione deprehenfus eft Peripateticus Palatinus Abaëlardus nofter, qvi multos reliqvit, & adhuc aliqvos habet profeffionis hujus fectatores. — Alius verfatur in intellectibus, & eos duntaxat genera dicit effe & fpecies. Sumunt enim occafionem à Cicerone & Boetio, qvi Ariftotelem laudant auctorem, qvòd hæc credi & dici debeant notiones.* Sed fortaffe commodius fuerit omnem opinandi Nominalium diverfitatem in duo tantùm genera defcribi, unum, qvod univerfales fubftantias non nifi flatum vocis, ut loqvitur Anfelmus *ee)*, hoc eft, nomina effe contendit; alterum, qvod ea mentis potiùs, qvàm lingvæ fermone abfolvi, adeoqve

cc) lib.I. Erotem. Dial. p. 7. *dd)* lib. II. Metalog. c. 17. p. 99. feqq. *ee)* Refpice fuprà ad lit. c.

meros animi conceptûs esse autumat. Atqve hinc interpretandi videntur, qvi *Nominales* à *Conceptualibus* distingvunt *ff)*, prius scilicet nomen per excellentiam qvandam superiori illi generi imponentes, posteriore alterum hoc designantes. His autem discriminibus inter se scissos Nominales primâ solummodò sectæ suæ ætate fuisse dixerim. Nam alteram, qvam ab Occamo inchoari posteà significabo, composito illo dissidio sententiam utramqve, licet ordine qvodam inæqvali propugnâsse existimo, videlicet universalia esse & conceptûs, & vòces sive nomina. A nominibus tamen indita illis sub originem primam sectæ appellatio *Nominalium* constanter hæsit. Cui non multum absimilia sunt *Verbalium, Terministarum, Connotatistarum*, (nam & sic appellatos reperias,) imposita illis vocabula. Ab hujus qvidem dogmatis restauratore *Occamistas* etiam dictos novimus. Nec infreqventer olim vocati sunt *Moderni*, qvòd altera videlicet Realium opinio antiqvior habetur. Cujus vocis sonum minus latinum qvi effugere voluerunt, *recentiores Peripateticos, novi Lycei Doctores, novos Philosophos* eos salutaverunt. Nec alio sensu Aventino *gg) Tyrones* nuncupantur, nimirum qvia & *Reales* huic *Veterani* sunt. Non tacuerim hoc in loco, qvod è Ferrari-

ff) Alsted. Tom. I. Encyclop. f. 105. Conf. Keckerm. Tom. I. System. System. p. 87. *gg)* lib. VI. Annal. Bojor. f. 497.

rarienfibus *bb*) didici, freqventiffimè Nominales ufurpaffe hoc principium: *non effe absqve neceffitate multiplicanda entia ii*). Hinc enim ipfi Realibus, ut prodigis rerum multiplicatoribus invidiam fecerunt, fuam verò philofophiam frugalitatis nomine extulerunt. Reales viciffim, qvi principium illud miram entium avaritiam, (loqvor ipforum verbis,) qvam tamen natura non amet, in fcholas importaffe fimulqve multas interemiffe veritates dictitarent, Nominalibus rerum avaritiam probri loco, qvod & Aventinus *kk*) facit (huic familiæ, ut apparet, iniqvior) objecerunt. Ita non argumentis modò, fed & conviciis utrinqve pugnatum eft. Imò nec intrà verba bellum hoc ftetit: ad cruenta etiam prælia inter ftudiofos Parifienfes, qvi adverfarum factionum Magiftros feqverentur, deventum effe aliqvando accepimus *ll*). Sed longiùs ab eo, qvod cœperam, curfus me orationis avexit. Nominalium enim philofophiam cum veterum Sapientum fententiis contendebam. Neqvaqvam autem videntur injuriam eis feciffe, qvi in porticum Zenonis transfugiffe potiùs, qvàm in Ariftotelis ambulacro permanfiffe judicarunt. Atqve

bb) Monit. philofoph. p. 55. *ii*) De hoc Nominalium Axiomate plura vide in dilucid. meis Stahlianis p. 388. 390. 391. n. 8. 13. feqq. *kk*) f. 496. lin. ult. *ll*) Cauffin. de Eloq. facrâ & hum. lib. IV. c. 34. p. 171. Vid. & Alfted. Tom. I. Encyclop. f. 105. Francifc. Patric. Difcuff. Perip. Tom. I. lib. 13. f. 170.

hoc de se judicium ipsi fortasse æqviore animo ferent, qvàm si cum Heraclito Ephesio *mm)*, qvod faciunt nonnulli *nn)*, comparentur: non enim, ut ille, scientiam funditus omnem suo dogmate exstirparunt. Judicem autem Nicolaum Caussinum meritò deprecentur, qvi non dubitavit pronunciare *oo)*, Rabbinorum errores multis jam seculis intermortuos & ab omnibus irrisos à Nominalibus fuisse revocatos. Proferuntur horum deliria *pp)* ex libro Zoar fabulosissimè scripto: Adamum, cùm nomina rebus imponeret, magnam ex eâ, qvâ floruerit, scientiâ adhibuisse religionem; literas enim non qvascunqve tumultuariè arripuisse, sed eas inqvisivisse, qvæ tactûs & influxûs siderum, rei denominandæ ministerio ab æternâ mente destinatorum significarent. Esse qvippe mundum ex viginti duabus literis (Hebræorum hæ sunt,) conflatum, qvarum tres tribus elementis, (aerem enim non tàm elementum, qvàm elementorum glutinum habent Rabbini,) duodecim, Zodiaci totidem signis, septem reliqvæ errantium stellarum orbibus sint accommodatæ. Jam verò his consonantibus literis corporeas rerum creatarum partes designari, qvòd sine voce sint & qvasi intermortuæ: puncta verò iisdem affixa, qvæ vocalium instar obtinent, forma-

mm) De qvo suprà in textu paulò ante lit. h. *nn)* Conimbricenses in Dialect. Arist. p. 80. *oo)* De Eloq. iterum p. 171. *pp)* ab eodem Caussino d. l. p. 170.

formarum esse imagines, qvibus materia suopte ingenio langvida excitetur & animetur: deniqve ad integram totius perfectionem addi accentûs, qvi eas, qvas physici operativas nominant, exhibeant formas. Eum ergò, qvi hebraica nomina liqvidè & accuratè pronunciet, cœlestis & inferioris Mundi œconomiam depingere. Hæc Rabbinis persvasa cùm fuerint, & verò ex mente Nominalium qvoqve scientia de nominibus habeatur: infert inde Caussinus, ab his illa Rabbinorum somnia ferè fuisse ab inferis excitata; prorsusqvè in hoc argumento ita versatur, ac si senserint illi, bovem verbi gratiâ ἀπὸ τοῦ βοᾷν (à clamore & mugitu) dictum qvi teneat, eum bovis interiorem formam, materiam, potestates deniqve cæteras nosse. Qvo nihil potuit adNominalium mentem exprimendam dici ineptius. Omitto, qvòd qvæ Rabbini de solo scilicet Hebræo sermone nugati sunt, ea absqve ratione ad Nominalium dogma, qvod in omnibus omnium populorum lingvis peræqvè valet, transferri putavit posse: nolo enim in re manifestâ abuti otio, aut in viri cætera satis accuratè docti lapsu castigando pueriliter exultare. Potiùs ad alterum susceptæ narrationis caput progredior, ut, qvo seculo effloruerit Nominalium secta, qvâ fortunâ, qvibus defensoribus usa fuerit, edisseram. Primum novi Lycei conditorem Rucelinum qvendam, cujus jam ante nomen usurpavi, natione Bri-

tannum, memorat post alios Aventinus *qq*). Rucelini hujus ætatem qvi anno à nativitate Servatoris suprà millesimum centesimum trigesimo septimo, vel etiam qvadragesimo alligant *rr*), haud dubiè falluntur *ss*). Fuit enim ipse semiseculo integro antiqvior: secùs non potuisset in eum scribere, aut invehi in doctrinam Nominalium Anselmus Cantuariensis, eamqve hæreseos dialecticæ postulare *tt*), qvem obiisse diem suum constat sub initium seculi duodecimi *uu*), qvod verosimile est non attigisse Rucelinum, sed ante finem præcedentis fuisse exstinctum. Errorem credo viris doctis offudit, aliis qvidem, qvi seculi duodecimi scilicet annum hîc trigesimum septimum numerant, qvòd Aventinum non satis intellectum id crederent innuere *ww*); aliis verò, qvi qvadragesimum, qvòd non distingverent ætatem Rucelini præceptoris ab ætate discipuli Abelardi: huic enim is ipse annus, neqve perperam, passim assignari solet

qq) Verba ejus dabimus lit *vv vv*. *rr*) Ad trigesimum septimum alligant Magdeburgenses Cent. XII. c. 10. f 1631. Ad qvadragesimum Caussinus de Eloq. p. 171. & Alsted. Tom. I. Encyclop. f. 105. *ss*) Vide, qvæ in hanc rem copiosiùs dissero §. VII. Disp. de Doctoribus Scholasticis Latinis. *tt*) regredere suprà ad lit. c. *uu*) Anno 1109. vel 1106. Bellarm. de script. Eccles. p. 207. *vvvv*) Aventinus cùm f. 406. scripsisset, Lotharium Imperatorem anno 1137. exspirasse, qvibusdam interjectis subdit: *Hisce qvoqve temporibus* (regnantis Lotharii puta, aut circiter) *fuisse reperio Rucelinum Britannum, magistrum* Petri *Abelardi, novi Lycei conditorem.*

folet *xx)*, isqve non juveni ampliùs fed feni, cumqve à philofophiæ ftudiis in theologiam irrupiffet. Jam neqve illud perplexione caret, qvod in Hiftoriâ Philofophicâ legas Georgii Hornii, viri aliàs eruditionis admirandæ: qvi ubi in mentionem incidit Nominalium, *ab Occamo & Rucelino, univerfalia non effe res, contrà Scotiftas defenfum effe* fcribit *yy)* Rucelinum pofteriorem memorat Occamo, tantùm non tribus feculis fuperato. Contrà Scotiftas vult Rucelinum certâffe, qvo vivo nondum natus erat illius fectæ pater Scotus. Profectò aut incogitanter effufa hæc funt in chartam, aut, fi hæc iniqva videtur accufatio, perobfcurè. Cui enim Lectori veniat in mentem, eos, qvos fimul memorat, qvi fe fcriptorem hiftoriæ profitetur, feculis integris effe disjungendos? qvis harioletur, de Scotiftarum oppugnatoribus ab eo qvod dicitur, ad folum pertinere Occamum? Floruit Rucelinus, ut dixi, fub finem undecimi feculi, paulò junior, ut apparet, Lanfranco: fic enim optimè æqvalis ponetur Anfelmo Cantuarienfi Archiepifcopo, Lanfranci primùm difcipulo *zz)*, poftea fucceffori *ab)*. Cæterùm Lanfrancus

 bo-

xx) Sigeb. Gemblac. Chron. contin. p. 118. Trithem. catal. fcript. Ecclef. p. 75. & alii. *yy)* Georg. Horn. lib. VI. hiftor. philof. c. 5. p. 300. *Appellabantur etiam NOMINALES, propterea qvod* Occam & Rucelinus *qvidam Univerfalia mera effe nomina, non res, contrà Scotiftas defenderent.* *zz)* Trithem. catal. fcript. Ecclef. p. 68. *ab)* Bellarm. de fcript. Ecclef. p. 207.

bonarum artium & disciplinarum studium anno circiter 1040. excitasse scribitur *bb*). Jam enim inde à Boethii temporibus per annos amplius qvingentos in occidentalibus provinciis spissa imperitiæ caligo regnabat, barbararum (ut tùm erant tempora) nationum irruptionibus inducta *cb*). Qvæ calamitas id tamen boni habuit, qvod ab anno octingentesimo ad millesimum usqve & qvadragesimum hæreses, diuturno qvasi interregno consopitæ, nullæ memorantur penitus *db*). Turbari cœptum est iterum à Berengario hæretico *eb*), qvi sanctissimi corporis præsentiam in benedicto pane negabat. Repressit eum qvidem Lanfrancus, sed ita, ut dum Scyllam evitat, in Charybdim incideret, & Ecclesiæ naviculam in alterum impelleret extremum Transsubstantiationis *fb*); dignus interim habitus nonnullis, à qvo primam Scholasticorum ætatem inchoarent *gb*). Non debuit indignari Philosophia, si ad exemplum Theologiæ suos & ipsa hæreticos hâc tempesta-

te

bb) Joan. de Launoy de variâ Arist. fort. p. 79. *cb*) vid. Francisc. Patric. discuss. Peripat. Tom. I. lib. X. f. 144. Conring. de Antiq. Acad. p. 61. 80. 91. 92. *db*) Gvalter. Chron. Chron. Eccles. lib. II. p. 283. Alsted. thes. Chronol. p. 406. Atqve hinc in Chronologiâ Bellarmini à p. 79. usqve ad 95. ingens est Hæsiarcharum hiatus. *eb*) de qvo Gvalter. d. l. *fb*) Magdeburg. Cent. XI. f. 610. *gb*) Alsted. Tom. I. Encyclop. f. 105. & Tom. IV. f. 39. 40. & Chronol. p. 453. Conf. Georg. Horn. lib. VI. Hist. Phil. c. 2. p. 297.

te acciperet Nominales, Rucelino patre progenitos. Nam & Dialecticæ inprimis ſtudia refloreſcere incipiebant: ſolent autem plerumqve cum frugibus bonis etiam progerminare zizania. Qvare nec mirabimur, his ipſis temporibus exortum eſſe Rucelinum, qvi ſe novi in Dialecticâ dogmatis inventorem jactaret. Veruntamen auſus hoc eſt ſucceſſu parum proſpero. Qvia enim nihil eſſe, qvàm flatum vocis, univerſalia docuit, abhorrente nimiam abſurditatem ſeculo ſpretus eſt, ſecumqve propemodùm intermori hoc dogma vidit. Et eſt in eum hoc epigramma *bb)* conditum:

Qvas, Ruceline, doces, non vult Dialectica voces,
Jamq́; dolens de ſe non vult in vocibus eſſe.
Res amat, in rebus cunctis vult eſſe diebus.
Voce retractetur ib), res ſit qvod voce docetur.
Plorat Ariſtoteles, rugas ducendo kb) ſeniles,
Res ſibi ſubtractas per voces intitulatas.
Porphyriusq́; gemit, qvia res ſibi lector ademit.

Qvi

bb) qvod leges apud Aventinum f. 498. E qvo & repetunt Magdeb. Cent. XII. f. 1631. Cauſſin. de Eloq. p. 171. Alſted. Tom. I. Encyclop. f. 105. *ib)* Legendum fortasſe: *Vox re tractetur*, aut duobus verbis: *Vox retractetur*. *kb)* Sic lego, pro: *rugas docendo*, qvod eſt apud Aventinum. Pro qvo *nugas docendo* leges apud Magdeburgenſes, *nugas dicendo* apud Cauſſinum, *nugas tradendo* apud Alſtedium.

Qvi res abrodit, Ruceline Boëthius odit.
Non argumentis nulloq; sophismate sentis
Res existentes in vocibus esse manentes.

Ruentem Præceptoris causam discipulus sustinuit Petrus Abelardus, proqve flatu vocis substituens conceptûs significatos, tanqvam novo tibicine subjecto, fulcire ipsam non infeliciter visus est. Magno vir hic & subtili fuit ingenio, ita ut

Gallorum Socrates, Plato maximus Hesperiarum,
Noster Aristoteles, Logicis qvicunqve fuerunt
Aut par aut melior,

in epitaphio suo perhibeatur *lb)*. Neqve tamen perfecit, ut Nominalium secta suprà Reales caput extolleret; sive prævalescente Realium numero, sive qvòd odium hæreticæ pravitatis, cui se in rebus ad Christianam fidem pertinentibus obnoxium fecerat, in hanc etiam causam philosophicam incumberet. Qvanqvam enim agnitis erroribus resipuisse, sanctæqve vitæ memorabili, & ipsius Baronii *mb)* voce deprædicato exemplo qvas habuit maculas eluisse fertur: conseqvi tamen haud potuit, ut in Catalogis hæreticorum *nb)* nomen suum ad in-

lb) de qvo suprà lit. r. *mb)* Tom. XII. Annal. Eccles. f. 302. sub A. 1140. n. 10. *nb)* Petrum Abailardum Catalogis hæreticorum suis inserunt sub lit. P. Bernardus Lu-

infamiam non prostaret. Eqvidem est in ipso Pontificiorum grege, qvi indignetur *ob)* hæresiarcham eum vocari à qvibusdam, cùm Synodis Ecclesiæ acqvieverit, & apud Cluniacenses in pace & vitæ sanctimoniâ migraverit; qvin & Franciscus Amboesius opera ejus post situm & oblivionem aliqvot seculorum è latebris in lucem reduxit, nec dubitavit incusare Bernhardum, qvasi qvi invidiæ iræqve stimulis concitatus acerbior, qvàm oporteret, Abelardo fuerit: Veruntamen hunc vicissim graviter increpat novissimus operum Bernhardi editor Jacobus Merlonus Horstius *pb)*. Sed hæc disceptari à nobis aut decidi necesse non est. Redeamus ergò in viam. Post Abelardum qvisqvamne Nominalium dogma Parisiis (in hâc enim Academiarum primogenitâ, qvæ hactenus recitavimus, gesta sunt,) propagaverit, non habeo dicere. Id qvidem è Johanne Filesaco *qb)* Parisiensi Theologo accepi, Abelardo discipulum Petrum fuisse Lombardum. Is vulgò Magister sententiarum appellatur, perindeqve Scholasticorum habetur pater, ut Canonistarum, qvi per eadem tempora floruit, Gratianus.

zenburgus, Gabriel Prateolus (ap. Gvalter. l. II. Chron. Chron. Ecclef. p. 681. Theodorus Petreus p. 170. alii. *ob)* facit hoc Joannes de Launoy p. 30. de variâ Arist. fort. *pb)* Annot. in Tom. I. Oper. Bernhardi f. 37. qvanqvam ibi nomen Amboesii non exprimit. *qb)* in orig. Statut. Fac. Theol. Paris. qvæ adjicitur libro I. selectorum ejus, p. 357.

nus. Sed theologicis commentationibus laudem inter ſuos adeptus eſt hic Lombardus, philoſophicis neſcio an unqvam qværſiverit. Eundem Fileſacus ait demptis nævis ex theologicis tractatibus præceptoris ſui Abelardi mutuatum eſſe non pauca. Et hoc reſpexiſſe puto Trithemium *rb)*, cùm à tempore Petri Abelardi inutili curioſitate ſecularis philoſophiæ ſacram theologiam fœdatam eſſe ſcribit. Sed fortaſſe non ſatis cavit omnes nævos Magiſtri ſui diſcipulus. Refert Bellarminus *sb)*, non defuiſſe, qvi Lombardum ad Alexandrum tertium Pontificem hæreſeos nomine detulerint, qvòd docuiſſet, Chriſtum, ut hominem, non eſſe aliqvid. Aut vehementer ego fallor, aut prodiit hic floſculus ex horto magiſtri Nominalis, qvi videlicet hominem & cætera qvæ habentur univerſalia, pro non re, ſed nomine habuerit. Hæc ita Nominalium fuit ſeculo duodecimo (eo qvippe Abelardus & Magiſter ſententiarum floruére) fortuna. Inclinante hoc ſeculo vixit Joannes Saresberienſis, qvi & ipſe non Realium modò qvorundam, ut Alberici, qvem Nominalis ſectæ acerrimum impugnatorem vocat, ſed & priùs Petri Abelardi, qvem in monte Genoveſæ docuiſſe narrat, diſcipulum ſe profitetur *tb)*, Realibus tamen addictior. Vereor autem magnoperè, ne Nominalium philoſophia ante

rb) Catal. ſcript. Eccleſ. p. 74. *sb)* de ſcriptor. Eccleſ. p. 235. 236. *tb)* lib. II. metalog. c. 10. p. 84.

ante initium seqventis seculi exspiraverit: nisi qvis forte verba qvædam Jacobi de Vitriaco (seu Victriaceni) Cardinalis (vixit is ineunte tertio decimo) de Nominalibus qvoqve exaudienda putet, qvibus ævo suo corruptum Parisiensis civitatis statum perfricat. Leguntur ea capite septimo historiæ occidentalis: *Ut de Logicis taceamus*, inqvit, *circà qvorum oculos Ægypti cyniphes volitabant, ita ut non posset intelligi disertitudo lingvæ eorum, in qvâ, ut dicit Isaias, nulla est intelligentia.* Clariores paulò in hanc rem apud Wolfium in memorabilibus *ub*) sunt versiculi Ganfredi *vvb*), qvi sub Innocentio tertió anno suprà millesimum undeducentesimo vixit. Leguntur hi in carmine ejus admodùm prolixo de statu Curiæ Romanæ:

Alter adest, qværens, universalia qvare
Septem sint numero, si trahis inde duo?
Sint in corporeis ea subsistentia rebus?
An mentis ratio separet illa procul?

Utcunqve hæc se habeant, è discipulis sanè Abelardi, qvorum qvidem explorata habemus nomina, (hi sunt Gvido de Castello, Arnoldus de Brixiâ, Berengarius Pictaviensis, Ganfredus Antisidorensis, Petrus Lombardus, Joannes Saresberiensis) nominare neminem possumus, à qvo post eum Nominalium scholam con-

ub) Tom. I. f. 420. *vvb*) hic aliàs vocatur *Galfredus Vinesalf* vel de *Vino salvo*, ut intelliges è Pitheo de illustr. Angliæ script. p. 261. 262.

continuatam fuisse constet nobis. Seculum decimum tertium ignota hactenus orbi nomina Dominicanorum & Franciscanorum in theatrum produxit *xb*). Qvæ duæ familiæ, cætera discordes satis, in eo aluerunt concordiam, qvòd qvasi conjunctis viribus, diverso licet armorum genere, reliqvias Nominalium, (si qvæ fuerunt modò,) oppresserunt, sectæqve ipsi attulerunt interitum. Id qvod jam hoc seculo Albertus Magnus, & hujus propago Thomas Aqvinas, paulò pòst Joannes Scotus, Franciscani hic, illi Dominicani gregis Magistri præ cæteris famosi, novarumqve omnes in philosophiâ familiarum conditores præstitére. Itaqve non minùs Thomistas, qvàm Scotistas in Realium censu haberi videas passim: tametsi posteà, qvoniam in hoc argumento ipsi non cum Nominalibus modò, sed & secum pugnabant, ut distingvi possent vocabulis, *Formalium* nomen adsciverunt sibi Scotistæ, *Realium* appellationem reliqverunt Thomistis. Sed hæc nimirum ad inseqventem ætatem pertinent seculi decimi qvarti. Qvo Wilhelmus Occamus, dum omnia Præceptoris Scoti placita impugnat, qvicqvid in eo realis qvoqve sententiæ deprehenderat, novis machinis & inusitatâ ingenii subtilitate subruere cœpit, jamqve radicitùs, ut videbatur, exstirpatam Nominalium doctrinam sic excitavit derepente, educavitqve

xb) Calixt. apparat. p. 136.

vitqve denuo, ut ab suis *Venerabilis Inceptor* appellari meruerit *yb)*. Hic est ille Occamus, qvem Julius Cæsar Scaliger, etsi aliàs cogi se scribit *zb*), ut Nominalium ingenia admiretur atqve etiam laudet, ut acuta, fugiat, ut nimis acuta, tamen indignatur *ac)* à Cardano, subtilium ingeniorum delectum habente, omissum esse, *cujus ingenium* (his enim verbis Occamum laudat,) *ingenia omnia vetera subverterit, nova ad invictas insanias ob incomprehensibiles subtilitates fabricaverit atqve conformaverit*. Enimverò ad res tàm ab omni sensu abhorrentes aliis persvadendas opus ingenio fuit, nec eo vulgari, sed qvod igneâ vi densissimos obturbantium nodos perrumperet atqve dissolveret. Itaqve sic existimo, patronos fuisse Nominales perabsurdæ qvidem in speciem sententiæ, sed qvi fidelitate patrocinii, inventionumqve portentoso acumine multorum in se studia facilè converterent. Nam & Basilius (qvi & Wesselus appellari solet,) Groningensis, qvem sua ætas mundi lucem vocavit, à Realibus ad Formales, ab his ad Nominales deniqve descivit *bc)*. Sed ad Occamum redeo. Is videtur Germaniæ nostræ Nominalem doctrinam primus intulisse, cùm aliàs jam inde ab ævo Ottonis Frisingensis

S non

yb) Aventin. f. 497. 498. *zb*) de Subtil. exerc. LXV. n. 4. p. 236. *ac*) ibid. Exerc. CCCXXIV. p. 982. *bc*) Vide ipsius epistolam ad Jac. Hoeck. p. 877. oper. edit. Amstelod. A. 1617.

non aliam temerè qvàm Realem philosophiam sonuisse dixerim. In Germaniâ enim Anglus ille, fidus Imperatori Ludovico Bavaro, cujus adversus Papam stylo causam defendit, diem obiit supremum, Monachii in templo Franciscanorum sepultus *cc)*. Eqvidem & Parisiis Nominalem sectam revixisse constat: verùm ibi cùm pristinâ fortunâ vexaretur, pulsis Marsilio ab Ingen, & Joanne Buridano, discipulis Occami, locum exilii Germaniam nostram elegit, inqve Heidelbergensi & Viennensi Academiâ, illam Marsilio, hanc Buridano plantantibus, consedit *dc)*. Qvin & Erfordiæ, Ingolstadii, Tubingæ, fortasse & Basileæ qvondam Nominales aut primas tenuerunt partes, aut non certè nullas. Autor enim Trithemius *ec)* est, Johannem de Lapide doctrinam eorum Parisiensium, qvi Reales appellantur, primum ad Basileensium Universitatem transtulisse: unde colligas, ante hunc Johannem Nominales ibi dominatos. Sed de cæteris, qvas memoravi, Academiis clariora suppetunt testimonia. Sanè Beatus Lutherus noster Erfordiæ *fc)*, Philippus verò Melanchthon Tubingæ Nominalium, (hos enim Realibus eos prætulisse constat,) præceptis imbuti sunt.

cc) Aventin. f. 497. *dc)* Idem lib. VII. f. 639. *ec)* Catal. script. Eccles. p. 162: *fc)* Phil. Mel. in vitâ Lutheri (Tom. IV. declam. p. 502. 503. ed. Argent. A. 1560.) *Diu multumq; legit scripta Occam: hujus acumen anteferebat Thomæ & Scoto. — Hoc acerrimum studium inchoavit Erphordiæ.*

sunt. Sed hodiè ubi inveniemus Nominales? Nuspiam, opinor, locorum ita qvidem, ut separatum ab aliis familiis cœtum ducant. Nam aliàs non ignoro, Jesuitas pro suâ in rebus philosophicis sentiendi libertate modò Thomæ, modò Scoto, modò Nominalibus adhærere. Neqve verò omnes Nominalium sententiæ hujusmodi sunt, ut earum etiam nostros pœniteat. Atqve hæc qvidem, Spectatissimi Auditores, de Nominalibus qvæ dicerem, in præsentiarum habui. Superest, id ut exeqvar, cujus præcipuè gratiâ hunc editiorem locum conscendi.

ORATIO XIII.

De Ideis Platonicis exemplaribus:

Habita A. 1659. d. 9. Aprilis

In renunciatione XVI. Baccalaureorum Philosophiæ.

Superiore anno, *Spectabilis Domine Prodecane, &c.* cùm in publicâ Magistrorum Philosophiæ renunciatione dicendi partes aliqvæ essent meæ, de Sectâ Nominalium Philosophorum verba feci ex hâc cathedrâ. Qvæ qvoniam à Scholis cæterorum secessionem fecit maximè in doctrinâ de Universalibus naturis, obiter qvoqve veterum Græcorum eo in argumento dissensiones tetigi: aliter enim hâc de re à Platone, aliter ab Aristotele, deniqve aliter à Stoi-

cis olim est disputatum. Sed eo tempore veteres illas opiniones numeravi potiùs, qvàm exposui, qvòd ultra propositum mihi limitem evagari longiùs minimè decens videretur. Nunc cùm in hoc publico consessu vestro, ubi ornatissimis Juvenibus sedecim conferenda erunt prima eruditionis præmia, nova se mihi ad dicendum offerat occasio, licentiùs paulò in Platonicam Philosophiam, (de omnibus enim priscorum sectis copiosè exponere si qvis velit, ei ne modus oratiunculæ excedendus sit, vereor,) exspatiari propositum est. Ideas Platonicas multi habent in ore: qvid eæ sint, qvibus è fontibus derivatas Plato in omne propemodùm doctrinæ suæ latifundium diduxerit, qvousqve ab iis vel Aristoteles dissenserit, vel religionis gratiâ dissentiendum sit nobis, fortasse non æqvè multis expeditum est. Ego qvidem certè, qvod de hoc argumento dicturum me pollicitus sum, id à Vobis, Auditores honoratissimi, nolim sic accipi, qvasi qvi confiderem id edocere posse, cujus notitiam accuratam magnæ eruditorum parti jam detraxi. Fatendum enim, ætatem nostram nullâ eruditionis parte minus instructam esse, qvàm eâ, qvæ accuratam veterum dogmatum philosophicorum & nullibi hiantem memoriam conservet. Qvare & curiosissimus scientiarum explorator Franciscus Verulamius *a*) historiam literarum non dubitavit inter

a) lib. II. de augm. scient. c. 4. p. 123.

inter desiderata referre. Accedit, qvòd jam ab aliqvot seculis Academiæ nostræ, securæ Platonis, in unicum propè Aristotelem operas elocant suas: & ipse Plato, sive qvòd dissimulandæ opinionis Socraticum morem servat passim, sive qvòd multâ sermonis improprietate involutam atqve obtectam docendi rationem à magistris pythagoreis accepit, sic plenus est caliginis, ut in ejus scriptis ipsi, qvos habet sectatores, sæpe tanqvam in tenebris inter se digladientur. Neqve tamen hæc me difficultas absterruit à proposito, cui in hoc declamandi genere non qværenda sit gloria, sed eorum, qvi audiunt, satietati occurrendum. Solemus autem ea, qvæ minùs aliorum sermonibus detrita jam sunt, etiam ab indiserto, nec rei gestæ satis perito nuncio, ut cantilenam non vulgarem vel à fidicine non optimo, libenter audire. Qvamobrem, Auditores humanissimi, ut de Ideis Platonicis disserenti mihi per breve temporis spacium vacivas aurium ædes commodetis, qvamq; à me in argumento tàm tenebricoso *b*) fiduciam capere non possum, eam vestrâ benevolentiâ excitetis, majorem in modum contendo.

Ideæ Platoni corruptibilium naturarum æternæ qvædam sunt, & nulli mutationi expositæ imagines, qvarum intuitu & DEUS in creandis

b) qvàm obscura sit qvæstio de Ideis, vide Muretum qvoqve fatentem ad Nicom. p. 76. 77.

corporum, qvas videmus, propagandisqve speciebus usus sit olim, utaturqve etiamnum, & homini, si perfectam sibi earum notitiam comparare velit, omninò sit utendum. Duabus enim præcipuè de causis ideas existimavit esse necessarias, tùm ut DEO ad agendum, tùm ut nobis inservirent ad intelligendum. Qvapropter tota mihi *Idearum* historia commodè videtur in duas secari partes sic posse, ut eas in priore cum Deo, in posteriore nobiscum comparemus. Imò ipsarum idearum duo genera constitui ratio postulat, qvorum alterum, ut brevitati consulamus, *divinas* in posterum, si Vos, Auditores, annuetis, alterum *humanas* appellabo: vel *exemplares* illas, has *scientificas* cognominabo. *Divinas* & *exemplares*, qvæ Deo ut artifici præstò sint ad effingendum opus; *humanas* & *scientificas*, qvibus Plato negabat carere nos posse ad operis hujus accuratam & homine dignam contemplationem. Addere poteram & tertium genus, *Ideas Angelicas:* sed qvoniam Plato nihil aliud hominem esse arbitratur, qvàm genium aliqvem, seu, ut nos vocamus, angelum corporeæ moli, non tanqvam parti substantiæ, sed velut carceri aut sepulchro devinctum: duobus istis, præsertim hoc loco, ubi ad laudem subtilitatis non adspiramus, possumus opinor esse in præsentiarum contenti. Fuerunt diversis temporibus, qvi existimarent, cum Platone discipulum ejus Aristotelem ut in cæteris

philo-

philoſophiæ placitis,ſic in hâc qvoqve idearum doctrinâ neutiqvam diffidere: nam qvòd eas vellicat paſſim Ariſtoteles & impugnat, aut planè ad Platonem non pertinere, ſed ad Scholæ Platonicæ ſucceſſores, qvi rectè à magiſtro disputata inſulſis interpretationibus corrumperent; aut certè ad phraſin ejus ſolummodò caſtigandam, qvæ nimium traheret poeticæ grandiloqventiæ, non item ad ſubvertenda animi ſenſa. Sunt hæc, fateor, hunc in modum à qvibusdam haud vulgaris doctrinæ viris diſputata: ſed ſi, qvàm diverſam uterqve philoſophandi ſemitam inſtiterit, reputamus, ſi, qvantoperè in ipſis rerum naturalium diſcrepent principiis, expendimus, vereor valdè, ne fruſtrà initum ſit conſilium eorum decreta conglutinandi. Philoſophia Platonis à Deo incipit, in naturâ deſinit; Ariſtoteles contrà à naturâ provehitur ad Deum, ac fortaſſe infrà Deum etiam ſubſiſtit. Plato ab intellectu deſcendit ad ſenſum; contrariâ viâ Ariſtoteles à ſenſu ad intellectum aſcendit. Plato de rebus humanis more divino; Ariſtoteles de divinis humano more loqvi conatus eſt. Plato de rebus divinis magnificè & confidenter, de humanis contemptim; Ariſtoteles parcè de divinis & meticulosè, de naturalibus & humanis ampliter diſſeruit. Plato Deum naturæ; Ariſtoteles naturam Dei menſuram eſſe voluit. Ab initiis tàm oppoſitis progreſſi qvid miramur ſi adverſis frontibus incur-

runt in se, alterqve alterum erroris insimulat? Videamus eorum principia. Tria ponit uterqve rerum naturalium. Possumus sperare concordiam. Uterqve materiam in his nominat. Euge! nihil hîc est dissidii. Porrò Plato Ideam addit, Aristoteles formam. Plurimùm sanè inter hæc duo, licet utcunqve affinia sibi, interest; sed age, fingamus & hîc idem eos sentire. Tertium utriqve superest, Platoni Deus, Aristoteli privatio. Qvis tàm absurdus erit, ut eos hîc idem dicere existimet? Non ignoro, responderi posse, de internis tantùm principiis solicitum fuisse Aristotelem, Platoni, ut externorum qvoqve fieret mentio, placuisse, atqve adeò non exæqvanda esse horum invicem principia. Qvod sanè verum est. Sed externi principii planè fuisse immemorem hoc loco Aristotelem, cujus tamen efficaciam longè fuisse maximam constat, id verò dissidii suspicionem parit non levem. At, inqvies, alibi primum rerum omnium motorem fassus est Aristoteles Deum. Scio. Uterqve Deum & Materiam duo posuit æterna principia. Assentior. Sed Aristoteles Mundi qvoqve æternam esse fabricam voluit, cùm naturæ qvâdam necessitate operosum fuisse Deum existimaret; Plato contrà, qvòd persvasum haberet, solius voluntatis libito Deum hanc machinam architectatum fuisse, mundi aliqvem in tempore ortum confessus est. Solum hoc dissidium tantum ego esse opinor, ut inter

hos

hos Ethnicæ philoſophiæ principes in cæteris parum poſſit cohærere vinculum amicitiæ. Vos ipſi, Auditores optimi, conſiderate, an Ideas Deo neceſſarias putaverit Ariſtoteles, ſi ipſum aliter agere non poſſe exiſtimavit *c*)? De humanis ideis apertior eſt pugna. Eas Plato animabus noſtris primo ſtatim nativitatis puncto inſitas eſſe credidit; qvòd verò agnoſci à nobis non poſſint, inde fieri, qvia corporis contagione, qvæ librum hunc noſtræ mentis qvaſi cœno immerſerit, obliteratæ ſint & maculis plenæ. Alia omnia docuiſſe Ariſtotelem, dum intellectum noſtrum tabulæ nudæ, cui nihil unqvam fuerit inſcriptum, ſimilem facit, nemo habet ambiguum. Hæc ideò commemorare viſum eſt, ne in eruendâ Platonis ſententiâ ſic verſemur, ut eam extundamus ejusmodi, qvæ ad Ariſtotelicam doctrinam qvàm proximè accedat. In alia nobis omnia eſt abeundum, conſulendiqve vetuſtiores philoſophi, à qvibus, anteqvàm philoſophari Ariſtoteles inciperet, idearum perſvaſione imbutus eſt Plato. Qvem qvòd inventorem idearum vocare ſole-

c) Vicomerc. lib. II. de princ. c. 13. p. 240. *Qvi mundum æternum & nullo unqvam tempore procreatum ſtatuit, nullam idearum, ſeu exemplaris cauſæ, ad cujus ſimilitudinem res fiant, neceſſitatem habet.* Nunneſ. orat. de obſcur. Ariſt. p. 46. 47. *Illud etiam vulgo perſvaſum eſt, ab Ariſtotele collocari Ideas in Deo O. M. qva ſententia Platonis eſt, & æternitati mundi, qvam ſeqvitur Ariſtoteles, è diametro repugnat.*

mus, nemo sic interpretetur, qvasi ante Platonem vel hæc doctrina, vel id vocabuli inauditum fuerit: sed ideò id fieri qvisqve sciat, qvia primus Plato hâc voce ut magis poeticâ delectatus, eam ad illas exemplares causas & illustres in humanâ mente notiones transtulit, & hanc doctrinam ab Jonicâ sectâ, ut mox dicemus, propè in exilium pulsam restituit Græciæ suæ, speciosisqve expolivit modis. *Idea* vox græca est, nec dubium qvin à spectando flexa exemplum tale propriè significet, qvod intueri solent, qvibus exemplo similem imaginem effingere decretum est: qvemadmodùm viva facies hominis, cujus simulacrum in linteo delineat pictor, illi est pro ideâ. Neqve aliud est *idos*, nisi qvòd ideæ vocabulum Poetis est familiarius. Eqvidem distincta sunt hæc apud Senecam, cui *idea* exemplar est, *idos* forma ab exemplari sumpta & operi imposita, sic ut *ideam* artifex imitetur, *idos* faciat. *Habet*, inqvit *d*), *aliqvam faciem statua, hæc est idos; habet aliqvam faciem exemplar ipsum, qvod intuens opifex statuam figuravit, hæc idea est. Etiamnum aliam desideras distinctionem? Idos in opere est, idea extra opus: nec tantùm extrà opus, sed ante opus.* Verùm hanc Senecæ distinctionem non ubiqve observatam videas: eam certè negligit Aristoteles noster, qvi Platonis ἰδέας & εἴδη passim pro

d) Epist. 58. (al. 59.) Part. II. oper. p. 383. ed. Amstel. A. 1619.

pro eodem habet *e)*. Ad ipsam rem qvod attinet, idearum doctrinâ ante Platonem Pythagoræ fuit, ante Pythagoram Aglaophemi, ante hunc Orphei, ante Orpheum Ægyptiorum, ante Ægyptios Chaldæorum *f)*; breviter, eorum omnium, qvicunqve mundum aliqvem archetypum seu intelligibilem, cujus ad figuram sensibilis hic noster à creatore expressus fuerit, agnoverunt. Sed qvod alii *iyngas*, Pythagorei *numeros* vocavere, id Platoni tandem *ideas* appellare libuit. Cicero nunc *formas* interpretatur, nunc *species*. Cùm autem certum sit, in Italiam, ut Pythagoreos audiret, profectum fuisse Platonem *g)*, (ac Tarenti qvidem Architam & Eurytum, Locris Timæum, Crotone Philolaum habuisse præceptores *h)* fertur:) ab his præcipuè ideas eam didicisse consentaneum est; qvanqvam si sacerdotes qvoqve, ut volunt, Ægyptios adivit *i)*, ab his etiam in hâc doctrinâ proficere potuit. Nam qvòd Justinus Martyr & Clemens Alexandrinus è lectione librorum Mosis hanc Platoni notitiam advenisse credunt *k)*, amori potiùs, qvo hi Patres & Platonem & ideas ejus prosecuti sunt, qvàm verita-

e) Muret. ad Nicom. p.88. 89. *f)* Vid. Franc. Patric. Discuss. Perip. Tom. III. lib. 5. f. 325. Mut. Pans. de consens. ethn. & Christ. Philos. pag. 371. Kircher. Oedip. Ægypt. Tom. II. Part. II. class. XII. c. 5. *g)* Laert. de vit. phil. p. 122. ed. lat. Lugd. A. 1546. *h)* Lud. Viv. ad Aug. de Civ. Dei f. 440. *i)* Laert. d. l. *k)* Pansa d. l. p. 426.

veritati tribuendum existimaverim. Longè enim plura Platoni cum Pythagoreis vel Ægyptiis, qvàm cum sanctissimo scriptore conveniunt. Aristotelem nostrum si audire placet, ideas Platonis è mixturâ qvâdam dogmatis Socratici cum Heracliteo natas fuisse dicendum foret *l*). Cratylus, utpote ex Heracliti familiâ philosophus, hæc sensibilia reverâ non esse, sed fieri tantùm, hoc est fluere jugiter ac moveri docebat: cumqve præter ea nihil aliud agnoscere videretur, scientiam, ut qvæ non nisi immutabilium esse potest, planè tollebat omnem. Socrates vicissim cùm studiosissimus esset definitionum, easqve diligenter in rebus ethicis, (nam physicarum perparùm studiosus fuit,) investigaret, facilè admisit universales qvasdam & perpetuas naturas, de qvibus ut definitio, sic scientia haberi posset. Utriqve ergò magistro operam cùm dedisset Plato, visus est Aristoteli è doctrinâ qvidem Cratyli retinuisse, hæc sensibilia fluxa esse & caduca, sed ut salvaret tamen scientiam, è Socratis Scholâ aliud qvoddam rerum genus universale & constans adjunxisse. Verùm qvia fatetur ipse Aristoteles, Platonem à Socrate in hoc discessisse, qvòd naturas universales non implicitas sensibilibus corporibus, sed ab his separatas atqve avulsas statuerit: causa non est fortasse, cur ideas Platonicas Socrati-

l) faciunt huc, qvæ disserit Aristoteles I. metaph. *6.* & XIII. 4. ab initio: item XIII. *9.* prope fin.

craticæ potiùs, qvàm Italicæ Scholæ acceptas feramus. Qvòd si Socratis omninò facienda hîc est mentio, Numenii *m)* judicium magis probem, qvi Platonem ait inter Pythagoram & Socratem qvasi medium fuisse: nam sublimitatem illam Pythagoræ ad majorem humanitatem deduxisse, humile verò illud ac dejectum Socratis ad gravitatem & magnitudinem reduxisse, atqve sic Pythagorâ qvidem populariorem, Socrate verò fuisse graviorem. Qvid qvod Diogenes Laertius *n)* disertè testatur, Platonem in his, qvæ sensibus subjacent, Heracliti partes secutum esse, in illis verò, qvæ ad intelligentiam pertinent, Pythagoræ acqvievisse, in rebus tantùm civilibus Socrati maximè studuisse? Sunt autem procul dubio nec in sensibilium rerum numero ideæ, nec civilium locandæ, sed intelligibilium. Qvid obstat igitur, qvò minus ideas fateamur à Platone deberi Pythagoræ? Nam & Alcimus, ut apud eundem legimus Laertium *o)*, confirmavit, ex Epicharmi libris (fuit autem & hic Pythagorici dogmatis sectator) plurima Platonem transcripsisse, atqve adeò ideas qvoqve inde in suam transtulisse Philosophiam. Prorsus si genium inspicimus Jonicæ Philosophiæ, qvæ à Thalete Milesio inchoata in Socratem usqve se propagavit, vix est, ut inde originales rerum species, ad qvas

Deus

m) de qvo vide Petr. Crinit. lib. XII. de honestâ disc. c. 1. *n)* de vit. philos. p. 123. *o)* ibid.

Deus hunc mundum ſapienter effinxerit, Platonem haurire potuiſſe perſvadeamus nobis. Poſſet etenim, ſi locus pateretur, abundè doceri, Jonicos philoſophos in rerum naturalium contemplatione, tanqvam in Sireniis ſcopulis, ita obhæſiſſe, ut præ hoc ſtudio doctrinam de Deo rebusqve divinis aut frigidè tractarent, aut omitterent planè *p*), ne dicam atheis dogmatibus conſpurcarent. Qvapropter & comparatione vetuſtiſſimorum Græciæ Poetarum, ut Orphei, Homeri, Heſiodi, qvos qvia de Diis multa licet ſub fabularum involucris, (qvemadmodùm & *Idothea* vocabulo ad *ideas* alluſiſſe Homerum putes) locuti ſunt, *Theologos* appellari videmus, Jonici viciſſim ab eo, qvod unicè excoluerunt, ſtudio Phyſicorum nomen ſortiti ſunt. Ex adverſo Italici philoſophi, tametſi naturalium rerum non planè incurioſi fuére, ſublimiorem tamen & ex Ægyptiorum arcanis ad ipſos à Pythagorâ propagatam de rebus divinis

p) Fidem his facient illa Auguſtini lib. VIII. de Civ. Dei c. 2. *Jonici generis princeps fuit Thales Mileſius. — Iſte autem — rerum naturam ſcrutatus — aqvam putavit rerum eſſe principium. — Nihil autem huic operi, qvod mundo conſiderato tàm admirabile inſpicimus, ex divina mente præpoſuit. — Huic ſucceſſit Anaximander — nec ipſe aliqvid divinæ menti in his rerum operibus tribuens. Iſte Anaximenem diſcipulum & ſucceſſorem reliqvit: qvi omnes rerum cauſas infinito aeri dedit: nec deos negavit aut tacuit: non tamen ab ipſis aerem factum, ſed ipſos ex aere ortos credidit. &c.*

vinis philosophiam, (gravissimis qvidem fœdatam superstitionibus,) præcipuè elaboraverunt. Sectam Jonicam primus aliò inclinare cœpit Socrates *q)*. Cùm enim præ nimiâ naturæ admiratione non modò pietatem in Deum frigere cerneret, sed & honestatem morum conculcari atqve proteri, (qvi fructus sublatam ex animis pietatem non potest non seqvi,) neqve tamen haberet, qvomodo physicorum contortas ratiunculas satis refelleret, aut, si qvas refellebat, qvomodo meliora in eorum locum substitueret, (fuit enim hâc parte in convellendo atqve labefactando occupatior, qvàm in adstruendo atqve confirmando:) naturalem philosophiam prorsus negligendam esse svasit, omnesqve cogitationes suas, omnem industriam, omne studium in moralem contulit, qvam ideò primus è cœlo qvasi in terras devocâsse dictus est. Verùm discipulus ejus Plato *r)* posteaqvàm è Pythagoreorum theologiâ emendare impietatem Jonicæ scholæ didicit, non modò præceptorem imitatus Socratem civilis sapientiæ magistrum professus est, sed & in rejectum ab eo naturalium rerum studium incubuit diligenter, cum eoqve divinorum speculationes, revocatâ in Græciam qvasi postliminiò Idearum disciplinâ, copulavit, hoc pacto id consecutus, ut primus omnium inter Græcos tripartitæ

q) Conf. Augustin. d. l. cap. seq. *r)* De hoc iterum Augustinum consule d. l. c. 4.

titæ Philosophiæ disjectas partes *s)* conjugâsse diceretur. Secutus eum Aristoteles, exqvisitissimo vir ingenio, sicut haud dubiè facultatis analyticæ adminiculo, qvam primus ille veteribus ignotam constituit, multa in physicis disputavit accuratiùs, non pauca excogitavit feliciùs, omnia ordinatiùs, disposuit: sic nescio an non in eâ parte Philosophiæ, qvæ res divinas attingit, Christianæ Theologiæ propiora penes Platonem reperiamus. Fuit sanè seqventium seculorum de utroqve hæc æstimatio, divina meliùs à Platone, ab Aristotele rectiùs naturalia doceri: qvam ob causam & ille *θεῖος*, hic *δαιμόνιος* cognominatus est. Satis, opinor, Auditores, ex his, qvæ commemoravi, perspicuum fit, cui solo natales suos debeat Idearum dogma Platonicum. Sed undecunqve sit enatum, nunc porrò videamus, ecqvid in eo boni, ecqvid mali delitescat. Bonæ frugis utiqve aliqvantum, sed tamen haud parum pestilentis veneni. Qvod ut certiùs cognoscatur, primùm illud repetendum est animo, nullam (ausim hoc affirmare) inter gentiles philosophantium sectas, (qvæ qvidem Deum esse faterentur, eumqve boni omnis originem esse crederent,) fuisse, qvæ non huic benignissimo rerum fonti aliud ex adverso numen malignum opponeret, ejusdem cum Deo æternitatis, cujusvis mali

s) tres hæ partes appellabantur physica, logica, ethica. Vid. Augustin. lib. XI. de Civ. Dei c. 25.

mali radicem, videlicet Materiam; atqve adeò duo rerum principia prima contraria poneret, boni Deum, mali Materiam. Neqve enim in ſerie entium, ut vocamus, poſitivorum qvicqvam à Deo videbatur ipſis longiore intervallo diſſidere qvàm Materia; prima illa ſcilicet, à formisqve omnibus denudata. Qvam & Chriſtiani philoſophi fatentur in gradibus entium à Deo maximè disjungi, puram qvippe potentiam ab actu puriſſimo. Ut illa verò duo principia introducerent gentilium Magiſtri, duobus eorum erroribus maximè imputandum eſt: uni, qvòd ut boni, ſic & mali crederent aliqvam cauſam eſſe ſuapte vi exiſtentem oportere; alteri, qvòd ne divinâ qvidem potentiâ ſtatuerent ex purè nihilo procreari qvicqvam poſſe. Itaqve ut architecto ligna & lapides, ſic Deo futuri operis materiam, qvam efficere ipſe non poſſet, præſto eſſe oportere ratiocinati ſunt. Si qvis miratur hanc procul dubio peſtilentiſſimam multisqve modis rationi ſanæ adverſam doctrinam tot ſapientibus probare ſe potuiſſe: is cogitet velim, in ipsâ Dei Eccleſiâ extitiſſe non paucos, qvi cùm ſe Chriſtianos eſſent profeſſi, in hunc tamen teterrimum errorem lapſi, vel eum exuere detrectantes, hæreſiarchis adſcribi meruerunt. Nuper adeò ſuperioribus annis qvi inauditam orbi Chriſtiano Præadamitarum fabulam commentus eſt *r*), nonne & hunc erro-

T ris

r) Iſaacus Peyrerius.

ris de malignitate materiæ manifestum deprehenderunt Theologi nostri? Nimirum hoc egit Satanas, ut illo duplicis principii commento extrà fines Ecclesiæ telam ordiretur, qvam in Ecclesiâ cohors ipsi jurata hæreticorum pertexeret. Porrò duobus principiis semel admissis, cùm infinitam specierum varietatem in rerum naturâ deprehenderent gentiles, neqve tamen formatam ex nihilo vellent fateri: tertium duobus addendum fuit. Qvod qvo nomine generali appellem, nondum constitui; *inchoamenta* appellabo interim. Sed cùm certa illis assignanda sedes foret, qvi aliàs consenserant philosophi, dissilierunt in partes, qvibusdam hæc inchoamenta materiæ apponentibus, aliis ea divinæ essentiæ qvendam fœtum pronunciantibus. Qvi ad materiam illa referrent, σπερματικοὺς λόγους & *seminalia principia*; qvi ad Deum, *ideas* & aliis qvibusdam nominibus, qvæ suprà exposui, vocaverunt. A seminali principio qvantum illa materiæ primæ apud Aristotelem potentia recedat, è qvâ ille corruptibiles omnes formas educi asserit, aliis expendendum relinqvo. Hoc qvidem certum est, πανσπερμίαν Anaxagoræ, (latinè *omniseminium* vertas,) qvi qvartus à Thalete scholam Jonicam propagavit, omniaqve in omnibus esse docuit, ortam inde fuisse. Nec dubitem hanc sententiam ionicè philosophantibus communem fuisse: nam Pythagorei Doctores illam alteram de numeris

vel

vel ideis penes Deum hærentibus, ab eoqve fluentibus secuti sunt. Habet verò hæc de ideis Deo affixis majorem speciem veri, qvippe qvæ divino honori longè meliùs consulit, qvàm altera de rerum in materiâ seminiis. Tantum enim ab Jonicis Deo detractum est, qvantum ipsi largiebantur Materiæ. Imò cùm in Materiâ rerum omnium delitescentes formas agnoscerent hi philosophi, ipsum etiam Deum legibus ejus subjecerunt, inevitabilis fati vinculis constrictum, suâqve providentiâ exutum. Contrà qvi rerum originarias formas qvasi in sinu Dei contineri docuerunt, qvas ille in materiam pro arbitrio effunderet, illis proclive fuit divinæ providentiæ mundum utcunqve subjicere. Aut ego vehementer fallor, aut hæc inter causas præcipua fuit, cur prisci Ecclesiæ Patres longè pluris Platonem fecerint, qvàm, qvi jam ab aliqvot seculorum cursu in Scholis regnat, Aristotelem: non sic regnaturum fortasse, nisi Philosophiam ejus Scholastici tormentis qvibusdam adhibitis concinere fidei Christianæ docuissent etiam invitam. Qvod non in Aristotelis ignominiam dictum velim, (habet enim ille veras laudes alias, qvarum gratiâ meritò cæteris sit Gentilium Philosophis præferendus,) sed qvia, dum veteris historiæ philosophicæ particulam aliqvam excutio, locus hic ejus me rei admonebat, qvam ab ætatis nostræ doctissimis viris observari memineram, nimirum in Principis Peri-

pateticorum placitis enarrandis sæpè vehementer errare Scholasticos. Redeo in viam. Platonis inqvam ideæ longè magis in deliciis fuere vetustis Ecclesiæ Doctoribus, qvàm Aristotelica materiæ primæ potentia. Duos hîc nominabo tantùm *u)*, è Græcis Justinum Martyrem, è Latinis Augustinum. Justinus Martyr *w)* anteqvam ex Ethnico fieret Christianus, Stoico primùm cuidam magistro se dederat, dein Peripatetico, post hunc Pythagoreo, tandem in Platonicâ philosophiâ maximè acqvievit, in qvâ sibi inter cætera contemplationem idearum placuisse ostendit, adjiciens, se intrà breve temporis spacium sibi visum esse factum sapientem, & de conspiciendo statim Deo spem concepisse, qvæ res esset Platonicæ Philosophiæ finis. Neqve verò posteà, cùm se sancto cætui aggregasset, amorem hujus sectæ deposuit, qvin potiùs multis in locis propiùs ad veritatem à Platone accedi ostendit, qvàm ab Aristotele. Augustinus verò in libris de civitate Dei *x)* qvàm in laudes Platonis effusus est! qvàm

u) Duobus his & tertius adjungi poterat, Clemens Alexandrinus. Cujus hypotyposes memorans Photius Bibliothec. f. 286. (ed. græcolat. Rothomag. A. 1653.) hoc ipsi perhibet testimonium: *Etsi rectè in qvibusdam sentire visus est, in aliis rursus impiè fabulosèq; differit. Asserit enim materiam æternam esse, & ideas certis decretis induci fingit.* Conf. Rivet. Critic. sacr. lib. I. c. 10. p. 162. *vv)* vid. Henr. Steph. ad Justini hujus Epist. ad Diognet. p. 83. 84. *x)* Ubi cumprimis vide lib. VIII. c. 4. & seqq.

qvàm eum prope solum regnantem facit, cæteros umbrarum instar volitantes! Sed de ideis præclarus ejus locus est in libro octoginta trium qvæstionum *y)*: *Ideas*, inqvit, *Plato primus appellâsse perhibetur: non tamen, si hoc nomen, anteqvàm ipse institueret, non erat, ideò vel res ipsæ non erant, qvas ideas vocavit, vel à nullo erant intellectæ.—Nam non est verisimile, sapientes aut nullos fuisse ante Platonem, aut istas, qvas Plato, ut dictum est, ideas vocat, qvæcunqve res sint, non intellexisse: siqvidem tanta in eis vis constituitur, ut nisi his intellectis sapiens esse nemo possit.* Qvod his ultimis verbis Augustinus prodit, Stephano qvoqve Theupolo, superioris ævi scriptori, placuisse constat. *Demptis*, inqvit ille *z)*, *Ideis nec de cognitione divinæ mentis, nec de rerum ab eâ dependentiâ, nec de providentiâ rectè sentire valemus, ut Epicuro & Peripateticis contigit.* Fieri autem potest, ut eò libentiùs Ideis faverent Patres, qvòd jam ab Hebræorum sapientibus sacri qvædam codicis dicta de mundo archetypo idearum pleno, exposita esse viderent: ut illud Genes. 1. *a)* *Vidit Deus lucem, qvòd esset bona.* Ad qvæ verba in commentariis Rabbinorum hæc leguntur *b)*: *Ecce sapientes omnes*

T 3 *uno*

y) Qvæst. 46. Tom. IV. Oper. f. 548. ed. Basil. A. 1569. *z)* libr. III. Academ. contempl. (qvi totus est de Ideis) cap. 10. p. 108. 109. ubi in præcedentibus c. 2. p. 84. Augustini qvoqve verba è Qv. 46. citaverat. *a)* v. 4. *b)* Vid. Voisin. lib. II. Theol. Judæorum c. 6. p. 231. 232.

uno consensu docent, ejusmodi lucem non esse lucem sensibilem, sed per eam designari lucem spiritualem, id est, mundum intelligentiarum separatarum, qvas intellectus humanus capere non potest, ait R. Juda, Filius R. Simeonis. Neqve verò creatæ sunt, nisi ad prædicandam tantùm Dei magnificentiam, & ad hymnos decantandos in conspectu ejus. Tùm R. Abin Levita dixit, hanc lucem antecessisse in ratione causæ reliqvis qvæ creata sunt, tanqvam instrumentum opificii Dei: qvomodo dicit Philosophus, Deum respexisse mundum intelligentiarum separatarum, & per eas produxisse ea, qvæ sunt. Illud qvoqve secundo capite Geneseosc), ubi *omne virgultum agri creatum* dicitur, *antequam esset in terris, & omnis herba, anteqvam oriretur*, Philo Judæus exponit de Ideis rerum creatarum *d*). Statuit enim, Deum, cùm vellet condere mundum, excogitasse priùs mundum qvendam intelligibilem, à qvo posteà velut ab exemplari res sensibiles deduxerit. Imo de hoc ipso intelligibili mundo idem Philo *e*) istud qvoqve interpretatur, qvod in frontispicio Geneseos *f*) scriptum est: *In principio creavit DEUS cœlum & terram.* A qvâ interpretatione S. Basilium & alios nostrorum non abhorruisse, Sixtus Senensis in Bibliothecâ sanctâ

c) v. 5. *d*) Vid. Lütkeman. de hom. p. 168. Conf. Bodin. Theatr. Natur. p. 630. *e*) teste Eusebio lib. XI. de præp. Evang. c. 12. p. 272. ed. Hagan. A. 1522. *f*) c. 1. v. 1.

ctâ *g)* docere nos poteſt. Neqve deſunt, qvi ad mundum intelligibilem trahant *h)*, qvod Eccleſiaſtici primo capite *i)* ſcriptum eſt, *priorem omnium creatam eſſe ſapientiam*. His Veteris Teſtamenti locis adjuncti ſunt poſteà à Doctoribus Eccleſiæ alii etiam è Novo, qvi ad Ideas divinas accommodari poſſe viderentur: ut ille Johannis primo *k)*, aliter tamen, qvàm in noſtris Bibliis interpunctus: *Qvod factum eſt, in ipſo vita erat l)*. Alter item ad Hebræos undecimo capite *m)*: *Fide intelligimus, aptata eſſe ſecula verbo Dei, ut ex INVISIBILIBUS viſibilia fierent n)*. Satisne appoſitè hæc omnia ad illas in mente divinâ rerum creandarum notitias referantur, meum non eſt judicare, qvi id tantùm hîc ago, ut oſtendam, qvid factum fuerit; rectè an ſecus facti judicium iis relinqvo, qvibus interpretandarum ſcripturarum mandata eſt provincia. Hoc interim etiam mihi, credo, profiteri ex hoc loco licebit, orthodoxæ Theologiæ opidò conſentaneum eſſe, ut DEUM ab æterno rerum omnium, qvas creaturus eſſet, anteceptas notiones habuiſſe ſtatuamus. *Qvis enim tàm ſit demens*, inqvit Auguſtinus *o)*, *tàm*

g) Lib. V. Annot. 5. f. 359. *h)* Vid. Lütkeman. de hom. p. 168. 173. *i)* v. 4. *k)* v. 3. 4. *l)* Vid. Lütkem. p. 187. 195. Lipſ. lib. II. Phyſiol. Stoic. diſſ. 3. p. 61. *m)* v. 3. *n)* Vid. Lütkem. de hom. p. 187. Panſa de conſenſu ethn. & Chriſt. philoſ. p. 428. *o)* lib. V. de Geneſi ad literam c. 13, & 15. Tom. III. oper. f. 572. D. & 574. A.

excors, ut Deum, qvæ non noverat, fecisse arbitretur? De his autem DEI notionibus satisne sana fuerit Platonis sententia, vehementer dubito. Non parum suspectam nobis eam reddit Gregorii Nazianzeni admonitio, qvi oratione primâ de Theologiâ *p*) eos, qvi nimiâ disputandi prurigine laborant, ne non habeant, qvod agant, *Platonis ideas, animorumq; nostrorum in alia atqve alia corpora migrationes & circuitiones, ac reminiscentias impetere jubet.* Qvòd licet ab eo in ideas illas scientificas potiùs, qvàm exemplares dictum fuisse verosimile sit: tamen, qvantum pestilitatis in exemplaribus qvoqve Platonis ideis reconditum fuerit, vel inde, Auditores Honoratissimi, æstimare licebit, qvòd Gnosticorum & Valentinianorum Æones (Deus bone qvæ in his portenta fuerunt!) è Platonis Ideis haustos Tertullianus *q*) iis exprobrat): qvi Platonem qvoqve non dubitat hæreticorum appellare condimentarium *r*). Id verò planius ut fiat, animum convertere oportet ad ea primùm, qvæ vera esse certum habemus. Religiosâ fide confitemur, DEUM gloriosum, qvi unus est in essentiâ, trinus in personis, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, creatarum rerum absqve

p) f. 202. ed. Oper. latin. Antverp. A. 1612. *q*) de animâ (fol. 654. Oper. edit. Basil. A. 1562.) Lipsius lib. II. Physiol. Stoic. Diss. 3. p. 61. *Tertullianus — Gnosticos & Valentinianos rejicit, qvi Æones suos, & alia deliria è Platonicis Ideis pravè hauriebant.* *r*) ibid. f. 659.

qve ullâ exceptione omnium, imagines lucidiſſimas ab omni ævo mente complexam eſſe; easqve non extrà ſe poſitas, ſed in ipſo qvaſi omniſcientiæ ſuæ theſauro reconditas; ac tales qvidem, qvæ, utcunqve nobis multæ eſſe videantur, in eo tamen nihil compoſitionis effecerint: qvandoqvidem, uti tritum habet axioma, nihil eſt in DEO, qvod non ſit ipſe DEUS. Hæc nobis, qvi Chriſtiani ſumus, perſvaſa ſunt, qvi ſcimus & ita eſſe Trinum Deum, ut ſimpliciſſima eſſentiæ unitas non violetur, & eundem ex nihilo omnia condidiſſe. Plato an idem crediderit, an potiùs per ideas ſuas mundumqve archetypum ſanos de DEO ſenſûs corruperit, agite, Auditores, inſpiciamus paulisper: non enim longos hîc logos texam, qvi ſentio tempus dicendi propemodùm effluxiſſe mihi. Primùm non poſuit Plato Materiæ Ideam in Deo, qvippe, qvam ne conditam qvidem ab eo, ſed illi coævam arbitraretur. Deinde cùm Materiam crederet eſſe principium, ut vocamus, individuationis in rebus corporeis, cùm item in hoc orbe ſublunari ſolius materiæ neceſſitate, citrà Dei cooperationem, vilia qvædam excreſcere, ut pilos, ut verrucas, ut maculas, ſtatueret: neqve vilium iſtiusmodi rerum, neqve ſingularium ſolo numero differentium ideas Deo conceſſit, atqve adeò in ipſis etiam ſpecialiſſimis ſpeciebus eas ideâ privavit, qvas monadicas vocare ſolemus: qvòd ineptum eſſe arbitrare-

tur, unius solius individui gratiâ peculiarem, ideam fabricari. Porrò ne Angelos qvidem, aut humanas Animas ad idearum exemplar conditas esse putavit, sive qvòd singulos non numero tantùm, sed & specie ab se invicem distare vellet, (qvæ opinio ut & Scholasticis qvibusdam Doctoribus placeret, nescio an non eam ipsam ob causam factum sit, qvòd opinarentur in materiâ qværendum esse fundamentum singularitatis ejus, qvam solius numeri, non etiam speciei esse dicimus,) sive qvòd nollet occupari Deum ullius formæ effingendo archetypo, nisi qvæ materiæ, ut sigillum ceræ, imprimenda esset. Unde ergò, inqvies, secundùm Platonem, efformati sunt Angeli, qvandoqvidem nec materiatos illos posuit, nec illarum ideas concessit? Unde? nisi qvòd ipsos effluvia qvædam ex ipsâ Dei essentiâ esse credidit, digna, qvæ pro minoribus qvibusdam Diis haberentur, Deoqve in creatione rerum administri fuisse putarentur? Qvid autem si eos nihil aliud fuisse Platoni dicamus, qvàm Ideas? Idem profectò Platonicis est Mundus Idealis, & Mundus Intelligentiarum separatarum. E qvô etiam illud effici putes posse, qvòd ipse Plato non crediderit, Ideas intrà divinam mentem existere, sed à DEO pariter, supremo illo scilicet, & rebus sensibilibus esse separatas. Qvod qvidem multi sunt, qvi ab Aristotele per calumniam esse Platoni objectum criminantur: sed fuisse

ſe tamen in vetuſtiſſimis Ægyptiorum, Chaldæorum, Arabum, à qvibus omnis propagata eſt ſuperſtitio, dogmatibus traditionem hujusmodi aliqvam, etiam inde probabile efficias, qvòd Mahomedani qvoqve fingunt cœlum qvoddam, in qvo inter alia animantia Gallus ſit qvidam gallinaceus, pro cantante reliqvi cantent in terrâ *s*). Putavit ergò Plato, Mundum intelligibilem, ſeu officinam exemplarium, nihil eſſe aliud, qvàm cœlum illud Intelligentiis refertum, qvod perinde ut hunc ſenſibilem mundum, unum qvoddam animal eſſe magnum deliravit, utrumqve à Deo ſeparatum certis rationibus ac diſtinctum. Nimirum in Deo ideò metuit Ideas multiformes collocare, qvòd eam multitudinem qvandam præ ſe ferant, DEUS autem undiqvaqve purus & ſimplex ſit, nihil duplex, nihil coagmentatum habens *t*). Et hæc probatiorum ex ipſis Platonicis interpretatio eſt, qvi Mundum iſtum intelligibilem tùm Filium Dei, tùm ſimulacrum ejus æternum appellare ſolent *u*). Hæc qvi obiter tantùm inſpexerunt, Platonica deliria cum Chriſtiano dogmate conciliare volentes, Sacræ Triados My-

s) Hanc de Gallo cœleſti fabulam (de qva & vide Keckerm. III. Syſtem. Phyſ. c.29. p.439. & Bodin. Theat. nat. p.375.) Craſſotius Tom. I. Philoſ. perip. p. 143. probabiliter aſſerit deprompt am videri ex Ideis Platonicis. *t*) Flamin. Nobil. lib. III. de hom. felicit. c. 29. p. 235. *u*) Id. ibid.

Myſterium hîc agnoſcere ſibi viſi ſunt, qvòd apud Platonicos hæc tria reperirent, Deum, Dei filium, Animam mundi viſibilis. Sed ab his opinionum portentis Sacroſanctæ Fidei noſtræ citiùs oborientur tenebræ, qvàm aliqva lux affulgebit. Itaqve par eſt, ut Benigniſſimo Numini toto pectore agamus gratias, qvi nobis vias ſuas revelavit, & ab his gentilis Philoſophiæ fœdiſſimis erroribus nos liberavit. Satis, Auditores Optimi, de *divinis ideis* dictum eſt. Superſunt *humanæ*. Sed eas abdicare jam temporis me cogit anguſtia. Neqve enim ſolus ego audiendus nunc ſum, verùm etiam de præſentibus Optimarum artium ac Philoſophiæ Studioſis, qvos jam conſurrexiſſe videtis, qvidam ſelecti à nobis qvatuor Oratiunculas pro Nationum, qvibus alma hæc Academia ſuperſtructa in hunc usqve diem floret, numero recitabunt.

ORATIO XIV.

De Alexandro Aleſio:

Habita A. 1661. d. 20. Aprilis

In renunciatione XV. Baccalaureorum Philoſophiæ.

Conſtitueram, *ſpectabilis Domine Decane*, &c. cùm intelligerem, afferendam mihi ad Vos ex

ex hâc cathedrâ Orationem esse, anteqvàm renunciandis Baccalaureis solennia peragerentur, ornatissimisqve qvindecim Juvenibus, qvos à nobis in hunc locum deductos videtis, diligentiæ in optimis literis gnaviter collocatæ præmia conferrentur: constitueram ergò de Ideis Platonicis ea nunc disserere, qvæ ante biennium hoc ipso in loco spaciis temporum exclusus omiseram *a*). Verùm ut ab hoc consilio discederem, ea me maximè movit cogitatio, qvòd occasionem commodissimam de alio qvodam minimè pœnitendo, neqve Vobis ingrato, uti reor, argumento disserendi, nescio an aliàs unqvam æqvè aptis auspiciis rediturам, evolare mihi nollem. Ne qvid enim dissimulem, ipsa præsentis temporis ratio dicendi materiam sive ultrò obtulit, sive etiam reluctaturo imperavit. Qvamproximè absumus ab illo die *b*), qvi ex antiqvâ lege novum Academiæ nostræ Rectorem è Natione Saxonicâ daturus est: id enim proximè instantis septimanæ feriâ tertiâ, cui in fastis GEORGII nomen inscriptum legitur, eventurum esse, nemo tàm peregrinus est inter nos, qvi nesciat. Centum ergò ipsi anni tùm futuri sunt, cùm legitimis Electorum suffragiis qvi per semestre æstivum cætui Scholastico præesset, constitutus est vir suo

a) puta de ideis *humanis* seu *scientificis*, qvæ à *divinis* seu *exemplaribus* distingvuntur. Respice ad finem orationis præcedentis. *b*) qvi mensis Aprilis est 23.

ſuo merito inter egregia Lipſiæ noſtræ ornamenta neqvaqvam poſtremo numerandus loco, Alexander Aleſius *c)*, genere Scotus, profeſſione Theologus: qvi qvidem eum ipſum Georgii diem natalem habuit ſuum *d)*. Qvò minus exiſtimavi prætermittendam eſſe mihi de hoc viro aliqvid commemorandi occaſionem adeò exoptabilem, nec redituram facilè, ubi elabi eam è manibus paſſus eſſem ſemel. Vobis autem, Honoratiſſimi Auditores, narrationem meam non ideò tantùm jucundam fore confido, qvòd & eâdem mecum pietate eſſe Vos ſcio, ut benè de literis meritos viros etiam poſt obitum honoratos velitis, & eodem in Academiam noſtram animo, cui vix glorioſius contingere qvicqvam poteſt, qvàm ſplendidorum ejus luminum grata memoria: ſed eò jucundiorem qvoqve, qvòd polliceri de Aleſio ejusmodi videor

c) In Academiæ noſtræ Matriculâ f. 85. hæc leges: *Anno Domini M D LXI. menſe Aprili die Georgii ſecundò creatus eſt Rector Academiæ Lipſienſis Alexander Aleſius D.* *d)* Ipſe Aleſius Matriculæ f. 62. hæc inſcripſit: — *Anno M D LV. — die XXIII. Aprilis, qvi Divo Georgio ſacer eſt, & qvo exiſtimo me natum eſſe, ſupputatis retrò LV. annis, ego Alexander Aleſius, gente Scotus, Patriâ Edinburgenſis, atavis Conſulibus, qvi duobus Regibus, Jacobo Qvinto, & Henrico Octavo, & qvatuor Electoribus, Johanni Friderico, Mauricio & Auguſto, Ducibus Saxoniæ, & Joachimo Electori Brandeburgenſi inſervivi, invitus ſuſcepi officium Rectoris Univerſitatis Scholæ in inclytâ urbe Lipſiâ.* —

deor commentationem poſſe, qvalem variis è documentis congeſtam nemo, qvod ſciam, retulerit hactenus in literas. Nec mentiar, ſi hanc ipſam mihi vel præcipuam cauſam fuiſſe dixero, cur & ſtudiosè conſectarer non ita pridem, qvæcunqve de iſto viro paſſim disjecta indagare poſſem, & eadem nunc Vobiſcum communicanda crederem, qvòd indigna propemodùm ac dolenda nobis res videbatur, aliorum Theologorum ſic ſatis accuratè contextas haberi hiſtorias, hujus, qvi tamen neqvaqvam delituiſſet in angulo, ſcriptisqve doctiſſimis ſeculum ſuum conatus eſſet illuſtrare, neminem eſſe repertum, qvi vitam conſcriberet. Nam qvod ejus elogium Theodorus Beza in Iconibus repræſentavit ſuis *e)*, brevius longè eſt, qvàm ut deſiderio noſtro ſatisfaciat. Itaqve ut me non pœnituit laboris, qvem hoc nomine ſuſcepi, ita Vos ne pœniteat qvæſo, *Decane Spectabilis &c.* qvæ de eo viro, qvem Joachimus Camerarius *f)* Theologicæ rei intelligentiſſimum, & artificem excellentem congruentium diſputationum, & dignitate atqve doctrinâ exqviſitâ præſtantem appellat, conqviſita mihi ſunt, ea me nunc audire de ſcripto recitantem. Id etiam Vos rogo, ne exſpectare à me velitis ullis eloqventiæ coloribus fucatam orationem.

Eqvi-

e) pag. F f. 3. Prodierunt hæ Bezæ *Icones virorum doctrinâ ſimul & pietate illuſtrium* Genevæ A. 1580. *f)* in vitâ Philippi Melanchth. p. 338.

Eqvidem memini, cui me professioni Superiorum adscripserit voluntas: sed Rhetoris personam ut hunc in locum assumerem adeò non putavi necessarium, ut existimarem potiùs, planâ atqve simplici curriculi Alesiani commemoratione tantò plus illi laudis conciliaturum esse me, qvantò ea foret ab omnibus pigmentis remotior.

Sed ut mea principium tandem habeat oratio, fuisse Alexandrum Alesium, si de patriâ qværimus, Scotum, vix est, ut cuiqvam esse ignotum putem. Eâ verò de causâ observavimus eum solâ *Scoti* appellatione, nec prænomine ipsius nec cognomine expresso, designatum fuisse à Philippo Melanchthone non tantùm in epistolis *g*), sed etiam in narratione Conventûs Wormatiensis *h*). Qvâ occasione recordari subit, superiore seculo nullam fuisse hâc in Academiâ Facultatem, qvæ non Professorem habuerit procul extrà Germaniæ fines natum. Nam ut Theologi hunc ipsum Scotum nostrum, sic Jureconsulti Petrum Loriotum Gallum, Medici Simonem Simonium ex Italis, Philosophi Ricardum Crocum Britannum numeraverunt inter suos. Qvod ad Lipsiæ nostræ gloriam vel in primis pertinere, qvæ ex remotissimis etiam regionibus præstantes viros attraxerit, ostendi nunc à me posset, nisi mihi ipse unà cum pha-

g) ad Camerar. p. 428. lin. 1. *h*) Eam narrationem qvære Parte I. Consilior. Phil. Mel. p. 399. 400. 401.

phaleris rhetoricis omnem simul præscindere decrevissem evagandi licentiam. De Alesio enim unicè verba facere institui. Qvem nascentem qvæ Scotiæ urbs exceperit, in hunc diem ignorarem ego, nisi in Academiæ nostræ matriculâ *i*) Edinburgum, qvam totius Regni metropolin esse constat, nominavisset ipse. Qvo è loco & de prosapiâ ejus atqve natali anno ea mihi cognoscere licuit, qvæ frustrà diu alibi qvæsiveram. Natus enim est finientis decimi qvinti à partu Virginis seculi anno ultimo, Aprilis die, qvem jam anteà memoravi, tertio & vigesimo, atavis Consulibus. Plura de progenitoribus ejus dicere non habeo. Nam qvod suspicari aliqvis fortasse possit, ejusdem eum stemmatis fuisse, qvod ante annos amplius qvadringentos progenuit Alexandrum de Ales *k*) Britannum, qvi Thomæ qvondam Aqvinatis & Bonaventuræ præceptor fuit, tantumqve doctrinæ opinione valuit, ut vulgò Doctor irrefragabilis cognominaretur: id ego, qvoniam incertum est valdè, omittendum censeo. Potius enim est ut illud ne prætercam, qvod puero sibi evenisse ipse testatur his verbis *l*): *Memini*, inqvit, *freqventer*, *& qvoties reminiscor*, *toto corpore*

U pore

i) respice suprà ad lit. d. *k*) de qvo vide Joan. Pitseum de illustrib. Angliæ scriptorib. p. 313. seq. qvi *Alexandrum Halensem* seu *de Hales* vocat. *l*) epistol. dedicatoriâ commentariorum suorum in Joannem. Vide & præfationem ejus in alteram ad Timotheum A. 2:

pore cohorresco, me in prærupto altissimi montis, manibus & pedibus reptantem ac proximum præcipitio, subitò translatum nescio à qvo aut qvomodo in alium locum: & aliâ vice ex eminentiori deambulacro ædium patris cadentem in acervum lapidum, poliendorum ad ædificium, servatum esse divinitùs. Non tribuo hanc salutem sententiis ex Joanne, qvas forsan aliorum puerorum more circumferebam, sed fidei parentum, qvi harum sententiam mente circumferebant, & pro me orabant. Enimverò neqve nos dubitamus, servatum eum esse à sanctis Angelis, qvos in puerorum casu sæpiùs admiranda auxilia tulisse testantur historiæ; nec omine caruisse res videtur, qvòd in lapides pro ædificio poliendos delatus est Alesius, qvasi jam tùm admonente fato, poliendum eum esse, qvi fieret utilissimus lapis in domo Dei. Sed habuit ea res suas moras. Tametsi enim in ipsam Evangelii repurgationem, Beatissimi Lutheri ministerio procuratam, adolescentia ejus inciderat: adeò tamen veritati manûs non dedit statim, ut in adversâ potiùs acie pro inveteratis erroribus propugnare non dubitaret. Fatetur ipse *m)*, qvemadmodùm doctrinæ Sententiariorum addictus, (Scholasticæ enim Theologiæ apprimè peritum fuisse scripta ejus loqvuntur,) assertiones Lutheri refutaverit ex Episcopo Roffensi *n)* cum applausu Theologo-

m) exposit. in Psalm. 37. f. 164. *n*) Joh. Fischerus Episcopus Roffensis scripserat adversus Lutherum. Mul-

logorum. Hæc si cui videbuntur ad laudem ejus parum pertinere, is cogitet, etiam illud electum Dei vas Paulum, anteqvam converteretur, fuisse pii cœtûs persecutorem. Nobis verò tantò gratius esse debet hæc cognoscere, qvò magis ea faciunt ad confirmandam Religionis nostræ veritatem, qvæ ab acerrimis etiam hostibus suis victoriam tandem reportaverit. Qvod qvibus momentis in Alesio contigerit, ea, qvæ nunc subjiciam, magis subinde aperient. Paulò enim post ea, qvæ modò recensui, Scotus noster certamini interfuit, qvod regiæ stirpis adolescens Patricius Hammilto, qvi haustam in Academiâ Marpurgensi, recens per id tempus exstructâ, doctrinam veritatis Patriæ suæ inferre cœperat, cum rasâ cohorte sustinuit eo eventu, ut cùm convinci verbo Dei non posset, à Davide Betono, Archiepiscopo Santandreano totiusqve Regni Scotorum Primate, Romanæ bestiæ egregiam iis temporibus operam navante, pro hæretico damnaretur ad rogum: qvod qvidem ab aliis ad 1528. *o)* ab aliis ad eum ipsum annum, qvo Confessio Principum nostrorum Augustæ exhibita est Cæsari *p)*, referri video.

tos illius adversus Lutherum editos esse libros testatur Sleidanus lib. IX. p. 252. *o)* Ludov. Rabus Histor. der Martyr. lib. IV. f. 374. Budæ. Ἀνάλεκτα. pag. 38: Hondorf. Promptuar. p. 64. ed. Latin. Gvolfg. Justus de Academiis p. 45. *p)* Epitome Martyrologii Magni ed. Hanov. p. 228. Beza in Icon. Ff. 1.

Est autem Patricii illius in Martyrologiis nostris nomen percelebre. Cum hoc ergò sanctissimo populari suo collocutus etiam tunc fuit Alesius noster, sperans se effecturum, ut errorem eum (sic tùm credebat,) ille agnosceret. Verùm contrà evenit, ut ipse se potiùs in gravissimis tenebris versari è sermonibus Patricii persentisceret. Itaqve nec dissimulare potuit dolorem in Martyris constantissimi cruciatu, & ex ejus patientiâ meliùs qvàm ex omnibus mutis magistris intellexit, qvid David in Psalmo præcipiat, cùm ait *q) : Confide in Domino, & facito qvod bonum est : acqviesce in Domino, & dabit tibi desideria cordis tui r).* Sed cùm in Alesii pectore ne sic qvidem tantas egisse radices veritas videretur, ut ejus amore dulcissimam patriam relinqvendam sibi statueret, alibi disciturus, qvæ domi non posset, (erat enim Scotia tùm verè σκοτεινὴ, hoc est, densissimâ caligine involuta,) dedit eum Deus in manum Adversarii, cujus sævitiâ pelleretur vel invitus. Is fuit Ecclesiæ Santandreanæ, cujus sub eo, qvem antè nominavi, Archiepiscopo Betono Canonicum agebat Alesius *s)*, tùm temporis Præpositus, homo ferociâ

q) Psalm. 37. v. 3. 4. *r)* Hæc ferè ex Alesio ipso deprompta, expos. in Psalm. 37. f. 164. ubi de Patricii illo agone plura commemorat, digna postea visa Lud. Rabo, qvæ Martyrologio suo germanicè insereret. Etiam in Respons. ad Cochl. p. 9. testatur Alesius, se in Patriâ supplicium Patricii vidisse. *s)* Alesius in Psalm. 37. f. 181.

ferociâ plus qvàm militari toti Collegio intolerabilis. Hujus in noſtrum furor ex hujusmodi causâ exarſit *t)*: Fuit Aleſio anno 1529. juſſu Archiepiſcopi habenda in Synodo Epiſcoporum & Sacerdotum latina oratio. In eâ cùm inter alia mœchos Sacerdotes diſertè inſectatus eſſet, (neqve enim ferre hoc dedecus in ordine ſuo poterat, & hujus argumenti concionem temporibus illis atqve officio congruentem putabat,) id ad ſe privatim pertinere ratus Præpoſitus, qvi adulteria ſua lippis atqve tonſoribus nota de induſtriâ traducta eſſe ſuſpicaretur, ſeqve velut in comœdiâ publico riſui ab Aleſio expoſitum interpretaretur, graviſſimas in eum iras concepit, evomiturus, cùm eſſet opportunum. Accidit fortè, ut de Præpoſiti ſævitiâ totum Collegium qveri conſtitueret apud Regem, (fuit ille Jacobus Qvintus, Caroli Secundi, Magnæ Britanniæ hodiè Regis abavus,) propter multas & graves cauſas. Hoc ubi reſcivit Præpoſitus, venit cum armatis ſatellitibus in illud ipſum ſacratum conclave Capituli. Monet hominem iratum Aleſius, ne qvid per iram deſignet, qvod ſe non deceat. Hic nactus occaſionem jubet eum, cui antè erat ex illâ concione infeſtiſſimus, ab armatis prehendi; ipſe

 ſtringit

t) Hæc & ſeqventia in Reſponſ. Aleſii ad Cochl. p. 4. 5. 6. propè de verbo leges. Breviſſimis hæc exeqvitur Aleſius in Oratione Francofordiæ ad Oderam habita A. 1540. vide Declamationum Phil. Mel. Tom. Philoſoph. p. 672.

ſtringit ferrum, confoſſurus, niſi miſerum duo retraxiſſent Canonici. Cùm ſe ad genua ejus abjeciſſet Aleſius, & ſupplex donari ſibi vitam rogaret, impingit pedem in pectus ejus ita, ut collapſus aliqvandiu jaceret exanimis. Deinde cùm jam in carcere miſer jaceret, iterum in ipſis foribus ferrum captivo intentat ſævus, ſed retrahunt eum ſatellites. Poſteà prehendit & cæteros Canonicos omnes. Horum amici, homines nobiles, rem deferunt ad Regem, qvi ſtatim jubet liberari omnes, clementiſſimâ voce confirmans, niſi locus peſtiferâ lue infectus eſſet, ſe ipſum venturum fuiſſe ad eximendos è carcere Sacerdotes: tantum illi viſa eſt hæc res habere ſceleris. Ac liberantur qvidem cæteri: unus Aleſius è carcere, in teterrimam ſpecum, bufonibus perviam atqve ſerpentibus *u*), abripitur, donec de eo nominatim expoſtularet cum Præpoſito Rex mitiſſimus. Præpoſitus ſanctè jurat, liberatum eſſe Aleſium, crudelitati mendacium atqve perjurium addens. Jam amici incipiebant de vitâ captivi deſperare: & qvia cum valetudine adverſâ conflictabatur, etiam de morte ejus oriebatur fama. Tùm demùm poſt vigeſimum diem ex iſtâ latrinâ extrahi miſerum jubet Præpoſitus, jubet lavari ac nitidè veſtiri: ipſi verò, ne cui hominum narret, qvomodo exceptus fuerit, ſeverè interdicit. Ita productum Magiſtratibus oppidi accerſitis oſtendit,

u) vid. Aleſ. dedic. in II. ad Timoth. A. 2:

ſtendit, qvaſi rumorem de carcere ſic refutaturus. Aleſius, qvì ſciret, ſe nunqvam placato uſurum Præpoſito, Magiſtratibus illis autoritate regiâ exqvirentibus nihil eorum, qvæ contigerant, reticet. Eos utcunqve placat Præpoſitus, confirmans, Aleſium deinceps liberum fore. Sed immemor promiſſi ſtatim eum in carcerem raptari denuò jubet, arctèq; cuſtodiri, cùm inobedientiam mandatorum priùs objectâſſet. Sic integer ferè annus Aleſio exactus eſt in vinculis. Qveſtus qvidem fuit & apud Archiepiſcopum de injuriâ: ſed Præpoſitus renunciat, nihil eſſe, cur ab hoc ſperaret præſidium, qvi ex illâ concione animadverterit, eum favere hæreticis Lutheranis, & ideò coercendum pœnâqve afficiendum cenſeat. Deſertum ab omnibus Canonici tamen interdum ſublevabant, abſente Præpoſito eximentes è cuſtodiâ. Sed contigit ad extremum, ut ille citiùs horum opinione rediens Aleſium deprehenderet aræ adſtantem & ſacra facientem. Hîc ergò contemni ſuam auctoritatem tùm à captivo, tùm à collegio exprobrans, ab arâ jubet avelli ſtatim, & in priſtinam latrinam conjici Aleſium. Qvod factum fuiſſet illicò, niſi Canonici deprecantes violationem publicarum religionum impetraſſent inducias, donec perficeretur ſacrum. Poſtqvam litavit, reducitur in carcerem, poſtridiè novus hoſpes iſtius latrinæ futurus. Cùm autem Canonici qvidam, qvi

audierant jam designatum esse custodem carceris Joannem Hajum sacrificulum, de vitâ ejus actum, nisi maturè illi subveniretur, putassent: adeunt eum, cùm primæ noctis tenebræ intenderentur, docent, horribiles cruciatûs & certum exitium impendere, nisi fugâ consulat sibi. Habebat Alesius in animo se ad amicos conferre, sed consulunt Canonici, ut solum potiùs vertat, qvia Præpositus missurus sit statim eqvites, qvi vel in viâ opprimant fugitivum, vel per vim abstrahant ab amicis. Grave fuit Alesio dulcissimæ Patriæ terga dare, hoc præcipuè rerum statu, qvo suspecti maximè essent errones, eò qvòd plerosqve de hoc genere propter fanaticas aut seditiosas opiniones constaret extorres vagari. Accedebat, qvòd præter latinam & vernaculam nullius se lingvæ peritum meminisset. Sed necessitati & bonorum virorum consiliis parendum ratus, cùm viaticum Collegæ præbuissent, & valedicentem tùm consolati essent, tùm mutuis lacrymis proseqvuti, mediâ jam nocte in densissimis tenebris solus iter ingreditur, fiduciâ Christi se sustentans: magnoqve confecto spacio eâdem nocte ad naves pervenit, in qvibus ipsum qvidam homo Germanus admodùm amanter exceptum adjunxit sibi, & posteà ægrotum summâ humanitate curavit. Postridiè cum jam à portu solvissent naves, veniunt ad littus eqvites missi à Præposito, qvi eum retraherent ex fugâ. Ubi non invenissent,

Præ-

Præpositus vocat ad se civem qvendam ex portu Dedoënsi, qvem suspicabatur Alesio naves curâsse. Venit unà ad Præpositum oppidi præfectus Eqves auratus. Cùm civis negaret se fugitivo opitulatum esse: Ego verò, inqvit Præfectus ille ad Præpositum, (moverat enim viro probo bilem summa planeqve tyrannica hominis insolentia,) Ego verò si scissem Alexandrum parare abitum, promptissimo animo ei & navem & viaticum curâssem, ut à sævitiâ tuâ liberaretur. Diutiùs fortasse versatus sum, Auditores in his Alesii commemorandis periculis, qvàm qvisqvam Vestrûm exspectasset. Sed tàm illustre divinæ liberationis exemplùm suis omnibus numeris recensendum putavi, præsertim de qvo aliàs altùm sit apud Historicos ejus temporis silentium. Qvòd si hæc prolixitas qvempiam è Vobis, qvòd nolim, offendit, dabitur à me nunc opera, ut, qvæ supersunt, brevitate suâ tædium illud diluant. Venit eo, qvo dictum est, modò, Alesius in Germaniam anno superioris seculi trigesimo secundo *w*), iterqve faciens per Coloniam, (ubi duos optimos viros piè & rectè sentientes, & alienissimos à fanaticis Anabaptistarum opinionibus exuri vidit *x*),) & alias qvasdam Im-

 perii

vv) Nam in oratione, qvam A. 1540. Francofordiæ habuit, ait se jam annis octo abesse à patria (p. 672. Tom. I. declam. Phil. Mel.) *x*) Alesf. Resp. ad Cochl. p. 9. Commemorat & p. seq. Colloqvium qvoddam suum Coloniæ

perii Civitates, qvæ venientem amanter exceperunt *y*), Witebergam anno demùm seqvente *z*) ingressus est: eo scilicet tempore, qvo in illâ Academiâ, vivo adhuc Luthero, nec ita diu post celebrem illam Augustæ Vindelicorum editam Confessionem Principum, omnes articuli doctrinæ Christianæ diligentissimè edisserebantur. Itaqve consvetudine eruditorum excitatus multa dogmata majore curâ conferre cœpit *a*). Inter hæc autem initia cur eum credam non statim totum se nostris Ecclesiis adjunxisse, confessio ejus me movet, qvam in Responsione ad calumnias Cochlei edidit, non diu certè post susceptum exilium scriptâ *b*), in qvâ velut medius ac suspensus inter utramqve Ecclesiam neqve suscipere se Lutheri patrocinium scribit, nec omnia Monachorum somnia probare *c*): in Lutheranis etiam adhuc moderationem qvarundam rerum & ἐπιείκειαν desiderare,

habitum cum viro qvodam præstanti de miserâ facie Ecclesiæ. *y*) Alesf. ibid. pag. 19. *z*) nimirum A. 1533. Bucholc. Chronol. p. 528. Dresf. III. Isag. p. 217. *a*) Alesf. in Orat. paulò ante lit. vv. citatâ. *b*) Nec annus nec locus adscriptus est illi Responsioni. Suspicor Witebergæ & scriptam & impressam. Habet autem formam Epistolæ ad Jacobum Regem. Ediderat jam post discessum è patriâ suum & aliam Epistolam ad eundem Regem, qvâ haud dubiè causas exposuit migrationis suæ, sed breviter. Eqvidem hanc non vidi, sed satis apparet, ob eam fuisse ipsum traductum à Cochleo tanqvam hæreticum. Cui hoc altero qvasi libello responsum voluit. *c*) Alesf. responsf. ad Cochl. p. 9.

rare, ad qvam revocari possent, si res ritè cognosceretur *d*). Posteà verò magis subinde confirmatus apertè religionem nostram professus est *e*), in eâqve constans perseveravit; id interim humani passus, qvod iis temporibus, qvibus paulò post obitum Lutheri nostræ Ecclesiæ schismatibus qvibusdam distractæ sunt, illas qvodammodò secutus est partes, qvæ fuerunt à sincerioribus Theologis improbatæ. Enimverò cùm Interreligionis formulam in armatis Comitiis Anno 1548. Carolus Cæsar latè victor Imperii Statibus præscripsisset, satis diuturnæ Lipsiensibus Theologis ac Witebergensibus dissensiones intercesserunt cum aliis Lutheri doctrinam animosiore zelo profitentibus. Hîc ergò Alesius etsi de adiaphoris, aliisq; connexis argumentis qvibusdam commodiùs initiò, qvàm Collegæ Lipsienses sentire videbatur *f*): ab eorum tamen societate ad extremum adeò non discessit, ut Georgii qvoqve Majoris dogma de Bonorum Operum ad salutem necessitate in qvadam Disputatione *g*) A. 1560. defenderet. Ve-

d) Ibid. facie aversa. *e*) *Redii in Germaniam*, inqvit ipse in Orat. suprà cit. *ad eas Ecclesias, cum qvibus sentire me profiteor*. Et in Perorat. Dispp. in Epist. ad Rom.— *ut testarer meam fidem, qvòd amplector sententiam Ecclesiarum horum locorum, in qvibus nunc versor*. *f*) in expos. Epistolæ I. ad Timoth. cujus primò fragmentum excusum erat Magdeburgi. Integram postea edidit A. 1550. Wolfg. Rupertus, ubi vide tùm alibi, tùm F. 4: & seqq. *g*) Titulus ejus hic est: *De Necessitate & Merito*

Verùm hanc maculam aut temporibus imputemus, in qvæ perturbatissima ipse tùm incidit, aut elui patiamur à manifesto viri optimi propagandæ in cæteris sanæ doctrinæ studio, cujus ipsi luculentum præbent scripta ejus testimonium. Redeundum verò mihi nunc est ad superiùs inchoata. Cùm anno elapsi proximè seculi trigesimo qvarto in Angliâ ex Heinrici VIII. Regis cum Annâ Boleniâ novo matrimonio religionis conversio ea contigisset, ut multi crederent de Papatu ibi jam conclamatum esse: eò faciliùs in Angliam allectus est Alesius, qvò propiùs ita videbat à patriâ se afore. Illuc eum anno seqvente *b*) proficiscentem Johannes Stigelius Elegiâ *i*) prosecutus est, Philippus Melanchthon etiam epistolâ *k*) instruxit ad Henricum Regem, cui librum qvendam suum *l*) dedicaverat, offerendum ab Alesio. Advenientem & apud se consvescentem tùm alii in eâ Insulâ præstantes viri, tùm præter cæteros Tho-

Bonorum Operum disputatio proposita in celebri Academiâ Lipsicâ ad XXIX. diem Novemb. 1560. Est autem hæc disputatio inter Antitapperianas qvinta. *b*) A. 1535. Alesium iter in Angliam suscepisse colligo ex Epistolâ Phil. Mel. de qvâ mox. *i*) Exstat hæc Elegia Volum. II. Poem. Stigel. lib. III. p. 177. *k*) Habes hanc in Epistolis Philippi editis à Manlio p. 349. (aliàs lib. III. Epist. Phil. p. 9.) *l*) Patet hoc ex Epistolâ jam citatâ, item è Camer. vit. Phil. p. 158. Hunc autem librum fuisse alteram editionem Locorum Philippi, conjicio ex Mylii Chronol. script. Phil. sub A. 1535. Hoc certum, Regem & responso

Thomas Cramerus *m)* Cantuariensium, Hugo Latimerus *n)* Vigorniensium Episcopi, Thomas Cromellius *o)* Regni Cancellarius, qvi tùm apud Regem maximâ autoritate pollebant, summâ sunt benevolentiâ complexi, Ipse verò & publicè docuit in Academiâ *p)*, & in omnium Episcoporum ab Rege convocatorum consessu fortissimè veritatem asseruit, qvamvis non eo prorsus, qvem boni optarent, successu *q)*. Cùm enim jam defessus tot peregrinationibus, qvasiqve in portum se appulisse ratus Alesius manere in Angliâ decrevisset, redeunte ad ingenium utcunqve dissimulatum hactenus Heinrico Rege, atrocissima rursus prodeunt edicta in Evangelicæ Doctrinæ Confessores. Itaqve cùm aut subeunda esset impiorum crudelitas, aut cedendum loco, secutus consilium amicorum Scotus noster ex Angliâ discessit iterum *r)*, & sic evitavit tempestatem illam, qvæ posteà tùm alios plurimos pessundedit, tùm è modò commemoratis Cromellium vitâ, Latimerum dignitate exuit, regio, ut fit, favore in odium commutato. Reverso in Germaniam Alesio Joachimus Elector Brandeburgicus locum in Aca-

& munere dedicationem illam fuisse dignatum. Qvamobrem aliâ Epistolâ gratias ipsi egit Philippus, & Alesium denuò commendavit. Qvam vide Part. I. Epist. Phil. p. 75. *m)* Vide perorationem Alesii Dispp. in Epist. ad Rom. *n)* Id. expos. in Psalm. 37. f. 161. *o)* Bez. in Icon. Ff. 3. *p)* Ales. in Orat. suprà lit. w. citatâ. *q)* Beza d. l. *r)* Ales. iterum in citatâ modò oratione.

Academiâ suâ Francofurti *s*) cis Viadrum clementer tribuit, in qvâ ille orationem Anno 1540. habuit de scholis restituendis, qvasi Theologicæ professionis auspicatoriam *t*). Sed ne hîc qvidem admodùm diuturna contigit ipsi mansio. Cùm enim A. 1542. inter ipsum & alium qvendam exorta esset controversia de qvæstione, possit ne ac debeat Magistratus Politicus scortationem punire? veramqve sententiam, hoc est affirmantem, ac Philippi qvoqve Melanchthonis calculo approbatam *u*), defendente Alesio nihilominùs hujus disputationis decisio juberetur differri: offensus, ut apparet, hâc bonæ causæ procrastinatione Alesius, non exspectato Principis adventu discessit *w*). Qvod etsi conträ consilium suum Philippus factum videbat *x*), qvi & hoc ægrè tulit, qvòd Alesius post migrationem hanc suam non ad se primùm advolasset, de novâ sede deliberaturus *y*), (rectâ enim Lipsiam *z*) contenderat, faventissimum hîc

s) Inter Francofurtenses Professores Theologiæ numerat Alesium Gvolfg. Justus de Academiis H.4: *t*) Hæc est illa Alesii Oratio, toties citata mihi hactenus: qvam exhibet Declamationum Philippi Tomus I. philosophicus p. 271. seqq. *u*) in epistola Responsoria *ad Academiam Francofordianam*, qvam leges Part. I. Consil. Theol. Phil. Mel. p. 523. *vv*) Vid. Phil. Mel. Epist. ad Camer. p. 413. 414. *x*) Id. ibid. p. 412. *y*) Id. iterum p. 413. item 418. *z*) Satis hoc intelligitur è citatis hactenus Philippi ad Camerarium epistolis.

hîc sibi habens Ludovicum Fachsium *a*), Consulem simul & Juridicæ Facultatis Ordinarium:) tamẽ non omisit adjuvandi ejus voluntatem *b*). Ideò cùm ex aulâ Brandeburgicâ scripsissent qvidam ad Academiam Witebergensem, (credo qvia suspicarentur, nihil priùs habuisse Alesium, qvàm ut se conferret ad Philippum,) de puniendo Alesio: defensionem pro eo exaravit *c*), interim id qvoqve præcavens, ne ipse contrà ullos in hoc negotio scriberet qvicqvam *d*). Qvòd

a) Hujus Fachsii filiis dedicavit Alesius Epit. Catech. qvæ prodiit Francof. A. 1551. ubi hæc leges: — *qvòd multum debeam — Patri vestro, qvi me & venientem huc primum humanissimè excepit, nomineq; — Ducis Mauritii Saxoniæ Electoris &c. adpræstandam meam operam huic celebri Academiæ invitavit, & post aliqvot annos aliò vocatum hîc retinuit, pollicitus favorem & gratiam Illustrissimi Principis Electoris. Post bellum deniqve dubitantem me animavit, ut ad Electorem scriberem, peteremq; restitutionem librorum meorum, & aliarum rerum, qvas tempore obsidionis hujus urbis amiseram: benignè offerens studium operamq; suam in reddendis Principi supplicibus literis: in qvo tantum effecit, ut Elector ex provinciâ ad Imperii comitia discedens Consiliariis suis, qvos domi reliqverat, eâ de re scriberet, easq; literas plenas clementiæ per Damianum à Sybothendorff à Secretis Cels. suæ in aulâ reddendas ad me traderet.* *b*) De Philippi in Alesium benevolentiâ testes citari possunt non modò Philippi ad Camerarium epistolæ, sed etiam Camerarius in vitâ Phil. Mel. p. 338. Dresser. III. Isagog. p. 217. Beza in Icon. Ff. 3. *c*) defensionis hujus ipse Philippus meminit p. 416. epist. ad Camer.

d). Qvòd etiam Princeps Saxo eâ hyeme qvadraginta aureos Alesio donavit, ut haberet viaticum *e*), Philippo maximè intercedente factum dixerim. Non dubium interim, qvin publicam apud nos Professionem adeptus fuerit paulò postqvam ex Academiâ Francofurtensi ad nostram se recepisset *f*). Qvamobrem & cùm anno 1543. *g*) Regiomontana ipsi conditio ab Alberto Prussiæ Duce inter consilia condendæ illius Academiæ, qvam seqvente anno *h*) constat inchoatam esse, deferretur, Lipsiæ persistere maluit *i*), nimirum qvòd eam sibi jam hîc fortunam obtigisse videret, qvam cum aliâ commutare non foret necesse. Sanè verò qvieta sedes hîc illi contigit, ubi & consenesceret, & vitam terminaret deniqve: cùm Rectoratus officio bis functus esset Saxonicæ Nationis nomine, primùm anno 1555. deinde anno 1561. *k*). Cæterùm qvæ illo tempore fuerit ejus inter Theologos autoritas, inde poterit æstimari, qvòd compluribus de religione institutis congressibus adhibitum testantur historiæ. Jam anno 1540. Joachimus Marchio ablegaverat eum ad Collo-

d) Vid. Phil. d. l. & p. 415. *e*) Id. p. 414. *Noster Princeps hâc hyeme ei* [Alesio] *donat XL. aureos, ut habeat viaticum.* *f*) respice ad lit. a. ubi verba habes Alesii de Fachsio. *g*) intelliges hoc è scriptis hoc anno Philippi ad Camerarium Epistolis p. 435. & 436. *h*) 1544. vid. Gvolfg. Just. de Academ. I. 2: Reusn. Isag. histor. p. 170. *i*) respice iterum ad lit. a. *k*) Regredere ad primas orationis hujus paginas lit. c. d.

Colloqvium Wormatiense *l*), qvod qvidem in annum seqventem extractum fuit. Posteà cùm ipsum Lipsiensis Professio excepisset, interfuit Conventui Numburgico anno 1554. *m*); item anno seqvente 1555 Noribergensi *n*), assumptus à Philippo, ad dijudicationem controversiæ Osiandricæ evocato; posteà anno 1561. Numburgico alteri *o*); deniqve Dresdensi *p*) eodem anno. Ubi ita versatus est semper, ut in adstruendâ veritate nemo ejus constantiam, in examinandis aliorum erroribus judicium, in consiliis dandis fidem ac dexteritatem desideraret. Qvod ad privatam Alesii vitam attinet, Uxor ei fuit Catharina ex illustri Angliæ familiâ de Mayn oriunda, (ut eam in Angliâ duxisse credibile sit.) Ex eâ filiam suscepit Christinam, qvæ D. Marco Scipioni nupsit, & post maritum obiit anno 1604. ætatis 59. *q*). Alterius filiæ, qvam anno 1557. elocavit Pater, mentio est in

l) Camer. vit. Phil. Mel. p. 189. Sleidan. lib. XIII. p. 373. Osiand. epit. Histor. Eccl. Cent. XVI. p. 329. Consil. Theol. Phil. Mel. Part. I. p. 399. seqq. ubi pro *Alesio* vocatur *Scotus*. *m*) Camerar. vit. Phil. Mel. p. 338. De eo conventu aliàs vide Myl. Chronol. script. Phil. Melanchthon. G. 3: Philippi Mel. Epist. ed. Manl. p. 430. *n*) Camer. d. l. p. 350. Beza in Icon. Ff. 3. *o*) Dressl. Part. III. Isag. p. 217. *p*) Selnecc. Recit. p. 20. *q*) Hausi hæc è programmate funebri hujus Christinæ. Cæterùm è Weinrichii Martyrolog. part. II. Zzz. 3: intelliges, Christinæ hujus filiam fuisse Mariam, Friderici Reiffschneideri Uxorem.

epistolâ qvadam Philippi ad Alesium ipsum *r*). Habuit & filium Casparum, sed extinctum in pueritiâ, & in æde Paulinâ sepultum *s*). Ipse autem Alexander Alesius obiit anno 1565. *t*). die 17. Martii *u*), ætatis 65. *w*) cùm Professor Lipsiensis fuisset per annos integros viginti *x*), & qvod excurrit. Sic ergò fidem tandem liberavi meam, qvæqve Vobis, Auditores optimi, de hoc Academiæ nostræ sidere illustri mihi comperta sum pollicitus, bonâ fide & absqve lecythis oratoriis exposui. Rogo autem, ut qvæ cætera hoc in actu peragenda nunc sunt, iis qvoqve attentionem vestram benevolè commodetis.

---

r) Exstat ea in Parte VI. Epist. Philippi Mel. (qvæ prodiit Lugd. Batav. A. 1647.) p. 359. Præter hanc epistolam, ut hoc obiter addam, aliæ tres Philippi ad Alesium leguntur lib. III. Epist. p. 186. seqq. (ed. Brem. A. 1590.) *s*) Sepulchralis lapidis ibi hæc est inscriptio: CASPARI. FILIOLO. ALEXANDER. ALESIUS. DOCTOR. LUGENS. POSUIT. *t*) Bucholc. Chronol. p. 613. Budæus θεατρ. p. 106. Dresser. III. Isag. Histor. p. 217. Reusner. Isag. Histor. p. 636. Thuan. Histor. lib. XXXIIX. f. 769. Calvis. Chronol. p. 1190. Eber. Calendar. pag. 112. *u*) Solius mensis mentione contenti hîc sunt Dresserus & Calvisius. Cæteri lit. præc. memorati & diem numerant 17. pro qvo tamen Eberus habet 18. *w*) Patet hoc ex anni natalis computatione, qvem 1500. fuisse suprà demonstravi. Corrigendi ergò Eberus, Bucholcerus & Reusnerus qvi pro 65. ponunt 75. *x*) Numerum hunc rotundum ponunt Thuanus & Budæus.

ORA-

ORATIO XV.

De Syncretiſmo Peripatetico:

Habita A.1664. d.28. Januar.

Cùm Candidatis XXV. Magiſterii conferenda eſſet ſupremi hujus in Philoſophiâ gradûs Licentia.

ACademiæ *Rector Magnifice*, &c. Non ſum deſcenſurus ex hâc cathedrâ, niſi priùs, volente DEO, Vobis verò applaudentibus, ex viginti qvinqve Bonarum Artium Baccalaureis, qvos Veſtram præſentiam unà mecum ſalutare venerabundos videtis, totidem effecero Licentiatos. Facta mihi hæc eſt poteſtas partim nutu atqve indulgentiâ Sereniſſimi Principis CHRISTIANI, Saxoniæ Ducis, Adminiſtratoris Martisburgenſis, Academiæ noſtræ Cancellarii perpetui; partim voluntate Ampliſſimi Viri, Collegæ mei plurimùm honorandi, L. Godofredi Sluteri, qvi cum facultate ſubſtituendi acceptum à Reverendiſſimo Principe munus Procancellarii transſcribendum putavit mihi, qvòd hunc cœli rigorem imbecillior ejus à multo tempore valetudo vix ſatis firmiter pati videretur poſſe. Jam cùm ex more veteri, anteqvam delegatas mihi partes ſolennibus verbis expleam, detinendæ mihi veſtræ ſint aures in aliqvantillum temporis ſpacium:

 de

de argumento cogitavi, qvod simul professioni philosophicæ consentaneum, simul ab his temporibus non esset planè alienum. Venit enim mihi in mentem, qvæ jam Ecclesiæ nostræ est facies, cui hinc apertum bellum à crudelissimo Tyranno, illinc insidiosa pax ab hæreticis & falsis fratribus est metuenda: eandem, vel haud valdè absimilem & in Philosophiâ nostrâ conspici, hinc eam Novatoribus lancinantibus, illinc exponenttbus ludibrio Conciliatoribus. Ita enim est, Philosophiam Peripateticam Christianam profitemur in hâc Academiâ, hoc est, eruditam & homine ingenuo dignam doctrinam, qvæ neqve doceat qvicqvam, qvod à revelatâ divinitùs religione discrepet, neqve tamen â vestigiis Peripateticorum Principis, qvatenus Christiana pietas permittit, temerè discedat. Est qvippe hoc saluberrimo consilio constitutum, ut certum potiùs unum aliqvem seqvamur ducem, qvàm invectâ qvidvis opinandi licentiâ cyclopicum philosophandi genus, ubi nemo neminem audiat, experiamur. Hunc in modum temperatam philosophiam duplex hominum genus infestat. In uno Cyclopes illi, qvos modò innuebam, prætextu philosophicæ libertatis tot seculorum consensu delatum Aristoteli imperium abrogant, sententias ejus sævissimis obolis confodiunt, lacerant, vexant, concerpunt, suas substituunt, tàm discordes ipsi inter se, qvàm sunt in exagitando Aristotele

con-

concordiſſimi. Peſtilentes profectò homines, & vaſtatori Turcæ comparabiles; niſi qvòd hunc Monarcham eſſe ſcimus, illos verò Beſtiam multorum capitum, ſed hoc ipſo nocentiorem, qvòd aut Scepticiſmum novum pariet orbi Chriſtiano, aut in Anarchiam diſſolutiſſimam deſinet. In altero agmine Conciliatores pono, hoc eſt Syncretiſtas philoſophicos, qvi Ariſtotelis jam cum Platone, jam cum ipſâ etiam ſcripturâ ſacrâ conſenſum crepant, eumqve invitum ac reluctantem vel in Platonicam Scholam retrahunt, cujus ipſe clauſtra effregerat, vel in Eccleſiam deducunt, qvam ipſe nunqvam à limine ſalutaverat. Nocent & hi bonæ cauſæ, non per ſævitiam qvidem, (ſunt enim homines minimè crudeles, & ex amore potiùs nimio cæcutiunt, qvàm, ut cyclopes iſti, ex odio Philoſophi bacchantur,) veruntamen per imprudentiam. Eâ enim jam vivimus tempeſtate, qvâ qvid Plato, qvid Ariſtoteles, qvid Zeno, qvid Epicurus, qvid alii Gentilium Philoſophi docuerint, haud paulò exploratius eſt, qvàm ſuperioribus ſeculis, cùm hiſtoriam philoſophicam denſiſſima extinxiſſet caligo, emergentem nunc paulatim ex illis tenebris, & ab ignorantiâ ſui magis magisqve ſe vindicantem. Hoc ergò rerum ſtatu qvi Ariſtotelem tantùm non in cathedrâ Moſis aut Prophetarum collocant, hoc lucrantur videlicet per illas ſuas adulatorias voces, ut & hoſtium hujus Philoſophi

furores exacuant, & amicorum sibi benevolentiam minuant, & ab illis deniqve, qvi veris priscorum dogmatum narrationibus assveverunt, derideantur. Enimverò, A. H. illa mihi semper visa fuit maximè sobria secundùm Aristotelem philosophandi ratio, ut præmissâ dogmatum ejus severâ inqvisitione, qvæ fidei Christianæ rectæqve rationi non repugnant, iis grati fruamur: in cæteris (qvis enim credat immunem eum ab omni errore fuisse?) res eum suas habere jubeamus. Debet omninò affectum, qvo accuratissimæ aliàs inter Ethnicos Philosophiæ auctorem ex merito proseqvimur, moderari tùm amor veritatis Christianæ, tùm conscientia depravationis, qvæ illi, ut homini non exigua, ut Ethnicismi tenebris involuto longè profectò maxima non potuit non adhærescere. Qvamobrem constitui hodiè, omissis Novatoribus, (de qvibus alia se fortasse differendi aperiet occasio *a*),) Syncretistas *b*) tantùm Aristotelicos huic consessui sistere. Qvo qvidem in negotio sic versabor, ut primò historiam qvandam exeqvar eorum, qvi jam inde à Ciceronis ævo ad nostra usqve tempora Philosophiam Aristotelicam vel Platonicæ vel Christianæ conciliare

a) Ad hoc de Novatoribus argumentum referri potest programma illud meum, qvo anno seqvente 1665. ut Decanus Philos. Facultatis publicas Lectiones intimans de Libertinis (sic enim ibi Novatores appello,) disserui. *b*) *Syncretismi* vocabulo hâc in re utitur Georg. Hornius lib. VI. hist. philos. c. 13. p. 323.

ciliare ſtuduerunt; deinde cauſas proferam, ob qvas approbari à nobis inſtitutum illud minimè debeat; judicium omne Vobis, Sapientiſſimi Viri, relinqvam. In qvo ne aut libertati veſtræ inſidias ſtruere, aut veritati caliginem obducere voluiſſe videar, profiteor me nullis uſurum eſſe nec lenociniis verborum, nec machinis affectuum; ſed potiùs uſum artis, qvam alioqvi docere ſoleo publicè, abdicatione voluntariâ deſerere conſtituiſſe. Qvamobrem nec à Vobis petam, ut cauſæ, qvam acturum eſſe me dixi, faveatis: nolo enim eſſe victor precarius. Id tantùm rogo, ut in causâ tam bonâ Profeſſorem Eloqventiæ patiamini eſſe minimè eloqventem. Anteqvam hiſtoriæ me accingo, duo, qvæ ad meliorem cauſæ cognitionem maximè faciunt, præmitti à me arbitror oportere. Nam & qvos Syncretiſtarum ſeu Conciliatorum vocabulo deſignatos velim, paulò diſtinctiùs enunciandum eſt: & qvoniam non ſunt unius omnes generis, certis claſſibus iidem ſunt mihi dirimendi. Syncretiſtas voco, non qvi è Philoſophis Gentilium, veteres ſecuti Eclecticos, proba tantùm, ſacrisqve conſentanea literis excerpunt, atqve, ut Lactantius *c)* loqvitur, veritatem ſparſam per ſingulos, per ſectasqve diffuſam colligunt in unum, ac redigunt in corpus. Non enim hoc eſt conciliare qvæ pugnant, ſed congregare, qvæ ſunt diſſipata, & ſimilia ſimilibus

c) lib. VII. c. 7.

componere. Qvod si moderatè fiat, & absqve torturâ dogmatum vel sacrorum vel profanorum, reprehensionem non incurrit. Illi mihi Syncretistæ audient, qvi verè pugnantes sententias in concordiam redigere conantur, idq; non edicto qvodam prætorio, aut etiam persvasione partium, qvale qvid olim L. Gellius Publicola *d)* tentavit. Qvi cùm Proconsul ex Præturâ in Græciam venisset, Athenis Philosophos, qvi tùm erant, in locum unum convocavit, ipsisqve magnoperè auctor fuit, ut aliqvando controversiarum aliqvem facerent modum, simul operam suam illis pollicitus, si posset inter eos aliqvid convenire. Qvod qvidem consilium, licet publicæ, ut apparet, tranqvillitatis studio *e)* excogitatum, caruit tamen eventu. Joculare enim illud, hæc narrans Cicero, vocat & à multis sæpe derisum. Ego verò hos auctores Pacis dimittam, qvi viventium rixas componere laborant. De illis tantùm videbo, qvi superstites in scriptis mortuorum discordias sopire moliuntur. Qvales omne disciplinarum genus in hanc usqve diem satis est multos expertum. Medici enim Petrum olim Aponensem

d) Ita eum cognominat Glandorpius Onomast. f. 381. Cognomen Publicolæ tacetur apud Ciceronem (unde hanc historiam describo,) I. de legib. p. 433. ed. Godofr. In editione Argentor. A. 1558. p. 166: perperam vocatur A. Gellius. *e)* Bernard. à Mallincrot Discurs. de Summo Bono p. 1. refert Romanum hunc Procerem in mandatis habuisse, ut paci & qvieti Provinciarum consuleret.

ſem *f*) nacti ſunt, qvi Conciliatoris nomen invenit à ſcripto libro, in qvo differentias (ſic enim vocat) Philoſophorum & præcipuè Medicorum tollere eſt conatus. De Jureconſultis qvid dicam? Qvi cùm ipſi fateantur, dari Antinomias in Jure ſuo verè diſſidentes, efficere tamen non poſſunt, qvin alii, ut hæc ulcera ſanent, ad neſcio qvas divinationes confugiant, vel ipſis etiam Criticorum miniatis ceris in hanc rem abutantur. Ac meminiſſe ſe, alicubi ſcribit Muretus *g*), cùm puer ipſe in ſtudia Juris Civilis incumberet, id eſſe à Magiſtris ſuis factitatum, ut veteres Jurisconſultos etiam in iis, in qvibus conſtaret alium aliter ſenſiſſe, aut Conſtitutiones Imperatorum cum Reſponſis Prudentum etiam eas, qvibus jus antiqvum correctum eſſet, qvoqvo modo tamen conciliarent. De Theologis verò, qvoniam res hodiè nemini eſt obſcura, verbum dicere omitto. Tales ergò conciliatores & Philoſophia noſtra ſubinde paſſa eſt, eosqve in omnibus ſectis. Verùm de iis tantùm dicere decrevi, qvi in Ariſtotelem operas ſuas contulerunt. Nam qvod Bernardus à Mallincrot, Decanus Monaſterienſis, ante hos octo annos de Summo Bono ſcribens ſtatim in frontiſpicio libri *h*) profitetur,

f) de qvo vide Schenck. Biblioth. Medic. p. 443. *g*) in I. Nicomach. Ariſt. p. 82. *h*) titulus libri: *Diſcurſus de Summo Bono Hominis in hujus vita Miſeriâ, tractans & oſtendens, in qvibus illud conſiſtat, & qvinam ex antiqvis*

præcipuam sibi curam fore, ut Stoicos & Epicureos, qvi vel maximè omnium diffidere putantur, conciliaret, id ad me, hoc qvidem loco, nihil attinet. Illud agam potiùs breviter, ut qvoniam Aristotelicos Syncretistas non esse omnes ejusdem generis prædixi, id qvale sit, Auditores Optimi, jam intelligatis. Sic autem habete: si de Natione qværatur, alii Græci sunt, alii Latini; si de Religione, Gentiles alii, cæteri Christiani; si de formâ operis, alii cum Platone, alii cum Scripturâ Sacrâ consensum Platonis evincere student. Ubi hoc anticipare profuerit, qvi Aristotelem Platoni amicum esse cupiant, hos in Platonem ferè propensiores videri; qvi Scripturæ Sacræ, in Aristotelem. Jam ut illud per se qvisqve videt, solos Christianos fuisse, qvi de Aristotelis cum verbo Dei harmoniâ laborandum sibi existimarent: sic admonendum, non solos Ethnicos optavisse, ut cum Platone discipulus ejus rediret in gratiam: qvanqvam profectò id fieri magis intererat Gentilium, ut posteà planum fore confido. Ex hâc autem tantâ tùm ingeniorum, tùm studiorum dissimilitudine facile vobis erit, Auditores, æstimare, non idem omnes consilium in hâc sanciendâ pace secutos fuisse. Nec injuriam illis fecero, si similes dixero vulpeculis Samsoniis, qvi caudis

Philosophis de illo præ aliis propiùs ad veritatem accesserint. — Præmittitur autem hic Discursus ejusdem Autoris Paralipomenis de Historicis græcis. Colon. A. 1656.

dis utcunqve cohærentes, in diverſa tamen omnia capitibus nitebantur. Sed eorum hiſtoriam non diutiùs differo. Si Franciſco Patricio *i*) Dalmatæ credimus, ad hanc hypotheſin, qvæ Ariſtotelis & Platonis unam eandemqve eſſe doctrinam ſtatuit, primus philoſophari cœpiſſe videtur Porphyrius. Eqvidem in hiſtoriâ Philoſophiæ Peripateticæ non habeo, qvem temerè velim antepoſitum Franciſco, eumqve hoc nomine, tametſi Ariſtoteli meo infenſus hoſtis eſt, habeo valdè charum. Veruntamen ab altioribus longè principiis deducenda ſunt hujus Syncretiſmi incunabula, qvàm ut primas deferamus Porphyrio. Ne diu vos morer, Auditores, Antiochum Aſcalonitam nomino, Philoſophum Porphyrio tribus & prope dimidio ſeculis antiqviorem *k*): qvi primus perſvaſum eſſe diſcipulis voluit, optimè convenire Ariſtoteli cum Scholâ Platonicâ. Audivit eum docentem Athenis Cicero, clareqve libro V. de finibus *l*) pronunciat, ab eo in Academiâ vetere non eos ſolos numeratos, qvi Academici vocarentur,

i) Diſcuſſ. Perip. Tom. I. lib. XII. f. 161. Conf. lib. X. f. 140. & lib. XI. f. 149. *k*) Id ita conficio. Antiochum Cicero audivit Athenis. Id factum docet Fr. Fabricius p. 74. vit. Cic. anno ab V.C. 684. Is verò juxtà Calviſium p. 559. fuit ante C. N. 67. His 67. annis adde poſt C. N. 271. vel 285. (qvos Imperio Aureliani & Diocletiani, ſub qvibus vixiſſe Porphyrium teſtatur Jonſius de ſcript. hiſt. philoſ. p. 286. aſſignat Bellarminus Chronol. p. 46.) prodibunt anni 338. vel 352. *l*) p. 125.

rentur, Speusippum, Xenocratem, Polemonem, Crantorem, cæterosqve, sed etiam Peripateticos veteres, qvorum princeps Aristoteles *m)*. Nec dubium, qvin ab hoc præceptore hauserit Tullius *n)*, qvoties Academicos veteres & Peripateticos eosdem esse decernit *o)*, nominibus tantùm *p)* & genere docendi *q)* paulùm differentes. Habemus ergò ita Syncretismi Peripatetici vetustissimos auctores duos, è Græcis Antiochum, è Latinis Ciceronem, Magistrum illum, hunc discipulum. Sed qvid Antiochum moverit, operæ pretium est cognoscere. Jam ducentis ante hunc Antiochum annis, circà tempora Ptolemæi Philadelphi *r)*, invaserat Peripateticam Scholam ratio qvædam dogmata illius cum aliis aliarum sectarum doctrinis permiscendi. Primum enim hoc fecisse Hieronymum Rhodium, qvi Philadelphi seculo floruit *s)*, observatum est Patricio *t)*. Qvi causam huic

m) Confer alios locos Ciceronis, ut IV. Acad. p. 34: ubi docet, qvod Antiochus Aristotelem & Xenocratem seqvi voluerit. item V. de fin. p. 127: ubi, qvòd Antiochus eandem sententiam Aristotelis & Polemonis de Summo Bono fuisse docuerit. *n)* Ait qvidem Plutarchus (in Cic. f. 755.) à Cicerone non probatam fuisse novitatem doctrinæ Antiochi: sed in hoc certè dogmate (de consensu Aristotelis & Academicorum) videtur eum secutus. Vide Mallincr. de S. B. p. 46. *o)* III. offic. p. 56. *p)* I. Acad. Q. p. 42. *q)* I. de legib. p. 163: *r)* qvi cœpit regnare anno ante C. N. 283. (Calvis. p. 246.) desiit anno ante C. N. 245. (Id. p. 266.) *s)* Jons. de script. hist. Philos. p. 129. *t)* discuss. Perip. f. 157.

huic confusioni non malè dedisse id autumat, qvòd Aristotelis & Theophrasti libros, à Nelei videlicet hæredibus occultatos, ea ætas inspicere non potuerit. Pressit hæc fortuna libros Principum Peripati usqve ad Andronicum Rhodium, qvi à tenebris erutos recognovit *u*), Antiocho Ascalonitâ paulò juniorem *w*). Qvo minus mirabimur, per ignorantiam illius ævi Antiocho evenisse, ut & misceret alienis Aristotelica, & ab iisdem internoscere haud potuerit satis. Illud qvidem constat ex Cicerone *x*), Philonis eum Academici Auditorem fuisse: è Stoicis verò Mnesarchum illi Magistrum dant Augustinus *y*) atqve Eusebius *z*). Verùm ut inter pugnantium sectarum dogmata concordiam qvoqve, qvod ante ipsum nemo, fingeret, alia qvædam occultior ipsum causa impulit. Nam cùm adeò propenderet in Stoicos, ut eum Cicero *a*), si perpauca mutavisset, germanissimum Stoicum agnoscat: Academici tamen nomen, qvo nullum erat per ea tempora magis illustre, voluit retinere. Faciendum ergò fuit illi, ut consensum introduceret: in qvem Peripateticos etiam Stoicis copulavit, re consentire illos, non nisi verbis discrepare dictitans *b*).

Hâc

u) Patric. ibid. f. 158. *vv*) Floruit enim Andronicus olymp. 180. (Jons. p. 60.) hoc est ante C. N. anno 58. (Calvis. p. 365.) suprà verò lit. k. dedi Antiocho annum ante C. N. 67. *x*) IV. Acad. Q. p. 2. 18. *y*) III. contrà Acad. 18. (I. oper. f. 455.) *z*) IV. præp. Evang. 2. p. 237. *a*) IV. Acad. Q. p. 33: *b*) Cic. I. de nat. deor. p. 5.

Hâc viâ grassatus est ad celebritatem nominis, sperans etiam fore, qvod Cicero *c)* prodidit, ut hi, qvi se seqverentur, Antiochii vocarentur. Neqve verò non successit ipsi aliqvâ ex parte hoc artificium. Qvintæ enim Academiæ conditorem eum postera ætas prædicavit *d)*. Cognoscitis, Auditores, concordiæ Platonis cum Aristotele, cùm eam parturiret Antiochus, duas qvasi obstetrices fuisse, ignorantiam seculi, & ambitionem hominis. Qvarum illa perfecit, ut eam fraudem, non satis animadvertentibus aliis, ipse comminisci posset; hæc, ut etiam vellet. Ac persvasit ille qvidem hanc opinionem tùm aliis Auditoribus suis, tùm in his etiam, ut commemoravi suprà, Ciceroni: verùm nescio, an ætatem illa ferre ultrà id tempus potuerit, qvo libri Aristotelis qvasi ab orco revocati sunt in lucem. Id qvidem è Vossio *e)* didici, post variatam novissimè ab Antiocho Academiam, posteriores, qvi Platonis dogmatibus insisterent, pro Academicis Platonicos dici maluisse. Qvorum è numero Atticus qvidam, qvi sub Nervâ legitur vixisse, multa disseruit de dissensu Platonis & Aristotelis super qvæstione de ultimo fine hominis, de providentiâ, de ortu, de qvintâ corporum substantiâ, de rebus cœlestibus, de immortalitate animæ, qvorum egregia frag-

c) IV. Acad. Q. p. 18. *d)* Vid. Voss. cap. 15. de Sectis philosophorum, & Jons. p. 264. de script. hist. philos. *e)* de Sect. Philos. c. 16. §. 1.

fragmenta apud Eusebium & Theodoretum supersunt *f*). Paulò junior Attico *g*) Taurus, Platonicæ & ipse sectæ philosophus, adeò sibi consensum illum persvaderi passus non est, ut librum scripserit de differentiâ Platonis & Aristotelis *h*), & alium de discrepantiis Platonicorum & Stoicorum *i*). Hi ergò certè Antiocho neqvaqvam sunt assensi. Verùm haud ita multò pòst ruenti causæ novos tibicines supposuerunt alii. Eqvidem si Paulo Benio *k*) fides habenda est, septem libris adversus Taurum de concordiâ Platonicæ & Aristotelicæ Philosophiæ disputavit Plotinus. Cujus etiam præceptorem Ammonium Saccam *l*) hîc nominarem, si certum foret, hujus Ammonii esse vitam Aristotelis, qvam alii tribuunt Philopono, Franciscus Patricius *m*) utriqve abjudicat: nam qvicunqve ejus est autor, negat certè *n*), Platoni contradicere Aristotelem. Verùm incerta omit-

---

f) vid. Jons. p. 240. *g*) vixit enim temporibus Antonini Pii. Jons. p. 255. Patric. f. 137. *h*) Jons. & Patric. d. l. è Suidâ. *i*) Jons. ibid. è Gell. lib. XII. c. 5. *k*) Cujus hæc verba sunt (Comment. in Timæum Platonis p. 5. 6. ad Lectorem:) *illa omnia, qvæ Porphyrius de Platonica & Aristotelica philosophia concordia septem libris scripsit, qvæqve Plotinus totidem libris adversus Taurum in eandem sententiam disputavit, temporis injuria perierunt.* *l*) Plotinum Ammonii illius, qvi priùs bajulus fuerat, [hunc autem fuisse Saccam cognominatum constat,] discipulum vocat Vossius c. 16. de sectis phil. §. 3. *m*) discuss. Perip. f. 7. *n*) p. m. 101.

mittamus. Hoc certum est, discipulum Plotini Porphyrium *o*) totidem libris, qvot Plotino Benium secuti modò dabamus *p*), qvi tamen ad nos non pervenerunt, confirmare conatum, unam esse Platonis & Aristotelis sectam *q*). Qvo pacto non primus qvidem hujus concordiæ auctor fuisse, sed præcipuus certè intermortuæ qvasi post Antiochum fabulæ restaurator exstitisse Porphyrius hic judicandus est. Hujus exemplum seqventes alii deinceps Gentilium philosophi non pauci ad Simplicium usqve, hoc est, per annos prope trecentos *r*), eandem cantilenam cecinerunt, qvibus Patricius *s*) sextam Peripateticorum ætatem assignat. Mirum alicui fortasse videatur, tàm diu potuisse, tamqve à præstantibus ingenio viris adeò absurdam defendi sententiam. Mirari desinet, ubi cognoverit, affectum & hîc potiùs, qvàm rationem valuisse: qvanqvam alia longè perturbatio Antiochum, alia Porphyrium & seqvaces ejus in hos scopulos impegit. Illum ambitio atqve amor sui stimulabat; hos odium in Christianos agebat in furorem. Qvàm infestus Christiano nomini fuerit Porphyrius, neminem latere arbitror. Hierocles eò usqve insanivit, ut Christo Servatori nostro manifestissimum præstigiatorem Apollonium Tyaneum comparaverit *t*).

o) Voss. l. c. *p*) respice ad lit. k. *q*) vid. Jons. p. 288. Patric. f. 140. 149. 161. *r*) vid. Patric. f. 146. *s*) d. l. *t*) Jons. p. 302.

Qvid Simplicium *u*) memorem? qvid alios, qvi in ſanctiſſimam religionem noſtram impium ſtrinxerunt calamum? His omnibus, ut cauſæ deſperatæ utcunqve inſervirent, perqvàm opportunæ viſæ ſunt Antiochi ineptiæ. Seculari eruditione inſtructiſſimi veteris Eccleſiæ Doctores Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origenes, Juſtinus Martyr, Lactantius, Euſebius Cæſarienſis, aliiqve gentilibus philoſophis tùm alia, tùm diſſenſiones objiciebant ſuas. Hi ergò cœperunt hanc accuſationem à ſe amoliri, in noſtros rejicere. Ita conſenſum ſuum, qvibus potuerunt modis, aſſeruerunt, viciſſim verò non tantùm ſectas nobis hæreſium exprobrarunt, ſed & ſanctiſſimum Bibliorum codicem blaſphemis argutiis lacerantes, plena ibi omnia contradictionum eſſe ſunt criminati *w*). Ita nimirum, qvando damnandus fuit Chriſtus, Pilatum atqve Herodem ex inimicis amicos factos oportuit. Ita cum Platone Ariſtoteles in gratiam redire debuit, ut Chriſtianis ægrè fieret. Qvamobrem neqve reperies, uti opinor, ullum inter veteres illos Religionis noſtræ adverſùs Paganiſmum aſſertores, qvi ſi maximè aliàs juxtà cum Porphyrio ac ſociis ejus inſignes fuerunt Platonicorum dogmatum admiratores, Antiochi probarent hypotheſin. Qvin potiùs adeò

u) De hujus impietate vide Caſmann. prolegom. ad Coſmop. b. 2. *w*) vid. Perer. Phyſ. pag. 239. & Arniſ. Phyſ. p. 37.

crediderunt à Platone diſtare Ariſtotelem, ut Platonem cum ſacris literis, (non diſputo, qvàm commodè,) componerent, Ariſtotelem planè relinqverent ſibi. Sicuti viciſſim, qvi Ariſtotelis Philoſophiam è Chriſtianis magnifacerent, ejus ſententias paulatim inflexerunt ad oracula ſacra. Qvod ſupparem Simplicio Joannem Philoponum *x)* feciſſe conſtat. Sed qvæ dixi, de vetuſtioribus Græcis volo intellecta. Nam inter Latinos Boethius, qvem videmur & ipſum æqvalem Simplicii facere poſſe, de Platonis & Ariſtotelis concordiâ dum ſcripturum ſe profitetur *y)*, in eo ſatis innuit, non ſe fuiſſe ab invento Antiochi alienum. Id qvod accidiſſe ipſi ex crebrâ Porphyrii volutatione, cujus aliàs Iſagogen & translatione ſuâ & commentariis dignatus eſt, crediderim. Poſt Boethium Philoſophiæ ſtudiis in orbe latino exilium intulerunt per annos qvaſi ſexcentos *z)* irruptiones gentium *a)*: donec operum Ariſtotelis verſio ingenia rurſus ad excitandas doctrinas excitavit. Atqve hîc ante omnes memorandum ſe offert mihi Bernardus Carnotenſis, qvi Platonicæ & Ariſtotelicæ Scholæ Syncretiſmum

x) de qvo vid. Gaſſend. Tom. II. oper. f. 429. *y)* Muret. ad Nicom. Ariſt. p. 79. Benius in Tim. Plat. pag. 4. ad lect. *z)* Franc. Patric. Diſcuſſ. Perip. f. 144. *Poſt Boetium Philoſophiæ ſtudia omninò interierunt in Italiâ, qvæ ſexcentis pòſt annis, circà annum ſcil. 1140. reviviſcere cœperunt.* *a)* de qvibus vide Conring. Antiq. Academ. p. 61.

mum propagare fuerit annisus, sed, ut apparet, non ita multis adstipulantibus. Joannes certè Saresberiensis, qvi nos ista edocuit, his verbis judicium suum interponit *b*) *: Egerunt operosiùs Bernardus Carnotensis, & ejus sectatores, ut componerent inter Aristotelem & Platonem. Sed eos tardè venisse arbitror, ut reconciliarent mortuos, qvi, qvamdiu in vitâ licuit, dissenserunt.* Majore applausu exceptum inseqventi seculo fuisse dixerim Thomam Aqvinatem, cùm ille ex Aristotele non Platonicum qvidem, sed qvoad fieri posset, Christianum Philosophum efficere tentasset *c*). Cùm enim hæc persvasio perqvàm commoda esse videretur retinendis animis in studio Peripateticæ doctrinæ, qvæ tùm in orbe Latino sine sociâ regnabat: tàm cupidè apprehensa eadem est, ut de æternâ etiam salute Aristotelis *d*) probabiliter disseri tandem incipe-

 ret,

b) Metalog. lib. II. c. 17. p. 101. *c*) Jo. Bapt. Crispus de Ethnicis Philosophis cautè legendis f. 507. *qvi* [D. Thomas] *Aristotelis verba rarò non ad Ecclesiam, vel ad tolerabilem sensum trahit.* Patric. f. 162. 163. *Præter has duas philosophandi rationes — tertiam qvandam ipsis qvoq; peculiarem invexerunt* [Alberti Magni in Germaniâ, Joannis Duns in Angliâ, Thomæ Aqvinatis in Italiâ sectatores,] *uti Aristotelicam Philosophiam Christianæ Theologiæ jungerent. — Nihilq; in Theologiâ arbitrati sunt posse stare, nisi Aristotelicis fundamentis firmatum esset.* *d*) Henr. Cornel. Agrippa c. 54. de vanit. scient. (Part. II. oper. p. 95.) *Hic est ille Aristoteles, — — dignissimus profectò* [ironicè scriptum,] *hodie Latinorum Gymnasiorum doctor, & qvem Colonienses mei Theologi etiam Divis ad-*

ret, parumqve abesset, qvin eum, ut ita dixerim, Catalogo Sanctorum insererent Pontifices. Verùm cùm captâ Constantinopoli Græcorum exilia græcas qvoqve literas & cum iis sectarum veterum factiones intulissent in Italiam, hinc Platonem Bessarione & Plethone Gemisto, illinc Aristotelem Georgio Trapezuntio & Marco Ephesino præferentibus *e)*: novis conciliationibus data fuit occasio. Qvas in duos Philosophorum Antesignanos magnificè polliciti sunt Joannes Picus Mirandula *f)* Concordiæ Comes, & recentiore paulò memoriâ Paulus Scalichius *g)*, (qvi se Comitem Hunnorum vocans, & Veronensium Scaligerorum genus jactans, inqve aulas Principum Germaniæ nescio cujus occultæ sapientiæ simulatione penetrans, qvoties eum cogito, Doctoris Burri recordationem inge-

ad numerarent, librumq; sub prælo evulgatum ederent, cui titulum facerent de salute Aristotelis: sed & alium versu & metro de vitâ & moribus Aristotelis: qvem theologicâ insuper glossâ illustrarunt, in cujus calce concludunt, Aristotelem sic fuisse Christi præcursorem in naturalibus, qvemadmodum Joannes Baptista in gratuitis. Vid. & Mich. Walth. Centur. miscell. Theol. p. 592. ubi ex professo tractat Qvæstionem: *num Aristoteles salutem fuerit adeptus sempiternam?* eamqve negat. *e)* vid. Jons. de script. hist. philos. p. 309. *f)* thesis Mirandulæ: *Nullum esse qvæsitum naturale aut divinum, in qvo Aristoteles & Plato sensu & re non conveniunt, licet verbis dissentiant.* Horn. Hist. Philos. p. 312. & 324. Conf. Muret. p. 79. ad Nicom. Paul. Ben. ad Tim. Platon. p. 4. *g)* de qvo Horn. Hist. Phil. p. 324.

ingerit mihi.) Verùm neuter horum de componendis Aristotelis Platonisqve divortiis datam orbi fidem unqvam liberavit *h*). Præstare aliqvid conati sunt peculiaribus de hoc argumento editis libris Franciscus Diacetius, Symphorianus Camperius, Sebastianus Foxius & alii *i*): sed vix est, ut post Simplicium atqve similes Harmostas attulerint aliqvid novi. In hunc ordinem referendi qvoqve sunt, qvos ob eximiam utriusqve Philosophi reverentiam vel eos conciliare, vel eorum decreta pro veri indagatione accuratè invicem conferre conatos viâ regiâ ad sapientiam progredi judicat Franciscus Piccolomineus *k*), horumqve per Italiæ Academias superstitum adhuc, dum illa scriberet, catalogum prolixum conficit *l*). Nominat Bononiæ Fridericum Pendasium, Nicolaum Turcum, & Camillum Baldum; Senis Jugurtham Thomasium, & Fortunium Cinugum; Augustæ Taurinorum Augustinum Buccium; Neapoli Joannem Bernardinum Longum; Romæ Hieronymum de Ponte, & Flaminium Nobili-

h) Paul. Ben. ad Tim. Plat. p. 4. — *Id qvod fermè accidit Johanni Pico: qvi cum Platonem & Aristotelem facilè conciliari posse existimaret, idq; sese facturum magnâ cum omnium expectatione recepisset: — suam ille fidem liberavit nunqvam. — Porrò autem Paulus Scalichius Picum æmulatus hoc idem magnificis verbis pollicitus est: licet ubi demum promissis steterit, non video.* — *i*) qvos memorat Benius d. l. in seqventibus. *k*) Ethic. p. 438. *l*) ibid. p. 441.

bilium; Pisis Franciscos duos, Verinum & Bonamicum; Ferrariæ Antonium Montecatinum. Qvibus in cumulum accedat ipse Piccolomineus, qvem dicere solitum narrat Joannes Imperialis *m*), Platonis & Aristotelis Philosophiam, duos qvasi oculos humani aciem intellectûs dirigere, qvorum alterutro si qvis careat, Cyclopis instar in hâc rerum universitate labi eum sit necesse. Atqve hoc ipsum videlicet inter hunc Piccolomineum, &, qvem ipse in Patavino Gymnasio æmulum habuit, Jacobum Zabarellam interest, qvòd ille mixtum philosophandi genus, hic purè Aristotelicum adamavit magis. Id qvod etiam è scriptis eorum, qvæ versantur in manibus multorum, qvivis paulò peritior ultrò deprehendit. Exegi, Spectatissimi Auditores Syncretismi Peripatetici, qvalemcunqve historiam. Superest ut eundem, licet virorum doctissimorum calculis jam damnatum *n*), protraham in vestrum qvoqve tribunal. Si qvid præ-

m) Musc. Histor. p. 115. *n*) Aristotelis cum Platone conciliationem improbant Muretus ad I. Nicom. Arist. p. 79. seq. Paulus Benius in Timæ. Plat. p. 4. ad Lect. Pererius lib. IV. Phys. c. 10. pag. 239. (ubi qvidem tantùm in genere loqvitur de persvaso qvibusdam consensu gentilium Philosophorum.) Arnisæus Epit. doctr. phys. p. 38. (cum Pererio conferendus.) Salmas. p. 20. de trapez. fœn. Voss. de sectis philos. p. 89. Similiter Aristotelis & aliorum Gentilium cum scripturâ sacrâ conciliationes improbant Casaun. proleg. in Cosinopœiam a. 8: b. 1. Jo. Baptist. Crisp. de ethn. phil. cautè leg. f. 36.

prævideo, non magis hæc philosophantium familia placebit Vobis, qvàm cordatis Theologis placere solent diversarum Religionum conflatores. Neqve verò negabit qvisqvam facilè, qvantum periculi creatur cœlesti veritati ab istis dissidentium Ecclesiarum, tantundem historiæ philosophicæ *o)* creari ab his pugnantium Scholarum conciliatoribus. Antiochum Ascalonitam, qvi primus huic schismati autoritatem commodavit, fœneum Platonicum vocat Augustinus *p*). Qvid aliud esse dicam hujus in Peripateticâ Scholâ simias, qvàm stramineos Aristotelicos? Eqvidem fateor, dulce nomen Pacis est, res verò ipsa tùm jucunda tùm salu-

o) Certum est, conciliatores corrupisse non semel doctrinam eorum, qvos conciliare conati sunt. Unde Paulus Benius in Tim. Plat. p. 4. Simplicium reprehendit, qvòd *ex Platone non minùs frigidè qvàm impudenter motûs, temporis, mundiq; æternitatem protulerit.* Sic Petrus Gassend. Tom. II. oper. f. 429. ubi de rationalis animæ immortalitate agitur, *non disqviri* ait, *qvomodo verba Aristotelis dogmati Sacræ Religionis accommodari valeant, sed qvidnam Aristoteles per illa intellexerit?* Giphanius p. 523. in Nicomach. Arist. *Reperi*, inqvit, *interdum Ciceronem hallucinari, & Aristoteli falsa qvædam attribuere &c.* Inter causas forte, qvòd Antiochi Syncretismum philosophicum secutus est. Certè Mallincrot, cùm p. 84. de Summo Bono Fortunam Epicureorum, Fatum Stoicorum, & Providentiam Christianorum idem esse putat, non alio impulsu videtur in hunc errorem esse prolapsus, qvàm qvia Epicureos & Stoicos inter se, qvod p. 1. profitetur, (imò & cum Christianis,) conciliare conatur. *p*) lib. III. contrà Academicos c. 18. (Tom. I. oper. f. 454.)

taris. Verùm nimis carè pax illa emitur, qvæ diſpendio conſtat veritatis. Fuiſſe tempus non inficior, cùm uti pueri noſtri per ferias natalitias aliqvem vernam ſtolâ candidâ indutum & ligneâ clave armatum habent pro ſancto Petro, ita diſcentes, imò doctores ipſi Ariſtotelem haberent tantùm non pro fraterculo Apoſtolorùm: nempe qvia per inſcitiam ſeculi perſonatas larvas dignoſcere non liceret. Verùm hoc ævo, ubi ex infantiâ emerſimus, ubi hiſtoriam philoſophicam tot ſeculis deſideratam per particulas qvaſi certatim eruere cæperunt homines qvidam doctiſſimi, ubi ſurgentes velut è tumbis Clementes Alexandrini, Athenagoræ, Euſebii negatæ in ſublunaribus Providentiæ reum peragunt Stagiritam Philoſophum, ubi ſingulis propè nundinis novi hoſtes in Ariſtotelem, iiqve antiqvitatum philoſophicarum peritiſſimi ex armariis Bibliopolarum proſiliunt: hoc ergò ævo, qvo purgatas aures habere cœpimus, veteres nænias de conſenſu Ariſtotelis cum ſacro codice recitare velle, cujusnam hominis eſt obſecro, niſi qvi diſcrimina ætatum ignoret? Aliis mediis opus eſt, qvibus illam philoſophandi rationem, qvam latini Peripatetici invexerunt, mirificoqve ingeniorum acumine commendabilem reddiderunt, retineamus in Scholis. Eſto Ariſtoteles, qvalem nobis hiſtorica ſiſtit veritas. Concedatur, qvod negari diutiùs non poteſt, de omnipotentiâ, de omniſcien-

ſcientiâ, de providentiâ Divinâ, de graviſſimis aliis veræ doctrinæ capitibus, longè aliter, qvàm vellemus, eum ſtatuiſſe. Ethnicus fuit: per poſita ſemel ab ſe principia non aliter potuit. Hos ejus errores jam diu eſt, cùm è Scholis exulare juſſit Chriſtiana Philoſophia. Fateamur tantùm, illas religioni noſtræ cònſentaneas voces non Ariſtoteli nos debere, ſed Chriſto, & album illud induſium, qvo per ſuperiorum ſeculorum ſimplicitatem diſſimulavit ille Stagirita ethniciſmum, non domo eum attuliſſe, ſed accepiſſe ab iis, qvi jàm diu mortuum, nec tale qvicqvam ſomniantem ſacro tinxerunt lavacro. Atqvi hoc modo, inqvient illi, qvos appellavi ſtramineos, Ariſtotelici, perierit nobis omnis philoſophi tanti autoritas. Qvi ſic disputant, eos interrogatos velim, nobisne, qvi Ariſtoteli, qvoad pietas ſinit, optimè cupimus, an hoſtibus philoſophi noſtri conſervatum eant autoritatem ejus? De nobis volo eſſe ſecuros. In eruditione ſeculari tantum tribuimus Ariſtoteli, qvantum vel ex Gentilibus veteribus, vel ex noſtri temporis Novatoribus nemini: nec ideò tamen retentam cupimus ejus doctrinam qvia ducamur autoritate, ſed qvia tùm ratio ſvadet, tùm reipublicæ literariæ commodum imperat, cui per innovandi libidinem peſſimè conſulitur. Noſtrâ ergò cauſâ poterant illo labore ſuperſedere. Juratis autem Ariſtotelis hoſtibus illorum ſcripta, ubi accenſi

fuerint, acuent bilem; ubi detumuerit eorum fortasse iracundia, nullum affectum alium exprimentmagis, qvàm misericordiæ, qvòd in tantâ luce ipsi tamen velint cæcutire. Nam ex inferno Aristotelem, ut opinor, non liberant. Pontificiorum impia hæc fuit pietas, à qvâ illi, si nostri esse cupiunt, absunt longissimè. Si ergò nec Christianum faciunt Aristotelem, nec inter cœlites locant, qværo, qvem igitur relinqvant? Si ethnicum respondebunt, qvomodo ergò cùm sacris literis convenire ipsi potuit? Hîc fortasse clamabunt se consensum in illis tantùm qværere, qvæ ex lumine naturali possunt cognosci. Qvasi verò lumen illud non fuerit in Aristotele densissimis errorum tenebris, ut in ethnico homine fuit necesse, obscuratum. Non negaverim, minus esse alicubi fabularum in Aristotele, qvàm in Platone: sed neqve patiar mihi persvaderi, in scriptis ejus nihil esse ultrà religionem, qvam naturalem vocant qvidam, nullis inqvinatam mendaciis. Cui locum in cerebro inveniunt qvidem, hominem ullum ex omni temporum memoriâ proferre non possunt, qvi talem, ut ipsi volunt, nullis à diabolo accessionibus interpolatam, fuerit professus. Imò contrà ostendi potest, qvod est rectissimè à Petro Gassendo *q)* observatum, omnes Gentilium phi-

q) Phys. sect. I. lib. I. c. 6. (Tom. I. oper. f. 163.) Idem ibid. lib. VII. c. 6. (f. 484.) *nulla ex ipsis* [Philosophorum opinionibus] *est, qvæ non supponat materiam æternam &*

philoſophos in id conſenſiſſe, ut materia præfuerit (increata) ex qvâ procreatus ſit mundus. Qvo pacto duo crediderunt ejusdem æternitatis, & absqve dependentiâ unius ab altero, rerum omnium principia, Deum & Materiam: qvo nihil cogitari nocentius poteſt, qvod ipſa Chriſtiani Symboli prima verba evertat. Sed perſvaderi hoc ſibi duabus inprimis rationibus à malo genio paſſi ſunt. Nam ne Divinæ qvidem potentiæ poſſibile judicabant, ex nihilo qvicqvam producere: & à Deo arbitrabantur non poſſe aliter removeri cauſationem mali, qvàm ſi æternum aliqvod malitiæ omnis principium Deoqve velut oppoſitum profiterentur Materiam *r*). Ab his ſeminibus non potuerunt alii fructûs qvàm neqviſſimi progerminare. Atqve ut error qvilibet fœcundus eſt, ita diſceſſum hîc eſt in partes. Poſitis enim ex omni æternitate duobus illis, qvæ dixi, principiis, alterum è duobus eveniſſe oportuit, ut vel naturali qvâdam neceſſitate in materiam ageret Deus, vel influxu liberrimo formas rerum in eam infunderet. Qvorum hoc Platoni placuit, illud Ariſtoteli *s*). Qvam ob cauſam & Ariſtote-

ingenitam. *r*) Vide qvæ hâc de re diſſero in Schediaſm. hiſtor. p. 28. §. 37. & de Stoicâ mundi exuſtione diſſert. XII. p. 162. ſeqq. *s*) Etiam hæc tracto tùm in Schediaſm. hiſt. p. 29. tùm de Stoica mund. exuſt. diſſert. II. p. 29. ſeq. utrobiqve Stoicæ ſimul & Epicureæ ſectæ prima principia inveſtigans.

ſtoteles mundum ab æterno eſſe docuit, Plato verò in tempore, non creatum qvidem, ſed genitum qvaſi à Deo. Atqve hoc diſſidium circà ipſa rerum primordia haud dubium, qvin hos duos Philoſophos per univerſa reliqva dogmata committat ſubinde tanqvam par gladiatorum ſine miſſione pugnantium. Qvod pluribus oſtenderem Vobis, A. H nisi vitanda mihi eſſet ſatietas. Sed hoc certè affirmare poſſe videor, ex his initiis hiſtoriam gentilis Philoſophiæ ſi qvis deducat, labore non prorſùm difficili eò pervenire poſſe, ut qvemadmodùm Theologi qvidam ex Arbore Conſangvinitatis hæreticæ elegantiſſimè oſtendunt varios hæreſium ortûs ac progreſſiones, ita ſimilis Arbor pravitatis in Gentiliſmo philoſophicæ per ramos ſuos atqve folia delineetur: Opus, qvàm non exſpectandum unqvam ab illisSyncretiſtis, tàm fortaſſe ipſis Theologis exoptandum, qvandoqvidem conſtat, philoſophos illos gentilium veteres fuiſſe patriarchas hæreticorum. Atqve hoc ſimul reſponſum ſibi habeant illi, qvi Platonem Ariſtoteli conſentire, cupiunt eſſe orbi perſvaſum. Non magis hi conſentiunt, qvàm diverſarum religionum hæretici: niſi qvòd veritatem uterqve oppugnat per ea, qvæ cuiqve ſunt propria, & ex illo ſacerrimo dogmate de duobus principiis æternis contrà ſanam fidem derivata. Itaqve magis approbare ſe nobis debet eorum judicium, qvi ethnicos

cos

cos & secum, & cum Ecclesiâ Christianâ, qvâ tales, irreconciliabiles existimaverunt. Qvorum tamen rationes, qvoniam tempus est, ut mandato mihi Procancellarii officio persungar, proferre in medium omitto.

ORATIO XVI.

De Jacobo VVellero:

Habita A. 1664. d. 17. Julii post sacra vespertina,

Qvo ipso die & anno summus hic Theologus Dresdæ fuit sepultus.

MEruit virtus consummatissimi Theologi JACOBI WELLERI, ut qvo die beatè mortui corpus in urbe Dresdensi committitur sepulturæ, eodem nos in hâc etiam Academiâ gratitudinem profiteamur nostram laudatione funebri, in eum videlicet Virum conferendâ, cujus suffragio pleriqve nostrûm in hunc, qvem tenemus, Professoriæ dignitatis gradum evecti sumus. Sed intentum huic pietati animum gravissima interpellat consternatio. Cùm enim Beati Senis exeqvias, denegatas illas oculis qvidem nostris, animo & cogitatione complector, videre mihi videor, qvemadmodùm DEUS fidelem servum qvieti componat, & conditorium subire jubeat, ne complicetur & ipse in tempestatem, qvæ fœdissimam stragem uni-

universæ Germaniæ de proximo minatur. Qvo armorum progressu juratus nomini Christiano hostis Barbarus anno superiore sit usus in Pannoniâ, persentiscimus; qvàm infelici nobis auspicio hanc æstatem consecraverit, tenemus memoriâ; qvantæ sint ejus vires, qvàm nullæ nostræ, nemini obscurum est. Hoc rerum statu qvid aliis eveniat, qvi nullo justo trepidationis indicio edito mores peccandi veteres in hæc nova tempora transferunt, scrutari meum hîc non est. Mihi qvidem certè ad irati Numinis tàm præsentia signa pavescunt medullæ, palpitat cor, lingva contremiscit. Qvò magis vellem, si mei arbitrii res foret, ejulatu & lamentis hanc semihoram, qvàm faciendis verbis consumere, præsertim infantiæ mihi meæ conscius. Enimverò est infantia qvævis ut ad habendos panegyricos muta, sic longè ad plangendum eloqventissima. Neqve Crœsi Regis filium *a)* objiciat hîc mihi aliqvis, qvem internecioni proximus pater ex elingvi vocalem derepente fecit ac disertum. Eqvidem dulcissimum Parentis nomen Wellero jam diu decreverunt Ecclesiæ nostræ: sed optimè profectò cum ipso agitur, qvi non, ut infelix ille, hostilem gladium in urbe captâ fronti suæ imminentem timet, sed ne timere unqvam habeat, in Abrahæ sinum se recepit; pessimè nobiscum, qvi tanto deprecato-

a) de qvo Gellius lib. V. c. 9. Plures citat Kornmannus de mirac. vivor. p. 100.

catore orbati nudis capitibus arietamus in acinacem Turcicum. Ut adeò, si qvam nobis maximè vocem erumpat periculi magnitudo, non tàm ea sanctissimi viri meritis prædicandis, qvàm nostris deplorandis casibus vacare possit. Accedit ex conspiratione temporis omen minimè jucundum. Hâc enim ipsâ die, qvæ Julii mensis decima est septima *b*), redeuntes olim in castra Ebræorum exploratores duodecim, inqve concionem admissi, terroribus omnia implevisse creduntur, cùm potentiam Cananæorum, & formidabilem tùm magnitudinem virorum, tùm urbium munitionem commemorarent *c*). Qvo nomine & inauspicatum illi populo totum haberi diem accepimus *d*). O miseram Germaniam, cui non exploratores, sed jam hostis ipse adventum suum indicit! O nos infelices, qvibus in latebras se abdens carissimum Welleri caput pro funestæ cladis nuncio nimis qvàm vero est! Hæc autem ipsa hora, qvâ locum ego editiorem conscendi, sanctas condet exuvias, cum iisqve spem propè omnem nostram effugiendæ calamitatis sepeliet. Etiam vultum vestrum ubi contueor, Auditores, paratiores omnes mihi notare videor ad congemiscendum, qvàm ad hauriendas ex me laudes ejus Viri, cujus excelsitatem & ipsi dudum pectoribus estis emensi, & facundissimus qvis-

b) vid. Eber. Calendar. p. 239. *c*) Num. 13. v. 29. *d*) Eber. d. l.

qvisq; ſilentio malit venerari, qvàm obtruncare balbutiendo. Verùm cùm oratio mihi præſens & ex conſvetudine paſſim receptâ, & ex imperio eorum, qvibus non obtemperare nefas eſt, effingenda mihi ſit in faciem ſermonis, qvi per vitam atqve actûs piè defuncti percurrat: deſciſcam potiùs ab affectu meo, qvàm à debitâ ſuperioribus reverentiâ, paciſcarq; cum dolore tantiſper inducias, dum de Jacobo Wellero, laudem meam omnem ſupergreſſo Viro, ex formulâ parentantiū aliqvid peroravero. A Vobis, *Rector Magnifice, Auditores cæteri honoratiſſimi,* magnoperè contendo, ne divitias argumenti ex paupertate dictionis meæ, qvam ipſi non ignoratis ut feſtinare me oportuerit, æſtimetis, ſed contrà potiùs ex amore, qvo & vivum coluiſtis Wellerum, & defuncti memoriam obſervatis, aliqvid gratiæ in dicentem fluere patiamini!

Bonorum, à qvibus laudari ſolent homines, formæ à philoſophis tres conſtituuntur. Qvædam enim animo inſita ſunt; alia corpori; cætera extrà utrumqve poſita, qvòd ea minimè omnium in poteſtate noſtrâ habeamus, fortunæ imputantur. Qvin præcipua laus à bonis animi pendeat, nemo ſanus unqvam dubitavit. Nam reliqva probos ab improbis, hoc eſt, amore publico dignos à viventibus in perniciem aliorum, neutiqvam diſtingvunt. Ego verò de optimo Theologorum ita nunc eloqvar, ut

ut pulcherrimas animæ opes parcè delibem ac strictim, reliqvas dotes præcipuum dicendi faciam argumentum. Eqvidem ex eâ parte, qvam ipse mihi sic intercludo, adeò benigna, fateor, seges progerminat, ut sola vel centum Fabios delasset. At enimverò messem tàm copiosam inde jam excerpsit hodierna concio, qvam Theologici Ordinis Reverendus plurimùm Decanus Daniel Henrici, Collega mihi pro Patrono observandus, ad Vos habuit, ut novi hoc in genere, qvod ab illo non sit dictum, afferre nihil possim. Cujus enim obsecro virtutis, qvæ qvidem à Bono Theologo, & Consiliario Principis Ecclesiastico reqviratur, non audivistis præconium? Ut omninò verendum sit mihi, ne si eodem in campo vestigium & ego ponam, vel laudatoris incusare facultatem existimer, vel vestræ, Auditores, diffidere memoriæ: qvorum alterum parum ingenui est hominis, alterum inepti atqve ridiculi. Ergò in commemorandis tantùm externis bonis, qvæ veluti satellitium qvoddam Wellerianas virtutes stipaverant, qvarumqve historiam mihi delegavit hodiè gravissimi Theologi oratio, mea se lingva nunc occupabit. Neqve tamen putate, Honoratissimi Viri, ad veras Præsulis maximè Reverendi laudes hæc nihil pertinere. Qvicqvid ex isto bonorum censu germanam Virtutem circumstat, aut ipsa totum elaboravit sibi, aut ultrò adveniens splendore convestit

Z suo,

ſuo, & novâ pulchritudine tingit. Qvi educatum probè filium commendat, is eo ipſo educatoris prædicare cenſendus eſt induſtriam. Et laus in comptam eleganter virginem collata ſimul redundat in matrem ornatricem. Similem in modum cùm nobilem Welleri proſapiam celebrari à me audietis; cùm qvid in corpore ejus eximium fuerit, annotari; cùm favorem ac benevolentiam extolli, qvo juvenem, virum, ſenem certatim complexi ſunt omnium ordinum ac dignitatum mortales; cùm honores in eum undiqvaqvè congeſtos; cùm conjugio qværendo, tollendisqve liberis felicitatem; cùm id genus alia indicari hâc oratione intelligetis: illam fortunæ ſuæ parentem ac moderatricem animam ſiſti unà Vobis creditote. Nihil enim horum eſt omnium, qvod non honeſtiſſimis artibus aut invenerit ſibi, aut ſponte ſe dans in manum illuſtraverit Wellerus. Qvi adverſæ etiam fortunæ commiſſus alicubi, generoſis eam ſemper præliis vicit, ac vultum mutare coegit, nunqvam certè proſterni ab eâ ſe aut gradu ſubmoveri paſſus eſt. Atqve ut ab eo incipiam, qvod temporis habitâ ratione primum eſſe ſolet, natales ſuos retulit Beatus noſter ad juſtæ Nobilitatis jam per annos amplius ſeptingentos *e)* privilegiis ornatam Molsdorfiorum familiam: dignam utiqve habitam ſuperioris ævi

e) Rudolfus à Molsdorf floruit circà annum 955. de qvo Spangenb. Adels-Spieg. Part.II. lib.XI.c.23.fol.205.

vi Germaniæ Historicorum facilè principi Spangenbergio, cujus insignia, origines, incrementa, cognationes, fortiterqve ac præclarè gesta peculiari commentario illustraret. E qvo & illud didicimus, Wellerorum vocabulum in hanc stirpem primitùs ab eo illatum, qvi cum fratre paternam hæreditatem dividens, cujus alteram partem prædia facerent ac fundi, alteram ex argentifodinis qvæsita vis ingens metalli, optione sibi delatâ, qvòd ex eventu visus esset prudentissimè elegisse, *Weblerus*, hoc est, *elector* appellari cœpit populariter. Enimverò coluerunt hi Welleri à Molsdorf in agro Fribergensi, qvem venis metallicis clarum esse inprimis, nemo nostrûm ignorat. Non possum hoc loco, Auditores, qvin memorem Vobis Nicolaum Wellerum, ante ducentos annos opidi Fribergensis Consulem *f)*. Gravissimum eo tempore bellum *g)* exarserat inter Fratres duos Saxoniæ Duces, Fridericum II. Electorem, & Wilhelmum Principem. Urbs utriqve juramentum dixerat, qvòd fodinas paternarum ditionum divisioni hæreditatis excepissent, communesqve sibi voluissent optimi Principes. Ingressus opidum Elector cum firmo exercitu, illicò imperat Senatui, fidem Wilhelmo fratri renuncient, sibi soli denuò obstringant; ni fecerint, non facultatibus tantùm omnibus, sed ipsâ vitâ se

f) Idem ib. lib. IX. c. 4. f. 123. *g)* hujus belli mentio & apud Dresser. de urbib. Germ. p. 264.

exuendos ſciant. Miſerrimi cives eodem articulo temporis graviſſimè periclitabantur, hinc de corporibus, ſi recuſarent imperata, hinc de animabus, ſi facerent: curaverat enim & Wilhelmus eos de ſacramenti communis religione admoneri, DEUM citans, qvem ipſi ultorem invocâſſent. Hîc unius hominis conſilio, cui vis haud dubiè divina pectus inſpiraverat, vita civibus, cives Electori, Elector innocentiæ ſervatus eſt. Ille, qvem dixi, Conſul Nicolaus à Molsdorf, cùm Senatores cæteri exemplum ejus, cujus qvippe & pietatem & prudentiam haberent exploratam, ſecuturos ſe dicerent univerſi, anxieqve in re trepidâ ſalutarem ab eo vocem exſpectarent, domum abire eos juſſit, uxoribus, liberis, familiæ valedicere, induſium, qvo mortuos amicire mos eſt, ſecum afferre. Hoc habitu inermes, ſolâ in DEUM pariter ac Principem fide armati, linteum ferale manibus prætendentes, compoſitum agmen ducente Nicolao, ad Fridericum procedunt. Conſul pro Collegis verba faciens, dignam cordato viro orationem exorſus, cùm Clementiſſimi Principis per antegreſſa tempora benignitatem, in gubernandisqve provinciis ſapientiam laudâſſet, nullâ ſe pervicaciâ inductos deprecari juſſa demonſtravit; ſolius Numinis Divini metu impediri, ne fidem utriqve germano ſimul datam alteri frangerent; neqve verò magis ejerare Ducem, qvàm Electorem præ conſcientiâ

poſſe;

posse; ut intelligeret, ambobus ad usqve moriendi necessitatem æqvè fideles fore, cervicem hîc se porrigere supplices, ut alterum sangvine, alterum constantiâ, utrumqve fide placarent. Permovit hæc mori certorum vivax facundia mitissimum alioqvi naturâ pectus Friderici, cui ex re Placidi cognomen consentiunt annales, ut omni mox irâ positâ indemnem Consulem cum Senatoribus dimitteret, laudatâqve horum religiositate perseverare in proposito juberet. Tantum potuit unius senis ad omnem posteritatem memorabilis fortitudo. Sed togata hæc fuit, & armorum usu contrà Dominum, qvantumvis accensum & innocentiæ pro tempore gravem, sibi interdicens. Propria Nobilitati militaria sunt facinora. Possum & his longâ serie claros enumerare Welleros. Sed è multis duo tantùm hîc nominabuntur, Georgius & Petrus *b)*, Hieronymi, Theologi ejus, qvem paulò pòst memoraturus sum, ille frater, hic filius: uterqve superiore seculo per Hungariam adversùs Turcas acerrimè dimicando, Georgius etiam emendâ vitæ precio victoriâ, celebritatem adepti. Transiit propagatione sangvinis Martius calor ad parentem usqve Jacobi nostri Georgium, diversum ab eo, qvem modò producebamus preciosæ emptorem victoriæ. Profectus & ipse non semel est ad Hungaros, ab iisqve stipendia merens furori Turcico masculè se oppo-

b) de his Spangenb. d. l. lib. XI. c. 46. f. 262.

bo posteà natalis exstiterit annus post mille sexcentos secundus. Hîc minimè illud tacuerim, eundem, sed ex duobus seculis, annum trigesimum qvintum duos Welleros & Theologiæ Doctores Witebergæ creatos, & paulò pòst castissimis amoribus implicitos vidisse conjuges. Qvæ omnia & his plura si componere inter se per minutias circumstantiarum, & sententiis adhibitis diducere vellem, novæ orationis argumentum se panderet. Verùm satis erit, hoc quidem locô, id unum affirmâsse, persequendis Hieronymi agnati vestigiis id effecisse Jacobum, ut ex universâ nobilitate, qvæ Lutheranis Ecclesiis Theologos peperit, nulla se prosopia, qvæ qvidem in mentem nobis nunc veniat, Welleriæ genti comparare audeat. Nam singulæ singulos dederunt, Staupicia Johannem, Amsdorfia Nicolaum, Polentia Georgium, Sperata Paulum, Zigleria Bernhardum, Hoheneccia Matthiam. Ex unâ Wellerorum domo duo prodierunt Ecclesiæ luminaria tanti splendoris, ut utrumqve vincendis sui seculi tenebris par esset. Raram alioqvi mixturam facit cum nobilitate generis sacrorum dogmatum excellens peritia: neqve satis convenire videtur chlamydi aut palmatæ tunicæ cum infulâ. Nemo certè Apostolorum, qvos disseminando per orbem terrarum Evangelio primos elegerat Salvator, non plebejus fuit. Nam qvòd Bartholomæum clarissimis

natalibus editum perhibent, avitum ejus ſtemma ab Regibus Indiæ derivantes, fabulæ qvàm hiſtoriæ propius habetur. Sed tamen perfacile Deo eſt, ex aqvilarum ovis columbas educere, & pro galeis avorum epiſcopales mitras imponere capitibus nepotum. Utiqve ad increpandas furentium cacodæmonum acies non minùs, quàm ad invadendas armatorum turmas, generoſo ſpiritu opus eſt. Cui laborum ac vigiliarum patiens corpus ubi acceſſerit, ſatis à naturâ videtur comparatum eſſe præſidii ad optima qvæqve niti volentibus. Tale corpus & Wellero noſtro divinitùs contigerat, non illud aliàs auguſtâ proceritate ſuper aliorum vertices aſſurgens, (Reges hæc forma & Imperatores decet,) ſed neqve humili nimium ſtaturâ deſpicabile: cui ad juſtam venerationem promerendam vividus in facie color, & cum virilibus annis ſuccreſcens ac laborum facundiam qvaqvaverſum conveſtiens barba, mixtæqve per omnem vultum ſeveritati gratiæ proderant. De cætero benè compacti artûs, & ad patientiam cujusqve temporis natus membrorum vigor, etiam puerum ad duriſſimas exantlandas moleſtias obfirmaverant. Intelligitis, Auditores, qvàm eximia in Wellero duo illa fuerint, qvæ fabricare ſibi nemo ipſe poteſt pro arbitrio, ſed aut ante ſe nata, qvaliacunqve ſint, aut ſecum nata, etiamſi maximè diſpliceant, circumferre per omnem ætatem cum deſpera-

ſperatione corrigendi cogitur. Qvis enim majores ſibi ſuos, autoresqve ſtirpis procreat? Qvis corpus, ſi morbidum à naturâ, ſi ſenſuum aliqvo deſtitutum, ſi debile, ſi deforme acceperit, ullo artificio diffinget in ſortem contrariam, tametſi herbas Medeæ adhibeat, qvibus ſvaviter fabulantur Poetæ ſeniles Æſonis artûs in juventutem fuiſſe recoctos? Qvicunqve parentes obtigerunt nobis, habendi ſunt; qvaliacunqve membra boni conſulenda. Wellerum neqve Avorum ſuorum pœnituit unqvam, fuerunt enim nobiliſſimi; neqve corporis, qvod naturæ benignitate ſortitus erat ejusmodi, qvale depingebamus modò. Dum corpus nomino, ſimul illa complecti me credite, qvæ animi ſunt ea qvidem, ſed corporis obſecuta temperamento non magis in poteſtate ſunt noſtrâ, qvàm temperamentum: aciem inqvam ingenii, robur memoriæ, celeritatem intellectûs. Qvæ qvàm præclara Beatiſſimus ſenex ex ipſis maternis viſceribus attulerit, qvorſum attinet hîc ediſſerere, Auditores, qvandò virtutes illas, qvarum catalogum Vobis hodiè dedit plurimùm reverendus Collegii Theologici Decanus, nihil aliud eſſe certum eſt, qvàm hujus tàm generoſi ſeminii flores in æternitatem vivaces? Ergò, qvod incepi dicere, qvæ duo vim immutandi noſtram omnem effugiunt, Parentum Avorumqve facinora, dein corporis atqve animi nativa conſtitutio, horum utrumqve DEUS ter Optimus

mus Wellero suo prolixâ munificentiâ opidò præstabile est admensus. Tertium, hæreditarias divitias, qvibus in perniciem suam pleriqve abutuntur, adeò denegavit, ut omnes pueritiæ, plurimos adolescentiæ annos transigere ipsum voluerit in eâ facultatum inopiâ, qvam delicatuli extremam vocarent. Hujus eum nunqvam intellectum est, ne qvidem in blandiorem vultum conversâ fortunâ, puduisse. Qvò magis faciendum hîc mihi reor, ut ipsam qvoqve doceam ad encomium ejus pertinere. Qvî autem non pertineat? cùm ipse huic molestissimæ subitorum profectuum adversariæ gladiator oppositus à DEO, pulcherrimo prælio sic eam edomuerit, ut qvem nascentem terra pauperrimum exceperat, eum viventem pauperrimi liberalissimum experirentur, morientem opibus per summam innocentiam partis egregiè auctum non dissimulent hæredes. Absit à nobis, ideò putemus adolescenti subtractas à DEO pecunias, ne haberet instrumenta luxuriæ, à qvâ magnum esse solet ætati lubricæ, si istæ affluant, periculum. Dederat ipsi contemptricem libidinum & crapulæ mentem, ut dubium non sit, etiam juvenem opibus rectè usurum fuisse. Sed debuit in eo post alias virtutes qvàm maximè sincera efflorescere liberalitas, qvam qvi ex avito patrimonio exercent, aliena largiri videntur; qvi ex opibus justo labore qvæsitis, propria. Illos necesse

cesse est ipsos virtuti suæ toties diffidere, qvoties cogitant, perfacilè amitti, qvæ nullo nobis impendio constent, cùm non nisi in difficillimis vim suam virtus exerat. Horum contrà, qvi maximâ cum molestiâ effossum nummum maximâ cum voluptate manibus suis elabi sentiunt in sinum alicujus egeni, non potest non esse testatior conscientia. Haud me præterit, ab Aristotele *i)* meo liberaliores pronunciari, qvi de paterno, qvàm qvi de suo marsupio erogant. Sed exponere nimirum ille voluit, qvæ vulgarior esset liberalitas ac facilior; ego in constituendo virtutibus interno precio, ejusdem Philosophi judicium secutus, difficultatem spectandam arbitror. Qvam qvi sic vincit, ut qvod pleriqve alii ægerrimè ab se impetrant, ut sudore suo saginent maciem alienam, id ipse non modò nullo cum dolore, sed summo cum gaudio faciat, is demùm ad genuinam se virtutem profecisse sciat. Non dubium est, Inclyti Viri, qvin limpidissimâ voluptate perfusum fuerit Beati nostri pectus, qvoties Augustino Rappolto, (cur enim ex innumeris Wellerianæ munificentiæ exemplis non unum adferam in hunc locum, atqve id ipsum qvidem, qvod nudius tertius auditum ex Te, Decane spectabilis *k)*, de patruo tuo recenti memoriâ te-

i) lib. IV. Nicom. c. 1. *k)* Fridericum Rappoltum tùm alloqvebar, Lipsiensis Academiæ Profess. publicum longè celeberrimum.

teneo?) qvoties igitur Auguſtino Rappolto, qvem formatorem pueritiæ per annos novem in ſcholâ Schlaccovverdenſi habuerat, pulſo in exilium, & cum ſenectutis deniqve incommodis conflictanti, ſaturatas aureo nummo literas miſit Wellerus, qvis eum credat non inſignem fructum tuliſſe paupertatis olim ſuæ, cùm exputaret, totum illud, qvod toties mitteret, ſuum eſſe, non Proavi, non Avi, ne Patris qvidem? Hæc ipſi ſvavitas qvotidiana fuit, ex qvo primùm tempore materiam liberalitatis ipſe domi ſuæ laborioſiſſimus artifex conſtruxit. Neqve enim temerè paſſus eſt abire diem, qvo non ex flumine ſuo rivulum in prata ſitientium deduceret. Hoc tàm ſinceræ delectationis emolumento privaverat eum DEus, ſi opulentum feciſſet, anteqvam cumulandis proprio niſu opibus habilem ætatem conſecutus foret. Cæterùm omninò ſic arbitror, voluiſſe Divinam Prudentiam, ut qvicqvid ſuæ poſt DEum induſtriæ utcunqve debere qvis poteſt, ſoli mortalium ſibi deberet Wellerus. Itaqve cùm claritudinem natalium, cùm corporis animiqve dotes infanti affudiſſet, in qvibus bonis, ſi abſint, comparandis fruſtrà ingenioſi ſumus: pari favore, qvo iſta dedit, exſpectandas à parentibus divitias recuſavit, ut ipſe hîc inciperet eſſe domeſticæ fortunæ faber, ea ſola majoribus imputaret, qvæ ab ſe petere velle inſipientiæ eſt. Exſpectatis, opinor, Auditores,

ut

ut qvo casu, qvem tàm nobilem feci, is à tot tantisqve majoribus nihil præter famam, flatumqve adeò, ut ita dicam, vocis hæreditariò acceperit, exponam. Eqvidem fateor inventas esse à Legibus vias, qvibus ad posteros unà cum sangvine generoso prædia qvoqve & gazæ transmitti qveant. Verùm & hoc scio vicissim, contrarios sæpè cuniculos à Supremo rerum humanarum Arbitro inveniri, qvibus posteri, etiam nullâ suâ inter homines culpâ, bonis avitis excutiantur. Tale qviddam & Wellerorum familiæ contigisse fatendum est, conivente DEO, ut opificio, honesto tamen, nobilitatem suam dissimularet Welleri parens: credo eum in finem, qvò ab his tenebris vindicatam luci denuò restitueret majore cum gloriâ filius. Opidulum Varisciæ Neukircha est. Hîc Georgius ille Wellerus, Jacobi nostri parens, legitimis nuptiis copulatâ sibi Dorotheâ Heseliâ, Theodosii Pastoris Mariæbergensis filiâ pudicissimâ, pistoriam exercuit. Inciderunt ea tempora, qvæ optimum civem, avitæ fortitudinis memorem, in militiam Pannonicam prolicerent. Domi res angusta relicta vix suppetebat alendæ familiolæ. Multa præclara ingenia paupertas arcet à literis. Sed qvod aliis impedimento est, Jacobus pro stimulo habuit, qvantoqve cum fastidio pueri ferè nostri solent Scholarium nomen accipere, tanto ipse desiderio festinavit in illa literarum seminaria: præsagien-

riæ fraudes, redditus, tandem Academiæ maturuit, cùm in ſcholis ubiqve condiſcipulorum induſtriam magnis paſſibus antevertiſſet. Anno ætatis vigeſimo ſecundo in almam Witebergenſem bonâ fide intulit ſarcinam illam paupertatis, qvam toto hactenus vitæ ſpacio paſſim circumtulerat: viarum impendiis eò usqve exhauſtus, ut non amplius uno obolo numeraret in totâ ſubſtantiâ ſuâ. Qvare per tempus aliqvod obeundis miniſteriis formandâqve pube victitavit: ita paulatim erumpentibus in culmum ingenii jam optimas artes fideliſſimè complexi donis, ut non modò impuberes filios in diſciplinam illi traderet Balthaſar Meiſnerus, celeberrimi nominis Theologus, ſed adultiorum non pauci operam ejus ſibi præſtinarent, ex eo videlicet genere, qvo hodiè magis qvàm vellemus, differtæ ſunt Academiæ, qvi qvod in ſcholis trivialibus didiciſſe oportuerat, ubi eas egreſſi ſunt, tùm primùm deeſſe id ſibi perſentiſcunt, tantúmqve non Profeſſores ipſos Academiarum reformant in Ludimagiſtros infimarum claſſium. In hoc temporis articulo ponere mihi nunc liceat confinia paupertatis opulentiæqve Wellerianæ. Obulus enim ille, qvi unicus ipſi ante portas urbis obhæſerat in ſtrigoſiſſimâ crumenâ, tanta capiebat incrementa indies, ut, qvod ſumptuum Magiſtro faciendum fuit, qvod Licentiato, qvod Doctori deniqve Theologiæ, condonantibus

qvi-

qvdem non pauca Fautoribus ingeniorum, id præcipuè tamen expromeret è ſcriniis privatis, cùm qvotidianis Collegiis lucroſum haberet numerum diſcipulorum. His iisdem præclaris artibus honores etiam munerum publicorum conſcivit ſibi, certatim operam ejus ambientibus Scholis, Eccleſiis, Aulis. Sed horum catalogum hîc non exeqvar, tùm ne abutar patientiâ veſtrâ, Auditores benevolentiſſimi, tùm qvia jam ſatisfeciſſe & huic argumento videtur concio matutina. Qvibus de cauſis tacebo qvoqve de favore, qvem in Aulis Principum, in Curiis Civitatum, in ſpaciis Academiarum, in Templis Eccleſiarum Vir omni humanâ ut laude, ſic benevolentiâ major collegit ſibi ineffabilem. Sentio enim effluxiſſe tempus dicendi, & prætereunda mihi eſſe judico, qvæ à nemine ignorantur. Itaqve ubi tantùm neceſſitudines matrimoniorum, & in ſobole ſuſcipiendâ felicitatem cæteris præconiis adjecero, non ero veſtris auribus ultrà moleſtus. Honeſtos amores addixit primùm Sibyllæ Grüzmacheræ, Chriſtiani Grefenthalii, qvo Protonotario uſum fuerat Witebergenſe Judicium, ſpectatiſſimi Viri viduæ. Hanc ubi tertius pòſt annus improlem exſtinxiſſet lue peſtiferâ, ſecundis votis ſocerum optavit ſibi Theologum immortali facundiâ, ut qvæ tot in ſcriptis ſuppetat, celeberrimum Paulum Röberum, beatitudinis æternæ commercio jam

jun-

junctum sibi. Cujus filiæ Christinæ Dorotheæ per omnem vitam haud dubiè non fuit unqvam atrocius inflictum vulnus, qvàm qvod obitu mariti desideratissimi ante hos undecim dies acceptum, ducendis eidem exeqvis hâc ipsâ horâ refricatur: præsertim cùm jam in dulcissimos filios intuetur, Georgium Paulum, & Johannem Jacobum, Theologiæ illum, hunc utriusque Juris studiosissimos; jam in tenerrimè dilectas natas, Dorotheam Mariam, Sophiam Christianam, Magdalenam Sibyllam, & Johannam Magdalenam, omnes amplissimæ dignitatis viris, exceptâ qvam nominavi ultimam virgine, elocatos; jam in ipsos Generos, Andream tonium, Sebastianum Gothofredum Starckium, Theodorum Wernerum Martinium, illum in inferiore Lusatiâ Cancellarium, istum Superintendentem Fribergentem, hunc Professorem Juris Wittebergensem. Hos ergò, & ex his nepotes suos cùm vel præsentes oculis usurpat, pullatos omnes, vel absentes cogitatione complectitur dejecto vultu tristitiam profitentes, Fœminarum ex paulò ante suprà cæteras felici nunc mœstissima: quàm acerbo ictu perfundi sibi pectus experiatur, cogitare facilius est, qvàm eloqvi. Sed neqve mentiar, si qvantum doloris illa persentiscit, tantundem à verâ Ecclesiâ percipi dixero. Scio eqvidem, unicum esse Sponsum Ecclesiæ Christum, qvi vivit utiqve & regnat, potentiqve dexterâ hostes omnes

ſcabellum ponere poteſt pedum ſuorum. Sed habet ille tamen his in terris ſponſores ſuos ac paranymphos. Inter qvos eximium unum his Provinciis fuiſſe Wellerum, cui jam juſta perſolvimus, non poſſumus recordari, qvin per evocationem ejus in orbitatem damnari nos intelligamus. Qvæ tantò amarior futura eſt, qvantò ſumus ab omni latere adverſùs rabiem Turcicam inte&iores. Regurgitat hîc mihi luctus, qvem deglutire hactenus, ut ſummi viri memoriam celebrarem, ſum conatus, & collectis ex morâ viribus aggerem rumpit. Ebullientis violentiæ qvod opponam, nihil invenio niſi preces. Qvas, Auditores honoratiſſimi, qvæſo vos, perqve jam ingruens periculum obteſtor, DEO mecum allegate!

Ad Te, ſancte DEus, ſancte fortis, ſancte miſericors hoc turbulentiſſimo rerum ſtatu confugimꝰ. Inter peccata noſtra & iram Tuam meritum unigeniti Filii Tui Jeſu Chriſti ſtatuimus Parce nobis! parce Eccleſiæ tuæ heu nimis alioqvin à falſis fratribus, à luxuriantibus per res ſecundas hæreticis preſſæ! Parce provinciis noſtris, in qvibus ſanctum nomen tuum habitat! Noli nos dare prædam crudeliſſimæ beſtiæ, qvæ plenis buccis qvotidianas in Te blaſphemias evomit! Serva Chriſtianos Imperatoris Romani aliorumqve Principum exercitûs! Largire nobis victoriam, qvi populum Tuum olim à Pharaone defendiſti! Perde ac trucida copias Turcicas,

qvi

qvi per Angelum qvondam unius noctis brevi ſpacio tot Aſſyriorum millia delere potuiſti! Dic verbum, & confuſi retrocedent, qvi jam laxato immani rictu minantur nobis exitium! Tuere ſub alis miſericordiæ Tuæ Sereniſſimum Principem Electorem cum Fratribus Celſiſſimis, electis Tuis! Jube ut ſub eorum feliciſſimâ gubernatione qvod ſupereſt mortalis vitæ tranqvillum & fortunatum exigamus! Ne patiaris exſtingvi lumen verbi Tui apud nos! Ne permittas, ut agri urbesqve veterum vaſtationum nondum planè oblitæ, novis incendiis, expilationibus, cædibus impleantur! Conſerva nobis hanc Academiam, hoc Opidum, & utriusqve Magiſtratum rege porrò ſpiritu juſtitiæ atqve concordiæ! Deniqve qvando placuit Tibi ſervo nos Tuo, qvi fidelis im omnibus Tibi fuit, nobis verò ſalutaris, orbare nuper: ſuffice qvamprimùm in ſedem ejus pietate, devotione, conſtantiâ, fortitudine, eloqventiâ, cæterisqve Spiritûs Tui donis illi parem! Non abbreviata eſt manus Tua, DOMINE. Duplicem ſpiritum Eliſæus abs Te tùm demùm accepit, cùm Eliam abſtuliſſes. Si non habent Wellero Tuo comparabilem hæ terræ, habere incipient, ubi Tu volueris. Fiat nobis ſecundùm voluntatem Tuam, DOMINE! voluntas autem Tua eſt, ut nemo pereat! Exaudi nos ſecundùm miſericordiam Tuam! In Te, DOMINE, ſpes noſtra: non confundemur in æternum!

ORATIO XVII.

Eucharistica pro Pace Turcicâ.

Habita A. 1665. d. 15. Octobr. in Templo Paulino,

cùm Turcico bello finito gratiæ DEO publicis feriis indictis agerentur.

SErenissimi ac Potentissimi Electoris Saxoniæ Legate Eminentissime, Perillustris ac Generosissime Baro *a*), Domine Gratiosissime, Rector Academiæ Magnifice, Viri plurimùm Reverendi, Consultissimi, Experientissimi, Spectabilis, Clarissimi, Pereximii, Præstantissimi: *Laudare DEUM in sono tubæ, in psalterio & citharâ, in tympano & choro, in chordis & organo, in cymbalis benè sonantibus, in cymbalis jubilationis* Regius Vates jubet *b*). Factum hoc est, anteqvam cathedram hanc adscenderem, fietqve denuò, ubi me iterum composuero ad descendendum. Nemo existimet, voluisse sanctissimum Davidem, ut intrà concentûs symphoniacos omnis nostra se contineat laudatio, qvi alibi animæ suæ & intimis visceribus hoc officium denunciaverit. *Benedic* enim, inqvit *c*), *anima mea Domino, & omnia, qvæ intrà me sunt, nomi-*

a) interfuit huic Orationi Generosiss. *Baro à Friesen Carolus*, qvem eo tempore Sereniss. Elector Saxoniæ Lipsiam ablegaverat. *b*) Psalm. 150. v. 3. 4. 5. *c*) Psalm. 103. v. 1.

nomini sancto ejus. Ergò dilectissimi DEO Regis mens hæc fuit, adeò, qvicqvid est in nobis, vacare Divini Numinis laudibus debere, ut ligno etiam, ut metallo, ut intestinis mortuorum pecorum, qvæ, si flatus hominis aut impellens digitus absit, muta sunt omnia, officiosam ad canendas DEO gratias vocem largiamur; cæterùm in his universis aures DEI unicè arrectas esse ad illud carmen, qvod intimæ pectoris fibræ modulentur: cui etiam excitando buccinarum illi clangores ac fidium consonantiæ qvalecunqve ministerium præstare soleant. Qvare & consilium vestrum, Academici Patres, post harmonicos varii generis organorum numeros unius hominis vocem in hoc templo vestro sonare jubentium, sic accepi, velle Vos lingvâ meâ pro interprete uti cogitationum Vestrarum, in hymnos DEO cantandos religiosè defixarum. Qvâ in re si non fallor, imò potiùs qvia certum habeo me non falli, agite, Auditores universi, & è cantico Davidis ea, qvæ lætitiæ præsentis diei maximè sunt consentanea, mecum ab intimis cordium penetralibus depromite, sensum qvidem à Regio Psalte, sermonem verò latinum à Poetarum ævi superioris haud postremo *d)* mutuantes.

Mens animi, penitas, si qvis vigor, exere vires,
Excutiensq; sinûs, secretaq; pectoris ima,

d) scil. Georgio Bersmano, cujus è paraphrasi in Psalm. 103. qvædam hîc omisi, paucula mutavi.

Prome DEO laudes nomen venerata colendum:
Qvi veniâ indulgens tibi culpæ admissa remittit,
Et vitii saniem primævaqve vulnera sanat,
Expedit & vitam laqveis & compede leti;
Qviq; tuam, senium ponentis præpetis instar,
Vernantem renovat juvenili flore senectam.
Jus reddens DEUS oppressis, ultorq; Tyranni,
Qvi ferale tua tendebat rete saluti.
Scilicet ad pœnas cunctans, ad præmia velox,
Non iram exercet memorem, nec jurgia nectit,
Nec pœnam nostræ meditur pondere culpæ.
Qvantus enim ætherias cœli suspectus ad oras,
Orbe qvod immenso terrarum amplectitur orbem,
Tanta suæ majorq; etiam bonitatis in omnes,
Ipsum qvi reverenter habent, mensura redundat.
Qvàm procul occiduis veniens sol distat ab undis,
Tàm procul à nobis noxæ delicta removit.
Utq; patrum teneros fovet indulgentia natos:
Sic amor in sobolem subit & miseratio Jovam.

Enimverò qvis neget, hoc anno & superiore ita nobiscum egisse DEUM, qvemadmodùm solet indulgens pater cum liberis non obseqventissimis? Meriti eramus illas omnes calamitates, qvas fœdo admodùm exitu inferre solent regionibus bella Turcica. Jamqve adeò crudelissimi Tyranni acinacem pro virgâ in nos vi-

vibraverat scelerum nostrorum vindex DEUS; jam Pannonia, Moravia, finitimæqve provinciæ miserabilem sui aspectum oculis nostris ingerebant; jam citius nihil exspectabamꝰ, qvàm ut in has etiam oras flamma feralis proserperet. Hîc Pater Clementissimus misericordiæ suæ memor obicem incēdio posuit, à fortunulis nostris vastitatem, à cervicibus servitutem, à jugulis gladium, ab animabus desperationis laqveum submovit. Hoc beneficium DEI qvi non maximum esse agnoscit, is profectò dignus est, qvi Beglerbeji alicujus aut Bassæ mancipium factus qvotidianas scuticas degustet, ut experiendo discat, qvid intersit inter eum, cui pepercit vindicta cœlestis, & eum, qvem ad pœnam debitam eadem vocaverit. Et tamen tanta naturæ humanæ est perversitas, ut facilè rationes excogitet, qvibus magnitudinem simul beneficii extenuet, simul agendarum DEO gratiarum officium subterfugiat. Etenim hâc pace, qvæ hostem arce occupatâ non exegerit, negat ablatam esse patriæ nostræ vastitatem, sed dilatam: ac fortasse ne dilatam qvidem, sed nihil aliud mutatum, qvàm vastatorem; videlicet his induciis effectum esse, ut vires qvorundam alioqvi Turcis opponendæ in Lutheranam Ecclesiam verti possent. Non dubium est, hujusce generis cogitationibus, nisi freno qvodam inhibeantur, pietatem & gaudium huic diei debitum dilui vehementer posse. Qvapropter

putavi, Orationi meæ vix ullum co
argumentum fore, qvàm si adversus
unculas istas magnitudinem divinæ
nis defenderem. Hoc enim pacto fi
guror, ne & nos temerè veternus ille
& ubi laborantes eo alios fortè dep
mus, iis faciliùs tàm inimicum piæ
morbum demanus. Si meam causa
aut hominis cujusqve, ineloqventia
hujus lingvæ excusarem Vobis, deinde
Generosissime Baro, Auditores Hon
benevolentiam precarer. In causa
balbutiei meæ me pœnitet, qvi sciam
tium qvidem ora in DEI laudes ab
ta reputari *e)*: & favorem vestrum
turum confido. Sed tamen ne pla
qvis ad qvos verba faciam, oblitus:
rem supremi Numinis, Generositate
Amplit. & Claritates vestras obtestor
immerenti licet, audientiam dare cœ
me ad finem usqve oratiunculæ gratiose
nignè proseqvamini.

Qvi tubos opticos fabricare norunt,
rum maximè, & eorum extremè pu
generum instrumentis visui nostro illudere
lent, dum aliàs maximis rebus incredibi
exilitatem, aliàs minimis magnitudinem
pendam conciliant. Non mentiar, si dicam
simili

---

e) Psalm. 8. v. 3. *Ex ore infantium & lactentium per-
fecisti laudem.*

ſimili artificio jam in paradiſo commorantes ab illo fallaciarum omnium architectoSatanâ irretitos fuiſſe primos humani generis autores,cùm per tuborum alterum, qvos ab eo ſibi oblatos heu nimis cupidè admiſerunt, beneficentiam in ſe Creatoris, qvæ longè maxima erat, velut opidò curtam, & adhuc invidiæ pleniſſimam; per alterum, vetitæ arboris uſum, qvi nullus erat, ac potiùs planè peſtilens, ut ampliſſimum intuerentur. Certè ex horum genere tubum eſſe dixerim, per qvem neſcio qvi homines Pacem illam, qvam ſuperiore autumnoGlorioſiſſimus Imperator noſter Leopoldus cum Achmete (ſive Mahometus ille eſt) Turcarum Tyranno pepigit, ut exiguum neqve adeò magnis dignum præconiis (proh nefas!) DEI Beneficium conſpicere ſibi videntur. Enimverò contrà nunc oſtendam, ſpeculationes hujuſcemodi non immitti aliunde, qvàm ab eo, qvi primis olim parentibus munificentiam in ipſos divinam elevabat: ut adeò modis omnibus eas, ne pietatem occidant noſtram, frangere oporteat. Qvod qvi non faciunt, eos in graviſſimo verſari periculo demonſtrabo. Atqve ut de conſilio meo planiùs Vobis, Eminentiſſime Legate, Auditores Humaniſſimi, conſtet, non cum iis jam rumuſculis manum conferam, qvi pacificationem illam, ut alieniſſimo ſuſceptam tempore, neqve multum proficuis conditionibus initam criminantur: fuiſſe utendum vi-

ctoriis & in Christianorum partes transeunte fortunâ; post Nitriam manibus barbarorum extortam, post captum Levensium non antè qviescendum fuisse, qvàm Nihuseliense propugnaculum qvoqve asseruissemus nobis: cæterùm hujus possessione per articulos pacis Tyranno confirmatâ qvid aliud actum, nisi relictam illi clavem, qvâ sibi portam in intima usqve Germanici Imperii, qvoties populandi libido veniret, aperire posset? Hæc ita multorum sermonibus agitari, nemo nostrûm ignorat. Verùm his respondere, qvanqvam in promptu sunt argumenta, non est hujus neqve loci neqve instituti. In templo me jam loqvi recordor, non in aula: & DEI causam ut agerem, huc venisse, non hominum. Sed hujus interim qverelæ tenor memoriam mihi refricat earum rerum, qvas anno superioris seculi septuagesimo secundo evenisse didici. Eadem enim fabula, theatro tantùm & personis aliis, per illam tempestatem acta est. Exuerat Venetos insulâ Cypro Selymus secundus. Hunc ipsi vicissim ubi sociorum classe adjuti memorabili ad Naupactum prælio vicissent, & plerisqve navibus, omniqve prope apparatu bellico, adhæc non exiguâ militum fortissimorum, neqve obscuri nominis Ducum copiâ mulctavissent, non dubitavére tamen pacisci, & ita pacisci, ut Cypro se abdicarent. Indignè hanc rem ferentibus, & accusantibus, qvòd

qvòd ſpem egregiam fefelliſſent, ipſi ita reſponderunt: negotium ſibi eo cum hoſte fuiſſe, qvi, qvaſi nihil damni eſſet clade maritimâ paſſus, ſtatim altero vere non minorem ferè claſſem è portu emittere, cum victrice denuò congreſſuram, potuerit; ceterùm ſociorum experiri ſe majorem in perſeqvendâ tàm illuſtri fortunâ cunctationem, qvàm communis cauſa poſtularet: ergò in re ancipiti, cùm haudqvaqvam ſibi par tanto cum hoſte certamen fore de poſtero intelligerent, minimè ſe peccaſſe, qvòd ſalutaria ſpecioſis anteferre, neqve in ſuam perniciem pertinaces eſſe voluerint. Hæc aut his ſimilia ſi qvis ad noſtri qvoqve temporis rationes accommodet, à vero is non magnoperè abludet fortaſſe. Verùm, uti dixi, neqve deliberatum eſt mihi, neqve datum negotium, ut cum illis congrediar, qvi humana conſilia ventilant. Aliud hominum genus eſt, atqve ſuperioribus magis intolerabile, qvi ne DEO qvidem hîc parcunt, ſed, tanqvam cum eo egiſſent ex pacto, majora, qvàm ipſi largiri placuit, ab eo poſtulant. Horum mihi nunc retundenda eſt audacia: cum horum impietate ut confligar, Veſtri, Auditores, nutûs invitant, præſentis diei religio ſtimulat, locus ipſe DEO ſacer flagitat. Animadverti autem, ſermones eorum eſſe ferè hujusmodi: Cùm illa barbari hoſtis in Hungariam irruptio nunciaretur, ſperâſſe ſe ajunt, poſtremam

mam illam rabiem canis mox trucidandi fore: enim verò blasphemiis in DEUM, rapacitate, sævitiâ, immanitate diu promeritum esse Turcam, ut regnum ejus divinitùs exscinderetur; favere huic spei apocalypticas qvoq; visiones, atqve alia magni ponderis juxta & numeri vaticinia, qvæ terminum imperii Ottomanici in hos ferè annos dudum conjecerint; qvibus & Romanæ sedis ruinam jam diu maturescentem exspectare fas sit: nimirum ut utroqve jugulato Antichristo delicatos dies agere in his terris incipiat Ecclesia, metuendiqve sublatis causis omnibus in altissimâ securitate conqviescat: hos circulos opinione citiùs turbatos esse sibi ab illâ pace, qvæ rem Christianam haud paulò iniqviore loco, qvàm ante Pannonicum bellum, fuisset, in qvamcunqve partem vertamus oculos, reposuerit. Jam satis, opinor, intelligitis, Auditores, cum qvâ factione suscepta mihi præcipuè sit contentio: cum eâ nimirum, qvæ nescio qvod aureum seculum somnians, & sibi jam de visis ejus primitiis gratulata, ubi magnificam exspectationem decollâsse videt, tanqvam passa esset à Deo injuriam, indignatur, seqve deceptam conqveritur. Sanè verò decepti sunt, qvi hostes Ecclesiæ per hæc ipsa tempora deletum iri credebant, sed à se ipsis decepti sunt. Se ergò incusent, secum ipsi litigent, sibi convicia dicant, non opera DEI extenuent. Primò qvis eos sperare jussit, qvæ non essent

even-

eventura? præsertim cùm longè se major ostenderet undiqvaqve formidinis materia. Scio eqvidem, inter Christianas virtutes præclarum esse spei locum, & hâc in re vel inprimis commendare se religionem nostram, qvòd in adversissimis etiam casibus constitutum hominem, modò DEO sit plenus, neutiqvam concidere animo patitur, sed cruciatûs etiam durissimos certâ meliorum fiduciâ superare docet. Atqve hæc qvidem spes neminem, qvi totum se divinæ permitteret voluntati, fefellit unqvam. Verùm ea in æternis bonis defixas animi curas habet, non in iis, qvæ temporum vicissitudinibus obnoxiæ sunt. Qvòd ergò speraverunt illi beatuli, non damno; qvòd sic speraverunt, in eo aliud, qvàm DEUS voluerit, eos sperasse, declarat nimirum eventus. Itaqve ut placidè cum illis agam, ad infirmitatem discipulorum Christi ducendos puto, ut errorem suum, qvi nec novus est utiqve, nec infreqvens, aliorum edocti exemplo discant refutare. Discipuli Salvatoris maxima sibi de Magistro pollicebantur. Et omninò maxima daturus mundo advenerat, qvi de maximo minimus fieri voluerat. Verùm illi opinionis aberratione cùm spiritualium bonorum, (hæc enim verè maxima sunt,) Recuperatorem æstimare debuissent, ad caduca hæc & fluxa respectantes unicè, hinc Pharisæorum exstirpatorem, illinc Herodis atqve Romanorum ingenti-

bus

bus præliis victorem, (neqve enim habebat per ea tempora cætus fidelium inimicos atrociores,) sibi comminiscebantur. Hâc tantâ, ut ipsis videbatur, spe depulsi cùm retrò labi omnia, cùm vindicem suum ligari, cædi, conspui, subsannari, ultimo deniqve supplicio affici conspicerent, mortem ipsius, in qvo maxima sita erat vis beneficii divini, in alia omnia interpretabantur. Sic eveniebat, ut lætissimum Paschatis diem, qvo congratulari mutuò debebant, dejectis in terram vultibus mœstissimi transigerent, nec aliud ipsi percontanti Christo responderent, qvam sperasse se fore, ut Israel ex illorum temporum angustiis liberaretur: cæterum hanc spem turpiter evanuisse. Qvæso Vos, Generosissime Baro, Auditores Optimi, qvid aliud speraverunt illi, qvi magnitudinem hodiernæ lætitiæ diffitentur, qvàm Regnum ei, qvod sibi simplicitas Apostolorum confinxerat, non absimile, in qvo de hostibus ad internecionem trucidatis triumphum ageret Ecclesia? Corrigant ergò cum Discipulis nunc sententiam suam, neqve nobis hujus hilaritatem diei perturbent. Satis erat istis, Christum, qvem pro occisissimo habebant, adhuc vivere. Satis esto nobis, qvòd in hoc templo, in hâc urbe, in his provinciis, in qvibus vocem Evangelii ne Turcicus furor extingveret, metuere poteramus, ut in hostium sangvine manûs lavaremus, sperare, per merita certè nostrâ, non potera-

teramus, adhuc vivit Chriſtus Dominus, & animabus noſtris de ſecuritate bonorum immortalium proſpicit. Neqve tamen ita, qvæ dixi hactenus, accipi velim, tanqvam ſpes omnis temporalium rerum damnetur. Novimꝰ, qvid ſponſæ ſuæ promiſerit Chriſtus, nunqvam fore, ut vel inferorum portæ, nedum Ottomanica illa, adverſus eam prævaleant. Novimꝰ pietati propoſita eſſe non æternæ tantùm, ſed hujus etiam vitæ præmia. Verùm & hoc didicimus, robur illud Chriſtianæ gentis non eſſe robur beſtiæ, dente, ungulâ, cornu omnia conterentis, ſed robur ſcopuli, ad inſanientis pelagi fluctûs & minaces ventorum procellas immoti. Itaqve non metuimus eqvidem, ne qva vel undiqve conſpirantium adverſꝰ veram Eccleſiam hoſtium violentia nomen Chriſtinianorum funditùs evertat, eqve terrarum finibus univerſis expellat: ſed nec ad cujusqve belli Turcici famam in pollices pedum ſtatim erigimur, qvaſi tàm diu ferocientis beſtiæ mactationem jamjàm intuituri. Porrò qvicqvid factum eſt nobis à DEO promiſſionum temporalium, id habere crucis exceptionem, ignorare nos non decet. Nimirum vera beneficii ratio in eo poſita eſt, ut proſit accipienti, non ut ſenſûs titillet modò, & illam fortè ſpacii brevis dulcedinem majore moleſtiâ penſet in poſterum. Ergò prudens futuri DEUS ſæpè magnum, ut opinamur, beneficium nobis majore beneficio negat, aut ra-

tiones

tiones dandi sic moderatur certè, ut nec omnia concedat nobis, qvæ cupimus, nec nihil: in eo, qvod concedit, clementiæ suæ pignꝰ exhibens; in eo qvod negat, indignitatis nostræ nos admonens, & luxuriam nimiæ felicitatis præveniens. Qvis nescit, hoc eum consilio Palæstinæ populos, cùm terram eorum suæ genti destinavisset, non exscindi penitus voluisse, ut essent videlicet, qvi & fortitudinem illius exercerent, & subinde plecterent flagitia. Vix est, ut alio fine hostes Ecclesiæ suæ DEUS diurnare siverit hactenus, qvàm ne virtuti nostræ materia, vitiis flagellum deesset. Eapropter qvi Regni Turcici eversionem qvasi jam ingruentem animo præceperunt, ubi vident, nihil minùs evenisse, non invidiæ DEUM postulent, sed semetipsos condemnent avaritiæ, optandi modum ex libidine suâ, non ex habendi necessitate metientis. Omninò sic existimo, Auditores, non esse qvidem nefas in adversis rebus erigere animum præsumptione serenioris fortunæ: sed hanc velut in tabulâ depictam suisqve lineis omnibus exactissimè figuratam, qva si jam manibus teneretur, certò polliceri, nisi clarissima DEI sponsio fidem faciat, hominis esse svaviter somniantis. Cui somnio si manifesta insuper rerum præsentium facies refragetur, qvid aliud superest, nisi ut vigilantis isthoc sit somnium, non dormientis? Et verò ubi redimus in memoriam totius temporis, qvo in ar-

mis uterqve ſtetit exercitus, obſecro qvid fuit magnoperè, qvod aut imperio Tyranni, tàm firmis in eum usqve diem radicibus fixo, minaretur interitum, aut noſtris vel omnes nervos intendentibus certum triumphum promitteret? Qvicqvamne mutatum eſt earum rerum, in qvibus cauſas Turcicæ magnitudinis jam ante ſeculum perviderunt prudentiſſimi talium arbitri? cùm expenderent, conſilia Turcarum & inſtituta rei civilis omnia referri ad bellum; ſeveriſſimis legibus gubernari militarem diſciplinam; ad belli peritiam homines tantùm non in cunis adſveſieri: bellicis virtutibus amplisſimos honores, pingviſſimas mercedes conſtitui; contrà leviſſimas etiam in hoc genere noxas capitales haberi; ne infelicitatem quidem pugnandi impunem eſſe; ad bellum deniqve ab ipsâ Mahometis religione populum incitari; horum apud nos contraria eſſe omnia: porrò ad unius hominis nutum tot regna dicto citiùs in aciem formari; viciſſim apud nos, ſub imperio videlicet minùs adſtricto, ſæpe annos integros conſultationibus bellicis abſumi. Qvid infelix illud commemorem diſſidium ſacrorum, qvod coaleſcere vix unqvam ſatis firmiter ſinit animos tàm diverſis ritibus à pueritiâ innutritos? Itaqve memini ſapientiſſimum qvemqve mirari, qvoties rerum noſtrarum tàm triſti ſtatu proſperrima nobis omnia, hoſtibus adverſa denunciaret aliqvis ex eorum hominum cenſu,

qvi in trepidatione communi, cùm qvod agerent, nihil haberent, inane dolium, in qvo ipsi per qvietem sibi visa reposuissent, magno cum strepitu volvendum sibi per plateas putavére. Cæterùm his somniantium nugis nihil aliud qvæsivit Satanas, qvàm ut animos hominum non modò à sensu pœnæ tùm præsentis, qvam peccatis Germaniæ iratus DEUS immittebat, averteret, verùm etiam, ubi misericordiæ suæ recordatus idem Clementissimus Pater ab illis angustiis respirare nos paulisper voluisset, ingratitudini præpararet. Enimverò in pueris hoc observare possumus, eos ubi à parentibus vel pædagogo justis verberibus excipiuntur, cùm flagitiorum suorum, qvibus ista meruissent, memores esse deberent, atqve ad iram toties provocatam sensûs habere excitatos, crepundiorum imaginatione semetipsos consolari. Qvæ ubi remotâ post paulum virgâ non ilico se dent sub manum, Patri succenseant etiam, nec benignitatem ab usurpandâ continuè ferula qviescentis agnoscant. His pueris opidò similes fuisse videntur mihi, qvi cùm ex Turcici belli rumoribus alii contremiscerent, ipsi à contemplatione præsentis iræ ad nescio qvos aureos montes abducebant sese; nunc ubi hos nullos esse conspicantur, pro hymno, qvem misericordiæ Divinæ debebant, in qverelas effusi. Præposteri homines, qvi ubi lacrymis opus est, choreas agunt; ubi tripu-

pu-

pudiis, ad complorandum parati sunt. Hujus morbi qvi scaturiginem ultimam investigabit, vix aliam, credo, inventurus est, qvàm spem intempestivam & æqvo majorem. Utiqve ut aliorum affectuum, sic sperandi metuendiqve certum artificium est: in qvo si qvis probè exercitatos possideat animi motûs, is facilè ad virtutem enitatur; vicissim, qvi deserat modum, in vitia præcipitet. Magna non virtus tantùm, sed felicitas est vitæ humanæ, suâ sorte esse contentum, qvam virtutem uno vocabulo exprimentes Græci αὐτάρκειαν vocant. Hæc illa est, qvam ipse Apostolus Paulus *f)* juxta cum pietate magnum vocat & uberem qvæstum. Tanto se bono per summam imprudentiam fraudant, qvi sperandi in adversis mediocritatem sectari nesciunt. Etenim oportet nunqvam ille inveniat locum ubi qviescat, qvi metam, viribus suis aut decreto divino majorem, præstituit sibi; perpetuo se labore maceret necesse est, qvi avem volando attingere se posse speret. Talis eorum vita est, qvi blandiuntur sibi illarum exspectatione rerum, qvæ aut nunqvam sunt, aut ipsis demum exstinctis, eventuræ. Qvi virtutum præcepta literis mandaverunt, inter alia maximæ salubritatis consilia hoc etiam reliqvére nobis, ut suam qvisqve sortem non cum lautiore civium beatiorum componamus, sed cum ærumnis atqve miseriis infelicissimorum:

f) 1. Timoth. *6.* v. *6.*

rum: ſic enim futurum eſſe, ut qvamcunqve fortunulam nobis benigna DEI voluntas indulſerit, eâ pro ſatis prolixâ fruamur. Hîc parum intereſſe arbitror, comparandi menſuras ab aliis accipiamus, an à nobis ipſis. Æqvè infelix eſt judicio ſuo, qvi dolet abeſſe ſibi, qvod in aliis videt, qvàm qvod in ſe per fallaciam ſpei præceperat. Æqvè felix, qvi alienas calamitates præſentes, qvàm qvi præteritas ſuas domi ſuæ non invenit. Transferamus ergò tam ſalubre monitum in hodiernum diem, ejusqve pretium pendamus è præteritorum annorum anxietatibus magis, qvàm futuri hoc in orbe chimærici ſeculi deliciis Abundè, ut reor, planum feci hactenus, Domine Gratioſisſime, Auditores optimi, qvi in hoc publicum gaudium non tantum hilaritatis afferunt, qvantum decebat, eos nimium ſperando peccavisſe. Sed qvoniam ipſi tamen videntur ſibi affectus iſtius graves utiqve habuiſſe cauſas: agite, has etiam excutiamus, ut ubi leves eſſe potiùs patuerit, vel ipſorum, ſi patiantur, morbum in fonte ſanem9, vel nobis certè, præſtantiam divinæ liberationis decenti encomio celebrantib9, valetudinem noſtram, qvæ DEI eſt gratia, confirmemus. Ajunt, ideò ſe in ſpem illam fuiſſe erectos, ut imminere Ottomanico imperio ſuam ruinam his maximè temporibus crederent, qvia & puniri tandem perditæ impietatis gentem convenerit, & in hos dies noſtros

Tur-

Turcicæ periodi terminos tot illustria conjecerint magno cum consensu vaticinia. Duas causas proferri video, si in argumentis rectè se habeant omnia, nec in accommodatione sit aliqvis lapsus, maximi profectò faciendas. Altera enim Justitiâ DEI nititur, altera Veritate. Qvas duas virtutes tàm firmas esse certissimâ tenemus fide, ut cœlum citiùs ac terra ruitura sint, qvàm illæ vel minimam contrahant labeculam. At enimverò, ut justum esse DEUM scimus, ut veracem confitemur: ita terminos dierum certos, qvibus hæ virtutes in exercitium abeant, qvando nobis, anteqvàm eventus in aciem oculorum incurrat, occultos eos esse ipse voluit, definire verecundamur. Imò verò, qvod ad ignem Justitiæ Divinæ attinet, valdè metuo, ne plus ea in nobis reperiat materiæ comburendæ, qvàm in Tartaris aut Turcis. Viget apud nos, fateor, Christiana religio, qvæ sola cœlestis regni depositum servat, qvam isti derident. Qvid verò si convenientiùs illi vivant religioni falsæ suæ, qvàm nos vivimus veræ nostræ? Qvid si Jesu Christi qvoqve nomen, qvem tamen æternum DEI filium esse inficiantur, reverentius habeant, qvàm multi de nobis, qvi pro interjectione usurpant ludicris etiam rebus inferendâ? Qvid si temperantiâ victûs, si frugalitate cultûs, si laborum patientiâ, si fide commerciorum, si virtutibus aliis plerosqve nostrûm multis passibus antecedant? Sed

age, sint illi deteriores omnes, qvàm pessimus de nostro grege. Servi sunt: nos Filii. Spiritum adoptionis non acceperunt, qvem nos in sacro fonte induimus. Supplicium illis suum post hanc vitam paratum est, pice & sulphure ardens lacus: nobis ut incendium illud effugiamus, vix alia sæpe patet via, qvàm per aqvas tribulationis. Similius igitur vero est, ubi tales filii DEI cum talibus servis qvasi gladiatorio qvodam ludo committuntur, id agi à Supremo Numine, ut servi sint pædotribæ filiorum, qvàm filii carnifices servorum. Sed hæc nimirum nativa nobis ex lapsu Adami distortio est: ubi vocamur ad pœnas, oculos, qvos in nostra par erat convertere vitia, dirigimus in aliena, cumqve nos debebamus, inculpamus eos, qvibus pro instrumentis justitiæ vindex utitur DEUS. Ita fieri necesse est, ut cùm alius causæ est exitus, qvàm præsumebamus, cùm hostes nobis ad extremum aut victoriis, aut conditionibus pacis experimur superiores, nostræ nos fortunæ pœniteat, diemqve festum, qvem canendis debebamus gratiis, murmurando transigamus. Verùm hanc exprobrationem, Auditores pientissimi, ad eos pertinere volo, qvi cùm lacrymandi tempus esset, nimis præcipiti maximæ fortunæ aucupatione hodierni gaudii causas præsciderunt sibi. De Vobis exploratum habeo, neminem esse, qvin gratulatione debitâ præsentis diei svavitatem unà mecum degustet.

ſtet. Nimirum nihil ex eâ delibavimus alieno tempore, nec majores noſtris meritis, (qvanqvàm his majus eſt profectò, qviqvid læti nobis etiam ſpes moderata proponebat,) ante victoriam triumphos cecinimus nobis. Qvin potiùs in arcanum ſui qvisqve pectoris converſi, ſecundùm ea, qvæ tùm ſingulos intrà ſe mordebant clanculùm, tùm opere manifeſtario prodebant univerſos, caſum futurum anxiè metiebamur. Mihi qvidem adhuc fibræ contremiſcunt, cùm cogito, qvantus me terror occupaverit videntem, irato DEO qvàm perditi qvorundam mores occurrerent publicè, ac prope eſt, ut dicam, per neqvitiam illuderent. Imperio toti Germanico truculentiſſimus timendus erat hoſtis. Unius in eſſentiâ DEI, in perſonis trini, adoratores bello petebat Mahometanæ perfidiæ tutor. Optandum erat, ſicut nomine Chriſtiano gaudemus omnes, ita nihil eſſe circà religionis articulos capitales diſſidii. Verùm evenit Satanæ fraude, ut cùm paulatim pulcherrimum alioqvin Eccleſiæ corpus peſtilentes puſtulæ non paucæ corrupiſſent, ad ſanitatem ſe qvibusdam recipientibus membris, horum alia viciſſim novos morbos contraherent. Satanæ molitionibus, inqvam, factum eſt, ut ægrota membra & à ſanis, & ipſa pro diverſis morborum generibus inter ſe diſſiderent. Enimverò ſuperiore jam ſeculo Imperium Germanicum in tres maximè fidei

 confeſ-

confessiones distractum fuit, qvas Lutheri, Papæ, Calviniqve nominibus internoscere solemus. Ergò cùm in hoc Imperium tempestas Turcica denuò desæviret, navem Jonæ vidisse te diceres cum fluctibus ac ventis confligentem: nam & hæc sectarum homines diversarum vehebat. Sed qvàm dispar vicissim, si mores vectorum consideres, illa navis nostræ fuit? Inclamabat alter alterum pro socio, non conviciis impetebat pro hoste. Preces ad DEum qvisqve suum fundebat, non diversas religiones & malè cohærentes confundebat. Jonam, qvi peccaverat, qværebant cæteri, non ad necem, sed qvi verum DEUM, cessantibus aliorum Deastris, interpellaret. Cùm reum ipse se diceret, nec aliter salvum esse navigium posse, nisi hominis noxii jacturâ, miserebantur omnes, exhorrescebant, omnia tentabant, ne perdendo nocente ipsi fierent nocentes. Possumusne his similia de nobis prædicare? Si ex vitæ sanctimoniâ judicanda res est, non unus, sed omnes peccaveramus; sin ex veritate religionis unica vera est, eaqve nostra. Erupit repente maleferiatus apostâta *g*), qvi qvam suæ religioni præcipuè imputare poterat culpam, in nos transferret, eamqve hypothesin defenderet subinde novis charris, nescio maledicis magis, an seditiosis. Certè qvorum voluntates vel ex pace religionis ante annos haud ita

g) Joh. Schefflerus.

ita multos ſanctè initâ, vel ex communis periculi reſpectu conglutinatæ eſſe debebant, eorum animos, iſtâ qvidem ratione, non leviter ſauciari potuiſſe atqve exacerbari, manifeſtum eſt. Ex aliâ parte pugnantium religionum in concordiam non civilem, quâ opus tunc erat, ſed eccleſiaſticam, qvam conditio materiæ abnuit, ferruminatio *b*), æris videlicet atqve argillæ, calidiſſimis fornacibus tentabatur, operæ precio ſuperioribus conſiliis planè contrario. Videlicet, cùm inventus eſſet, qvi civilium fœderum, qvoad ipſe poſſet, vincula convelleret; reſtabat, ut ſurgerent, qvi lucem inter ac tenebras paciſci conarentur, non minùs DEO inviſi, qvàm iſte ſe abominandum hominibus effeciſſet. Porrò hæc utraqve inter ipſos belli Turcici ſtrepitûs alieniſſimo tempore vel inchoata meminimus, vel certè non finita. Sed hæc extrà muros, ut ita loqvar, Iliacos fuére peccata. Qvid intrà exorbitaverint cives, cùm politici eo de bello argumenti ſcriptio minimè liberalibus jocis exciperetur, tacere in præſentiâ malo. Atqve hæc ſcribendo tantùm minùs ad illius temporis conditionem accommodatè geſta ſunt. Qvid memorem, qvæ geſta fuerunt vivendo? Hoc auſim affirmare, Auditores, Vobis omnibus, cùm hæc talia prohibente nemine fieri tùm cerneretis, nihil minus in mentem veniſſe, qvàm his

b) Syncretiſtarum.

virtutibus merituram esse Germaniam, non dicam, ut capitibus Turcarum insultaret, sed ut gentis immanissimæ crudelitatem effugeret, præsertim cùm timorem publicum diri etiam cometæ augerent. Scio fuisse fanaticos homines, qvi visam de hoc genere ante hos annos qvatuor crinitam stellam editâ in publicum paginâ interpretarentur pro præcone auspicandæ propediem qvintæ Monarchiæ spiritualium hominum. Non ignoro, esse doctissimos qvosdam viros, qvi significandi vim in istis facibus vehementer elevent; nec abnuo, commentariis, qvæ in illa cœli ostenta, præsertim à divinatoribus astrologis, emitti solent, multum inesse vanitatis, multum superstitionis: sed imperare tamen mihi nunqvam potui, ut eos damnarem, qvi cometas pro nunciis habent, qvibus mortales scelerum suorum admoneat DEUS, & ad pœnitentiam invitet. Ideò cùm inusitatâ multitudine tàm infelices monitores increbrescere videremus, non fuimus vulgariter perculsi. Jamqve adeò conscientiâ qvoqve succumbente parabamus nos ad excipienda, qvæ meriti essemus, flagella. Qvò majorem necesse est fateamur esse Clementiam Numinis Divini, qvæ nostri miserta non dedit nos prædam illi tigridi, sed hanc Nihuselianæ arcis objectâ qvasi offulâ contentam esse jussit. De Justitiâ DEI satis mihi verborum fecisse videor. De Veritate, qvod restat, ubi

ubi pauca locutus fuero, finem faciam dicendi. Verax eſt DEUS in promiſſis, neqve fas eſt dubitare, qvin minutiſſimus etiam divinarum prædictionum apex habiturus ſit ex eventu præſentiſſimam fidem. Quare de fine tyrannidis Ottomanicæ qvæ ſacris prodita ſunt literis vaticinia, ſine controverſiâ implebuntur. Verùm hoc etiam doceri me patior à rerum divinarum peritiſſimis Theologis, anteqvam eveniat, qvòd à DEO prædictum eſt, non eſſe temerè ſtatuendum qvicqvam de certo loco, definito tempore, determinatis perſonis, in qvibus occupanda ſit credulitas futurorum. Et verò toties decepta veraculorum de vulgo temeritas poterat in cæteris libidinem reſtingvere ſupervacanei laboris. Unde ergò putemus illis hanc naſci audaciam? An, cùm certùm ſit, ſemel futurum, qvod exſpectare juſſit qvi nunqvam mentitur, qvò plures ante ſe qvisqve conjector circà definitionem temporis errantes numerat, eò ſe propiùs abeſſe à metâ ſuſpicatur? ſed fortaſſe curioſitati huic nihil potentiorem ſtimulum admovet, qvàm neſcio cujus aurei ſeculi per mille duraturi annos perſvaſio, ubi profligatis ab omni latere hoſtibus Deo dilecta cohors in otio ſit ſvaviſſimo victura. Trahimur omnes beatæ his in terris vitæ cupiditate. Itaq; ſi qva nobis eam fama polliceatur, ei ſitientisſimas aures adjungimus, inqve omnes articulos temporis, qvi favere huic affectui videntur, enixè

xè vigilamus. Repetite mecum, Auditores, ea tantùm tempora, in qvæ vita noftra patuit. Vix ullum fuiffe, alicujus qvidem momenti, cum inimicis Ecclefiæ inchoatum bellum deprehendetis, cui pro fine dejectionem Orientalis Antichrifti, aut Occidentalis, aut etiam utriusq; non præfixerit Aftromantarum aliqvis: nimirum, qvòd ab horum exitio pendere crederet principium ætatis aureæ. Tantæ victoriæ lauream erant qvi fuperioris Germanici belli tempore Friderico Palatino, erant qvi Guftavo Adolpho Svecorum Regi, erant qvi Carolo Guftavo deftinarent, cùm is Poloniam ante hos novem annos infeftaret. Porrò jam inde à feculo præterito nefcio an ullam irruptionem ab hofte Chriftiani nominis paffa fit Germania, qvam non fatalem imperio Tyranni & omnium poftremam, qvi collectis undiqve prophetiis facris, profanis, veteribus, novis pronunciarent, fuerint reperti. Plenus talium in primis eft Davidis Herlicii, in aliis fortaffe prædictionibus, qvàm in hâc felicioris Aftrologi, libellus, qvem fub finem ævi fuperioris, miferè Pannoniam vexante Turcâ, vulgavit. Ibi Danielem, Apocalypfin, dictum Eliæ, præfagia Joannis Hilteni, Antonii Torqvati Ferrarienfis, Turcarum ipforum, curfus fiderum, conjunctiones planetarum, qvafi in exercitum unum confcribi video, qvo in animis hominum ultimo prælio cum Turcâ decidatur. Non aliis armis inftru-

ſtructi prodierunt, qvi per hos annos credi à nobis voluere, fore brevi,ut jam deletum Ottomanidarum imperium cerneremus: non levi, opinor, cum ſacræ ſcripturæ profanatione, qvam & generis diverſiſſimi prædictionibus ſociarent,& ſui cerebri ſomnia cogerent interpretari; nec minore cum periculo fruſtrandi gaudii hodierni, qvod, ſi illos audivimus, vix dimidium attuliſſe in hoc templum oportuit. Atqvi nos,Legate Splendidiſſime,Auditores Honoratiſſimi, integrum, ut fas fuit, attulimus gaudium, integrum ex hoc templo & perfectum in aliud mox inferemus. Magis id eveniet, ubi piis etiam precibus DEUM compellaverimus. *Petite* enim, inqvit Salvator noſter *i*), *& accipietis, ut gaudium veſtrum ſit perfectum.* Surgamus igitur, & DEO confiteamur, DEO gratias agamus, DEO preces allegemus! Confitemur Tibi, Domine DEUS, Pater cœleſtis, & coram Tuâ Majeſtate teſtamur de iniqvitatibus noſtris. Qvòd ab illâ ſæviſſimâ tempeſtate,qvæ maximam peſtem nobis minabatur, liberati caput erigimus,non noſtræ ſanctitatis eſt,ſed Tuæ, Pater, miſericordiæ. Meriti eramus vaſtitatem; Tu agros, paſcua, urbes civibus ſervâſti. Meriti ſervitutem; Tu libertatem nobis illæſam defendiſti. Meriti cædem & ſangvinis rivos; Tu lætitiâ impleviſti cor noſtrum. Qvid retribuemus Tibi pro tot beneficiis Tuis? Accipiemus cali-

i) Joh. 16. v. 24.

calicem salutis,& nomen Tuum prædicabimus. Tua, Domine, misericordia est, qvòd non consumti sumus. Tua clementia, qvòd non dissipati, afflicti, concisi sumus. Laudet Te omnis terra! Laudent Te labia nostra! Laudent animæ nostræ, qvas è laqveo mortis eripuisti! Te rogamus, benefac nobis in posterum qvoqve secundùm magnam misericordiam Tuam! Conserva gloriosissimum Imperatorem Leopoldum unà cum omnibus sacri Romani Imperii Proceribus! Tuere inprimis Potentissimum Saxoniæ Electorem, unà cum Serenissimis Fratribus, Dominos nostros clementissimos! Qvi Deus es pacis, aspira consiliis, qvæ jam in hâc urbe agitantur, pacem & concordiam! Dissipa eos, qvi bellum cogitant! Largire provinciis, mœnibus, aris & focis nostris tranqvillitatem, ut vero timore Tui & honestatis officiis placentem Tibi vitam agamus in his terris, perpetuas Tibi laudes olim in cœlis cantaturi! Sancte DEUS, sancte Fortis, sancte Misericors, Te rogamus, audi nos, qvi vivis & regnas unus æternus verus DEUS, benedictus in secula seculorum! Amen.

Ora-

ORATIO XVIII.

De Indulgentiis Pontificiis, & earum expugnatione.

Habita A. 1667. d. 31. Octobr. in Templo Paulino

in anniversariam B. Lutheri memoriam.

M*Agnifice Academiæ Rector &c.* Vetus verbum est, jam inde ab Augustino *a)* ad nos usqve derivatum, videndi assiduitate fieri, ut vilescant miracula. Id ita esse cùm qvotidiè liceat experiri, vicissim tamen neqve hoc negari potest, ipsam qvoqve raritatem nocere, si sit nimia, miraculis. Nimiam verò tùm interpretor, cùm illud, qvod stupore dignum est, per omnem seculorum ambitum semel se spectandum, non sæpiùs, exhibet. Neqve causa, cur hujus generis miracula hominum animis venerationem sui paulatim abstergant, est in obscuro. Nam ut aliqvid animum nostrum admiratione percellat, in hoc duo videntur esse necessaria: unum, ut rem istam sensus noster veluti palpet; alterum, ut causam rei modumve intellectus præ angustiâ sui cogitando asseqvi non valeat. Qvod posteriore dixi loco, semper

a) Qvem vide lib. X. de Civit. Dei c. 12. & lib. XXI. c. 4. item in Psalm. CX. Tom. VIII. oper. f. 1290.

per adest miraculis, & omnibus adest, certè si non adsit, miracula esse desinunt. Prius autem illud, sensuum nempe palpationem, eam, qvam dixi, raritas ipsis eripit apud illos, qvibus per conditionem nascendi non licuit interesse tempori, qvod rem admirandam Orbi manifestavit. Semel DEUS corpus hominis, qvem ultimum parentem habemus omnes, è glebâ terræ stupendo formavit opere; qvotidiè in maternis visceribus è despicabili aliqvot guttularum rudimento non minoris artificii fabricam elaborat. In utroqve miraculum est humano ingenio augustius; sed æstimationem alteri qvidem raritas ademit, alteri nimia freqventia. Vile nobis est alterum, qvia qvotidiè videmus; alterum, qvia nunqvam vidimus. Dicet aliqvis fortasse, non eqvidem adstitisse nos DEO spectatores, cùm ille ex agro Paradisi acceptam glebam sapientissimo digito tractaret: at esse tamen hoc miraculum auditione ac scripturâ fidelissimâ sic ad nos delatum, ut sensus alter facilè absentiam alterius expleat. Est hæc sanè qvidem in nos Divi Numinis eximia indulgentia, qvòd operis tanti conscios esse nos voluit: sed aurium profectò, qvàm oculorum, si naturæ nostræ imbecillitatem spectamus, imbecillius est robur &, si maximè donemus, æqvale id esse utrobiqve, ipsa audiendi freqventia non minùs affectum in nobis venerabundum diluit, qvàm in qvotidianis miraculis

lis assiduitas videndi. Non eò hæc pertinent, Auditores Honoratissimi, ut DEUM accusem, (absit hæc à nobis omnibus longissimè profanitas!) sed ut culpæ nostræ vitium deplorem. Constat Sanctissimo Numini consiliorum suorum ratio, sive qvotidiana miracula nostris oculis, sive exemplum sine exemplo ingerat auribus: sed ea præcordiis nostris inest protervitas, ut nunqvam desint nobis argumenta excusandæ supinitatis. In qvotidianis freqventiam culpamus; in non qvotidianis conqverimur de manibus oculatis, qvæ credere, nisi qvod videant, non qveant. Talem Regium Ministrum nudius qvintus *b)* sacræ cathedræ depinxerunt nobis, cui non poterat fides, nisi prodigiis ac signis intuendis, persvaderi. Hæc ita cùm sint, sapienter institutum est, ut præcipua, sed rara DEI beneficia, qvæ mittendo in carnem Filio, à mortuis eodem revocando, effundendo in Apostolos Spiritu Sancto exhibuit nobis, semel qvotannis peculiari celebritate fidelium auribus instillarentur: qvò & raritas concionum minimè qvotidianarum contemtum excluderet, & solennes ceremoniæ aculeum figerent in animis auscultantium. Et has qvidem ferias longissimo jam tot seculorum circuitu observat per universum orbem Sparsa

b) Dominicâ scil. XXI. post Trinit. cujus in Evangelio Regulum ita Christus alloqvitur Joh. 4. v. 48. *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.*

Chriſti Eccleſia. Recentius DEI illud beneficium eſt, qvo oppreſſam Pontificiæ tyrannidis jugo Germaniam ævo ſuperiore libertati Evangelicæ per Lutherum reſtituit. Centum ipſi hodie & qvinqvaginta ſunt elapſi anni, ex qvo illud electum DEI organum, affigendis Witebergæ contrà Papales Indulgentias theſibus, operi nunqvam ſatis admirando primam applicuit manum. Digna res profectò, cujus memoriam exqviſitis indictis feriis non ſecula tantùm ſingula, ſed ſemiſecula renovent: qvò nemo ſit ex paulò ſaltem vivacioribus, qvin Jubilæo tali ad fundendas DEO gratias, æſtimandamqve ingentis beneficii magnitudinem haud vulgariter excitetur. Id nempe ſpectavit Clementiſſimus Dominus noſter, Princeps Elector JOHANNES GEORGIUS II. Saxoniæ Dux Potentiſſimus, cùm placere ſibi oſtendit, ut hunc diem, qvi ante ſeculum cum dimidio tàm ſalutaris his provinciis exſtitiſſet, ſacrum etiam Lipſia noſtra coleret. Paruerunt Eccleſiæ, & matutinis concionibus pietati ſatisfecerunt ſuæ. Paruit Academia, mihiqve minimo qvidem omnium, dicendi partes impoſuit. Qvibus ita mihi fungendum eſſe intelligo, ut inprimis inuſitatum illud miraculum DEI, per oppugnationem Indulgentiarum univerſi molem Pontificii regni ſubruentis, qvantum à me fieri poterit, oculis non corporis qvidem, ſed animi ſiſtatur. Pietatis hoc futurum eſt negotium,

non

non eloqventiæ. Qvamobrem Te, Benigniſſime DEUS, Liberator noſter, cujus illuſtrare gloriam ſervulus indignus geſtio, levatis in cœlum oculis precor, ſuffice vires dicenti, ac præſta qvæſo, ut lingva mea ſit inſtrumentum non inanis captandæ gloriæ, qvæ abeſſe ab hoc inprimis conventu ſacro longiſſimè debet, ſed per facinoris circà Papales indulgentias pulcherrimi delineationem celebrandæ Miſericordiæ, Juſtitiæ, Sapientiæ, Potentiæ Tuæ! A Vobis autem, utriusqve Reip. Proceres Ampliſſimi, cæteriqve Auditores ſvaviſſimi, qvando pietate Vos veſtrâ jam ſatis excitatos obſervo, id unum contendo, ut in oratione ſacrâ, tantumqve non extemporaneâ, (Te teſtor, Magnifice Rector, qvàm parum temporis ad meditandum conceſſum fuerit mihi,) verborum omnes phaleras, volentibus Vobis, abdicaviſſe liceat! Ne verò ſine metis mea decurrat Oratio, certis eam partibus ante omnia circumſcribam. Duas facio. Primò enim velut hiſtoria qvædam indulgentiarum ab ævo veteri ad ultimum earum nundinatorem texenda erit, ut intelligatur, qvid ipſæ qvalésve fuerint, qvibus initiis ac progreſſibus in ædem DEI paulatim irrepſerint, donec zelo DEI permotus Lutherus theſium ſuarum affixione vellicare primùm eas cœpit. Id ubi demonſtravero, in alterâ ſermonis parte planum faciam, ad eas eliminandas qvatuor inprimis Virtutibus uſum fuiſſe Deum,

Misericordiâ versùs oppressos, Justitiâ versùs oppressores, in inchoando Sapientiâ, in perficiendo Potentiâ. Patebit qvidem imprimis in hâc sermonis posteriore parte campus, in qvo se pietas exerceat nostra : sed sine priore tamen vix satis arbitrari poterimus superiorum temporum, è qvâ per singularem DEI gratiam sumus eluctati, miseriam, qvando tot annorum intervalla memoriam illius calamitatis, qvam ipsi non vidimus, ex atavorum autem rumoribus tantùm, aut historicorum monumentis accepimus, propemodùm deleverunt. Ergò ut historiam ævi præteriti teneamus, ita de Indulgentiis disserebant in Scholis Doctores, ut vulgò crederetur, eas nihil aliud esse, qvàm, ut brevissimè dicam, pœnitentiæ qvædam compendia. Ipsi novistis, Viri Sapientissimi, Romanam Ecclesiam septem numerare sacramenta, & in his pœnitentiam loco non extremo censere; partes porrò pœnitentiæ tres constituere, contritionem cordis, confessionem oris, satisfactionem operis; satisfactionis autem vocabulo comprehendere non opera modò à Deo præcepta, sed ingentes actuum, de qvibus nullum in sacris literis neqve mandatum extaret, neqve consilium, qvisqvilias. Ergò si qvis certum precularum numerum globulis hunc in usum excogitatis admensus esset DEO, si jejuniorum diebus à carne, lacte, butyro abstinuisset, si cilicium induisset, si cinere caput, flagel-

gellis tergum obtexisset, si Mariam Loretanam, si alia, qvæ ipsi vocabant, sacra loca visitavisset: is videlicet satisfacere DEO pro peccatis præteritis, is expiare noxas censebatur. Qvòd si qvis negligens in hoc esset officio, aut inchoantem opera, qvæ sacrificulus ipsi imperavisset, immatura mors opprimeret, in purgatorio restare cruciatûs, animæ tàm diu perferendos, donec divinæ justitiæ satis esset factum. Jam harum acerbitatum omnium, qvæ vel vivo sustinendæ forent, vel mortuo formidandæ, compendium faciebat ille, qvi conjectis in ærarium Papæ nummis indulgentias mercaretur. Qvis autem non videt, hanc esse ipsissimam Simoniam? Hîc, Auditores Honoratissimi, qvæso, ne grave sit Vobis memoriâ mecum repetere, qvemadmodùm sceleris improbissimi convicium ab hâc nundinatione propulsaverint illi ærusçatores. Fingebant sibi portentosum qvendam Ecclesiæ Thesaurum *c*), in qvo servaretur non modò qvicqvid superfluum *d)* foret de-

 ly-

c) de hoc Thesauro Ecclesiæ vid. Chemnit. Exam. Concil. Trid. Part. IV. tit. de Indulgentiis f. 706: & 732. Wolfg. Franz. Disp. Jubil. de Indulg. p. 19. 20. *d*) Sleidan. lib. I. Comment. de statu Relig. p. 12. 13. *Clemens Pontifex de Christi servatoris beneficio locutus, unâ guttulâ sangvinis ipsius liberari potuisse genus humanum demonstrat: cùm verò tantam sangvinis copiam profuderit, ut toto corpore nihil esset in eo sani, omne illud, qvod superfluum fuit, maximi thesauri loco reliqvisse dicis in usum Ecclesiæ*, &c.

lytro inæſtimabili, qvo Filius DEI nos è captivitate Satanæ redemiſſet, ſed etiam, qvicqvid illi in cumulum adjeciſſent Martyrum Confeſſorumqve veterum, qvin & inſecutis temporibus Monachorum ac Monialium virginum opera illa, qvæ ſupererogationis vocabulo appellare illis libuit. Cæterùm de merito Chriſti ſic diſputabant ulteriùs: conveniens videri, ut illa ejus portio, qvam reprobi ſibi aliàs deſtinatam voluntariâ pravitate conculcarent, non planè ſpargeretur in ventos, ſed colligeretur in eam, qvam dixi, Eccleſiæ gazam, ut vendi unà poſſet illis, qvi membra manerent Eccleſiæ *e)*. Porrò Theſauri hujus claves eſſe penes Romanum Pontificem: hunc è tantis divitiis ſupplere poſſe paupertatem eorum, qvibus, ne pro ſe ipſi ſatisfacerent, vel virium tenuitas, vel brevitas vitæ, vel potiùs, ut illud qvod veriſſimum eſt dicam, boni propoſiti anguſtia obſtabat: his enim indulgentiarum interventu aliena merita ſic applicari. Deniq; ne qva Papam avaritiæ verberaret ſuſpicio, qvòd hunc theſaurum haud aliter qvàm ad aureorum tinnitum diſpenſaret, non niſi ſacros in uſûs collectam pecuniam verti dictitatum eſt. Itaqve nummis illis jam conſcribi milites, qvi in Turcam educerentur, jam templum aliqvod novum exſtrui, aut vetus reparari, credere oportuit. Hæc vulgi fuit de Indulgentiis, qvas Romanam gratiam vocare

e) Franz. Diſp. de Indulgent. p. 39: è Bellarmino.

vocare mos erat, persvasio; hæc hominum, qvorum cervicibus ille Tyrannus insultabat, fides publica. Egregiè nimirùm ac perqvàm liberaliter agi secum putabant miseri, si parvo ære permutare possent molestias tot laborum, qvi sibi aliàs essent obeundi pro peccatis. An non hoc est Compendium facere pœnitentiæ? Neqve verò nova sunt in isto cœtu compendia sacramentorum. Nihil dicam de sacrâ cœnâ, ex qvâ illi, dum calicem subtraxerunt laicis, convivium fecerunt, horribile dictu, caninum. In sacramentorum numero habent non minùs conjugium, qvàm pœnitentiam. Conjugii verò nonne satis bellum compendium est in Clericorum cœlibatu? Enimverò cùm totam Ecclesiam dividant in Clerum & Seculares, dicas utriqve ordini prospicere ipsos voluisse, ut qvicqvid est in conjugio tædiorum, id clerici lucrifacerent illo suo casto, si Veneri placet, cœlibatu; vicissim Laici, ne Clero inviderent, omnia diuturnæ pœnitentiæ onera commutarent cum literis indulgentiarum. O callidissimum Satanæ inventum! libidinari, scortari, volutari cum pellicibus sacrifico licet; educandorum liberorum onus nullum est, qvia cœlibem degit vitam. Laicis matrimonio interdicere consultum non videbatur. Ergò alia illis gratia facta fuit per indulgentias, ne cogerentur diu jejunare, aut expiatoriis assari flammis. Nimirum pœnitentiâ non indigebant illi in monasteriis sanctuli, qvi

potiùs ſupernumerariorum operum magnam vim poſſent in Eccleſiæ peram conferre; Laici indigebant. Ergò duorum ſacramentorum compendia prudentiſſimè ſic diviſit Flamen Auſonius, ut Indulgentiæ ſecularibus cederent, Cœlibatus ordini Clericorum. Qvòd ſi qvis neget, ea, qvæ flagitiorum verè ſunt nomina, ſacramentorum haberi oportere compendia, agite, Auditores, commodiora illis nomina inveniamus. In Catecheſibus Eccleſiæ Romanæ ſeptem reperio ut ſacramenta, ſic vitia principalia; in vitiis verò luxuriam & avaritiam. Dicamus ergò, Cœlibatum qvidem eſſe Luxuriæ, hoc eſt, obſcœnarum libidinum; Indulgentias verò Avaritiæ ſive compendium, ſive pallium, ſive inſtrumentum. Neqve tamen, ſi hæc ita ſtatuamus, ea tollenda erunt, qvæ ponebamus initiò. Sic enim habete, Auditores Optimi: duas veluti facies habebat, Indulgentia, (ut de hâc potiſſimùm dicere pergam,) qvarum unam Papa per emiſſarios ſuos ac ſatellites obvertebat credulæ plebi, in alterâ ipſe domi ſe oblectabat. Ergò vulgus opinabatur, Indulgentias mera eſſe Pœnitentiæ compendia; ipſe Papa reverſas ad ſe oſculabatur, ut Avaritiæ ſuæ, vel qvarumcunqve cupiditatum inſtrumenta. Nam ut maximè jactarentur bella Turcica, vel neſcio qvarum Baſilicarum ſtructuræ: tamen qvicqvid eſſet auri argentive corraſum, id omne cedebat Pontifici in uſus pri-

privatos, hoc eſt, ut ne deeſſet ipſi, qvod in ſcorta ſua aut nepotes effunderet, ut haberent agnati peccata Germanorum, qvæ perderent alearum luſu. Dedi hactenus qvalemcunqve monſtri hujus, cui nomen eſt Indulgentiæ, picturam. Sed nolite credere, Auditores, qvicqvid in eo deformitatis eſt, ita repræſentatum eſſe. Non horulæ unius, non diei labor iſte fuerit; vix annus ſuffecerit, omnibus ejus lineamentis accuratè ducendis. Mihi verò cavenda eſt ſermonis prolixitas. Qvare nunc natales hujus oſtenti videamus. Qvod qvidem, ſi cum cæteris dogmatum papalium larvis contendatur, non usqve adeò eſt vetuſtum. Certiſſimis enim documentis evinci poteſt, per integra duodecim ſecula, ſi ab Apoſtolorum temporibus ordiamur, nullum in Eccleſiâ fuiſſe veniarum ejusmodi mercatum *f)*. Qvid? toto illo tempore ne ſatisfactiones qvidem illæ, qvibus in expiandis peccatis præcipuum pondus ætas poſtera tribuit, habebantur in pretio, id qvod Chryſoſtomi, Gregorii Nyſſeni, Auguſtini, ipſius deniqve Lombardi teſtimoniis *g)* probare, ſi hoc ageretur, poſſem. Solet qvidem ad Gregorium Magnum provocari, qvi circà initium ſeculi ſeptimi ſeptennes Indulgentias in Romanis ſtationibus dederit *h)*: verùm nihil

f) Vid. Chemnit. Exam. Concil. Trid. f. 718: *g)* ad ea provocat Chemnitius d. l. f. 719. *h)* Summa Sylveſt. tit. de Indulg. f. 245:

hil tale vel in Gregorii ſcriptis, vel in aliis ejus ævi hiſtoriis memoratur *i)*. Ergò Indulgentiariis parum commodabunt præſidii vetera Latinorum teſtimonia: Græcorum verò Eccleſiæ nunqvam illas impoſturas receperunt. Lego tamen, inqvies, apud Ambroſium *k) indulgentiæ* vocabulum; apud Cyprianum & Auguſtinum *l) ſatisfaciendi* phraſin. Ita eſt: ſed *indulgentiam* illi nominabant, non cùm Papa, ut avaritiæ indulgeret ſuæ, nummos provincialibus excantabat è crumenis, ſed cùm DEUS per Chriſtum verè pœnitentibus conciliatus veniam illis lapſuum indulgebat. *Satisfaciendi* autem verbo more caſtiſſimorum latinæ lingvæ ſcriptorum utebantur, cùm ſignificare vellent, aliqvem, qvi enormi aliqvo flagitio publicum offendiculum præbuiſſet, tantum feciſſe ſemetipſum accuſando, flendo, deprecando, ut offenſa Eccleſia ſatis haberet cauſæ, cur lapſum in communionem reliqvorum reciperet. Fuit enim hoc olim latinè ſcribentibus ſolenne, ut ſi qvis alterius iram in ſe moviſſet, ſatisfacere tùm illi diceretur, ubi pœnitentiæ ſignis edendis pacatum eum redderet ſibi. Monet hæc me veteris Eccleſiæ conſvetudo, ut ab eâ initio ducto per inſeqventium temporum itinera deſcendam, donec pulchellum Indulgentiæ Pontificalis fœtum in ſuis incunabulis de-

i) Chemnit. f. 718: & 730. *k) l)* Idem f. 706. & 720. ubi & his objectionibus reſpondet.

deprehendam. Ergò si qvis in Ecclesiâ primitivâ vel inter persecutiones fidem Christi abnegasset, vel in hæresin incidisset, vel alio se gravi manifestoqve scelere fœdâsset: is non statim ad primam qvamcunqve aut clandestinam pœnitentiæ significationem in gremium Ecclesiæ recipiebatur, sed ab eo publica flagitabatur pœnitentia *m*), certis externis ritibus obeunda, ut indutus cilicio & cinere consperfus *n*), ad cutem tonsus, sqvalens macie& situ obsitus, jejuniis & lacrymis confectus, pro foribus Ecclesiarum conspiceretur, conviviis, balneis, cæterisqve lætis abstineret, nullis negotiis aut curis secularibus se misceret, immutato deniqve totius vitæ statu atqve habitu in mœrore tempus omne pœnitentiæ, qvod pro conditione lapsûs in años aliqvot sæpe prorogabatur *o*), exigeret: interim sacrorum communione, donec reconciliatus foret Ecclesiæ, arceretur. Hæ erant illæ satisfactiones canonicæ, non ex qvovis tamen crimine, sed publico & gravi impositæ. Ceterùm justis qvoqve de causis eveniebat, ut aliqvid remitti de illorum rigore posset *p*). Qvòd qvibus casibus usurpatum fuerit, non hîc necesse est à me exponi *q*). Illud comme-

m) De hujus ritibus disserit Chemnit. Exam. Conc. Trid. f. 720. *n*) vid. Jos. Arnd. de freq. commun. p. 135. *o*) vide Canon. pœnit. apud Chemnit. d. l. f. 726. *p*) Intelliges hoc è Chemnit. f. 727. *q*) vid. Jos. Arnd. de freq. comm. p. 139. 140.

memorandum potiùs, cùm disciplinam illam canonicam veteres alicubi nimis largiter, verbisqve ultrà modum magnificis commendarent *r*), paulatim superstitiosas opiniones de meritis satisfactionum seri ac stabiliri cœptas esse *s*). Ipsæ verò satisfactiones cùm sic exasperarentur, ut tolerari ampliùs non possent, commutationes earum in opera leviora sunt introductæ. Qvo pacto, ut exemplo rem declarem, poterat aliqvis, cui aliàs per integrum diem in pane & aqvâ jejunandum erat, psalmorum aliqvot recitatione se absolvere, si vel qvinqvagenos genibus flexis, vel stans dixisset septuagenos *t*). Satis hæc intelliguntur è Burchardo Wormaciensi, cujus ætas incidit in seculum à Christo nato undecimum *u*). Dicas hanc fuisse Indulgentiarum aurearum in utero meretricis Babylonicæ veluti conceptionem. Nam ipsa nativitas in finem incidit seculi seqventis, hoc est, non longè ante annum Salvatoris millesimum ac ducentesimum *w*). Cumqꝫ hic partus videretur esse ejusmodi, qvi non alere modò, sed etiam ditare posset suam matrem, sicut solent meretriculæ qvæstum facere ex fœtibus, præsertim si sint monstrosi, oppidatim circumlatis: per omnes provincias tàm lepida soboles circumgestata fuit, ut undecunqve in Romani Præsulis bulgam orbis Europæi opes conflue-

r) Chemnit. f. 725. *s*) Id. ibid. *t*) Id. f. 728. *u*) Id. f. 730. *w*) Id. ibid.

confluerent. Res tandem in annos Jubilæos, hoc est in apertissimam nundinationem erupit. Seculo enim decimo qvarto Bonifacius Octavus *x*), (is, qvi communi diberbio ut vulpes intravisse dicitur, ut lupus regnavisse, ut canis deniqve mortuus esse,) primus constituit centesimo qvoqve anno celebrandum Jubilæum. Qvod spacium posteà Clemens Sextus in annos qvinqvaginta, Sixtus qvartus in qvinqve & viginti contraxit *y*): verbo, ut major hominum multitudo frui posset spiritualibus donis; re, ut rivi aurei sæpiùs exonerarentur in Tiberim. Planè enim dispar est Papale Jubilæum nostro. Nos in congregationibus sacris gratias agimus indulgentissimo Numini pro redonatâ his terris Evangelii luce, pro gratis annunciato pauperi turbæ Evangelio. Papa per Indulgentiarios suos plumbum auro, scorias argento commutat. Neqve hanc mercaturam jubilæo tantùm exercet anno, sed extrà ordinem sæpe, qvoties ipsi marsupium dolet, medicamenta corradit è provinciis. Neqve hoc satis. Præter hoc Indulgentiarum genus, qvas temporarias vocare mos est, perpetuas *z*) excogitavit qvoqve, illas putatote, qvas ipse alligavisset certis templis vel altaribus, imò rebus etiam qvibusdam mobilibus, veluti rosariis aut granis benedictis, sine ullâ temporis determinatione.

x) de qvo Chemnit. f. 733. *y*) David Majer. Transenn. Th. & Histor. p. 51. *z*) Wolfg. Franz. disp. de Indulg. p. 24.

ne. Sed ad temporarias illæ pertinent, qvas Leo, Papa nominis hujus decimus, seculi superioris anno decimo septimo, alibi qvidem per alios, in Germaniâ verò nostrâ per frontis perfrictissimæ cucullionem Joannem Tecelium Dominicanum jussit annunciari. Cujus agyrtæ historiam pluribus hîc repeterem, nisi eam passim etiam homines de trivio notam haberent. Satis verò etiam diu me prima orationis pars detinuit. Veniendum est ad alteram, DEIqve O. M. celebrandæ virtutes. Non potuit ille ferre diutiùs populi sui servitutem plus qvàm Ægyptiacam. Itaqve spiritu fortitudinis armavit Martinum Lutherum, ut propudio hominis, qvi in viciniâ Witebergensis opidi putidissimas merces insanâ verborum insolentiâ venditabat, publico scripto contradiceret, chartamqve chartæ, sed in ea verbum cœleste mendaciis infernalibus opponeret. Pulcherrima mihi messis hîc atqve copiosissima nascitur. Potestne enim, obsecro Vos, Inclyti Viri, ulla memorari Virtus Maximi Numinis, qvæ sui non illustre præbuerit in hoc negotio argumentum? sed ratio mihi habenda est temporis. Qvamobrem de illis tantùm virtutibus qvatuor, qvas initiò nominavi, Misericordiâ, Justitiâ, Sapientiâ, Potentiâ, faciam aliqvid verborum. Tristissima fuit Ecclesiarum eo tempore facies, qvæqve commiserationem excutere posset, qvod est in proverbio nostrate, et-

tiam

iam lapidi. Nihil hîc de damno dicam, qvod pauperum juxtà ac divitum per expilatores illos faciebant crumenæ. Animæ miserorum cruciabantur, illaqveabantur conscientiæ, qvies omnis mentis ac tranqvillitas erat occisissima. Famelici erant majores nostri ac sitibundi; esuriebant gratiam DEI, sitiebant aqvam fontis in vitam salientis. Pro cibo paleæ, pro potu virulentæ lacunæ ministrabantur. Prorsùs eo servitutis res redierat, ut per ea tempora Neuhusani in Vangionibus monasterii Abbas diceret, nisi venisset Lutherus, persvasuros populo se fuisse, ut fœno latrantem stomachum placarent *a*). Neqve verò tùm demùm persentiscere cœpit morbum suum populus miser. Omnibus temporibus fuerunt, qvibus Indulgentiarum fraudes subolerent, qviqve adeò contradicendum his imposturis putarent sibi *b*). Sed qverimoniæ plerorumqve intrà privatos gemitûs stetere, pauci aperire os ausi fuerunt, aut liberius frenum calamo laxare: tanta fuit formido tyrannidis. Enimverò parata erant illis, qvi jugum immane Romanæ bestiæ detrectarent, vivicomburia, id qvod Johannis Hussi, Pragensisqve Hieronymi exempla docuerunt. Habuit verò DEUS suas causas, cur septicipitem

a) Abr. Scultet. Annal. Evang. Dec. I. p. 15. 16. Simile qvid de Canonico qvodam Herbipolensi leges apud Melch. Adam. vit. Theol. Germ. p. 846. *b*) demonstrat hoc Chemnit. Exam. Concil. Trid. f. 738. seq.

tem hanc bestiam in civitate suâ grassari tàm diu voluerit. In eas inqvirere nobis fas non est. Satis hoc esse debet, qvòd scimus, inventum ab ipsius Misericordiâ tandem fuisse huic malo remedium, cùm Lutheri penna Leonis illius ferocissimi aures perforaret. Sensit profectò articulum temporis ille propè Bitterfeldam monachus *d*), qvi ubi de Lutheri ausis cognovisset, ad sacrificulos conversus cachinno sublato, *Obe*, inqvit, *venit jam ille, qvi vos pro merito tractabit.* Dum Misericordiam DEI versus populum oppressum prædicavi, simul Justitiæ qvoqve causa dicta est versùs oppressores. Neqve enim fieri potest, ut injuriam qvis patiatur, nisi alter sit, qvi inferat. Intulit autem Romanus Pontifex, (Carnificem appellare debebam,) cum universo Lorariorum suorum, hoc est, scribarum ac Pharisæorum grege. Neqve putate, Auditores, per ignorantiam eos peccavisse. Tam aperta fuit Indulgentiarum impostura, adeò manifesta sutelarum indicia, ut ipsos talia defendentes fateri coegerit veritas, *Indulgentias nobis per scripturam minimè innotuisse.* Verba hæc ipsissima sunt

c) Ipsâ nocte qvæ A. 1517. diem impugnatarum à Luthero indulgentiarum antecessit, Electori Saxoniæ Friderico in somnio monachus qvidam visus est, calamo leonis aurem perforans. Vid. Casp. Roth. glor. Luther. p. 1. seqq. Casp. Titii Exempelb. p. 207. seq. ed. A. 1657. *d*) de qvo Abr. Scult. Annal. Evang. Dec. I. p. 14.

sunt non alicujus è fece vulgi, sed Sylvestri Priciatis *e)*, qvi inter primos ruentem Papatum adversus arietes Lutheri fulcire conatus est. Ergò deserti à sacris scripturis necesse habuerunt confugere ad fabulas. Finxerunt inter alia, Christum ipsum, (horresco referens,) Francisco Assisiati, privilegium indulgentiarum pro templo sanctæ Mariæ de Angelis mendicanti, annuisse, & eum ad Papam, vicarium scilicet suum, amandâsse *f)*. Nimirum talibus mendaciorum portentis opus fuit ad faciendam pestilentissimo errori fidem. Qvis enim aliàs crediturus erat illi versiculo, qvi sceleratum carmen *g)*, qvod de laudibus Indulgentiarum in templo Bituricensium cathedrali legitur, his verbis finit:

Pro solo nummo gaudebis in æthere summo.

Qvis non erat sputa conjecturus in illud non sesqvipedale, sed centum jugera longum commentum, qvo in solius Urbis Romæ stationibus indulgentiæ donari scribuntur annorum plus qvàm decies centenorum millium *h)*? Qvid vobis hîc videtur, Auditores Optimi? Calli-

e) qvi in Summâ suâ titulum de Indulgentiis f. 245. his verbis auspicatur. *f)* Chemnit. Exam. Concil. Trid. f. 736: Wolfg. Franz. Disp. de Indulg. p. 25. 26. *g)* totum hoc exhibet Chemnit. d. l. *h)* Chemn. ibid. Similia his plura dabit Ehing. Sec. XV. histor. Eccles. p. 292. & 410.

machus versu qvodam *i*) negat, ullum se poetam mirari, nisi possit fabularum non fluenta profundere, sed maria. Annon ab his talibus dicamus istos Indulgentiarum computatores aliqvid contagii traxisse, cùm tot annorum myriadas crepant? Poteſtne verò verbum illud hominis esse sani, qvi humanæ vitæ angustos terminos recordetur? Poteſtne esse Christiani, qvi sciat, universam hujus mundi ætatem ne minimam qvidem à spacio tàm vasto portionem abscindere *k*)? Qvid? ergóne ultrà fictitium illud purgatorium nova secula imperabuntur peccatoribus, qvibus in alterâ nescio cujus mundi vitâ pœnitentiam agant? cujus compendium ita jam facere qveant obeundis Romanæ urbis altaribus. Qvocunqve te vertas, pellucet inusitati mendacii portentositas *l*). Qvamobrem B. nôster Chemnitius *m*) ingenuè fassus est, se rationem calculi Pontificii non asseqvi. Neqve, opinor, qvisqvam erit facilè nostrûm, qvi non idem de se confiteatur, nisi fortasse speramus huic supputationi aliqvid effugii

i) Hymn. in Apoll. prope fin. ὃν ἄγαμαι τὸν ἀοιδὸν, ὃς οὐχ ὅσα Πόντος ἀείδει. *k*) vid. Petr. Streuber in der fünfften Leichen-Pred. Ursulæ von Promnitz / E. 4. *l*) Suo jam seculo Joannes Gerson damnare ausus est Indulgentias titulo multorum milium annorum donatas: id qvod de eo testatur Luther. Resolut. de Indulg. concluſ. IIX. (Tom. I. Latin. Witeb. f. 108.) *m*) Exam. Concil. Trid. f. 737.

effugii in eo, qvod ridiculè docent *n*), posse aliqvem reum fieri pœnitentiæ agendæ per spacium

n) Manuale Confraternitatum chordæ S. Francisci, autore Simone Ryckio Part. II. p. 184. (cit. Ehing. Sec. XV. Hist. Eccl. p. 295.) *Qvares:* cur multorum millium Indulgentiæ conceduntur, cùm fortè mundus tot millibus duraturus non sit? *Resp. incertum est, qvot annorum millibus mundus stabit: interim probabile est ex venerabili Bedâ, aliisq; probatis autoribus, qvasdam animas usqve ad diem judicii in purgatorio permansuras: deniqve cùm certum sit, si peccatis lethalibus singulis debetur secundùm canones pœnitentia trium vel septem annorum, qvis enumerare poterit annos pœnitentiæ injungendos illis, qvi consvetudinem jurandi, pejerandi, se ipsos inebriandi, polluendi, fornicandi &c. habent, & bibunt qvasi aqvam iniqvitatem? Atqve huc respexisse dicendum est summos Pontifices, si qvi viginti aut etiam triginta millia annorum* (indulgentias) *concesserint.* Eadem leges apud Bellarm. lib. I. de Indulg. c. 9. p. 56. qvi mox subdit: *Sed qvemadmodùm in hâc vitâ pœnitentia multorum annorum potest unâ horâ persolvi, si pœnitentes temporis diuturnitatem vehementiâ caritatis, & extensionem pœnitentiæ, intensione compensent: sic etiam fieri potest, ut in purgatorio diutiùs qvidem crucientur, qvàm in hâc vitâ, qvi cum tam ingenti debito decesserint, tamen ibi qvoqve acerbitatis vehementia faciat, ut debitum viginti millium annorum annis trecentis vel qvadringentis expiari qveat.* Precium operæ fecisset Bellarminus, si hoc inventum suum confirmâsset fabulâ, qvam Georgius Morgenstern in sermonibus contra mundi perversum statum p. 68. his verbis recenset: *Legitur de qvodam sancto homine, qvi cùm multis annis jacuisset in gravi infirmitate, apparuit ei angelus Domini dicens*: Optio tibi datur à DEO, aut adhuc duos annos sustine hanc infirmitatem, aut

um annorum vel qvindecim aut viginti millium, puta si consvetudinem habeat pejerandi blasphemandive ad singula pene momenta. Sed gratia DEO sit justissimo judici, qvi ab his sceleratissimis nugis ministerio servi sui Lutheri nos liberavit. Ad Sapientiam ejus progredior: qvæ in eo maximè elucet, qvòd principium reformandi pendere voluit à reprehensione dogmatis ejus, qvod præcipua Christianæ doctrinæ capita subvertebat. Enimverò pugnant Indulgentiæ contra meritum & satisfactionem Christi; pugnant contrà gratuitam & plenariam remissionem DEI Patris; pugnant contrà claves regni cœlorum; pugnant contrà fidem salvificam; pugnant contrà sinceram de bonis operibus doctrinam *o*). Parcendum hîc est mihi

aut duobus diebus stabis in purgatorio. *Qvi elegit duos dies manere in purgatorio: & sic defunctus ab angelo in purgatorium ductus est. Cùm autem modicum temporis ibi fuisset, putabat se ultrà centum annos ibi fuisset, & à Deo oblitum. Tunc angelus apparuit ei, qværens,* qvomodo se haberet? *Qvi respondit:* Qvis es tu? *Cui ille,* Angelus Dei, *inqvit,* sum, qvi te huc duxit. *At ille:* Non es Angelus Dei, qvia ipsi non mentiuntur: tu autem dicebas, me tantùm per duos dies hîc mansurum, & ecce plus qvàm centum annis hîc absqve consolatione steti. *Cui angelus ait:* certè tibi dico, qvòd nondum ad integram horam hîc fuisti. *Tunc ille:* Obsecro te, reduc me ad corpus, & qvamdiu Deo placuerit, infirmitatem sustinebo, tantùm ut hinc exeam. *Et sic ab angelo reductus est.* *o*) hæc omnia luculenter spectanda proponit Chemnit. Exam. Concil. Trid. f. 708.

hi patientiæ vestræ, Auditores: poteram enim alioqvi facili negotio singula demonstrare. In universum tamen hoc dicam, super Indulgentiis certamen hoc præbuisse occasionem *p)* viro sancto, ut illa, qvæ dixi Christianæ religionis capita, magis magisqve refoderet paulatim, & à crassissimo cœno in splendorem revocaret pristinum. Ubi novum Divinæ sapientiæ sistit se argumentum. Sub initium enim tanti operis nihil minùs Luthero veniebat in mentem, qvàm fore, ut hæc velitatio præludium esset ejus prælii, qvod Papam Romanum à suâ sede proturbaret: qvem ipse potiùs pro germano Christi vicario tùm temporis adhuc habebat. Itaqve abusûs tantùm Indulgentiarum, qvos ipsi qvondam Pontifices decretis suis damnavissent *q)*, abolitos cupiebat; indulgentias ipsas pati utcunqve poterat. Posteà verò paulatim illi magis magisqve illucescere cœpit radius Evangelicæ veritatis; sapientissimè id agente DEO, ut palàm fieret omnibus, Divinâ potiùs providentiâ, qvàm hominis ullius consilio aut industriâ hoc tantum negotium geri. Atqve hîc jam de Potentiâ qvoqve DEI disserendum est aliqvid. Qvi per ea tempora notas

 habe-

p) observat hoc Chemnitius l. c. f. 709. *q)* De Constitutione Clementis V. circà annum 1311. in Viennensi Concilio damnantis abusiones, qvibus Qvæstores Indulgentiarum extorqvebant pecuniam, vide Chemnit. f. 733. 739.

habebant Romani Pontificis vires, qvi concrematas Wiclefi poſt obitum exuvias, qvi illum è Bohemiâ anſerem *r)* uſtulatum reminiſcebantur, cùm ſimilia tentari viderent à Luthero, parem ipſi exitum ominabantur. Itaqve alii vicem ejus dolere; alii ſvadere etiam atqve hortari, ne tentaret impoſſibilia. Nota eſt Alberti Crantzii vox, qvi cùm primas ejus theſes oculis uſurpaſſet Hamburgi, qvaſi præſentem allocutus: *Vade Frater,* inqviebat, *in cellam tuam, & dic, miſerere mei DEUS s)*! Omninò qvàntùm omnes pii geſtiebant videre diem liberationis ſuæ, tantùm nemo prope credebat fore, ut Lutherus rem tàm arduam perficeret. Perfecit tamen, non viribus ſuis, ſed potentiâ DEI ſubnixus. Qvi planè nobis in hoc exemplo Iſraelitici populi à Pharaone liberationem renovavit. Ac ſunt etiam, qvi confirmant, à nato Chriſto, ſi retrò numeres, tantum exactiſſimè annorum numerum *t)* confici ad tranſitum Erythræi maris, qvantum, ſi in anteriora procedas, ad jugulatas à Luthero indulgentias. Et verò comparationi huic mirificè favent alia non pauca: è qvibus, ut finem aliqvando

r) Johannem Huſſum. *s)* Chemnic. Exam. C. T. f. 742. Wolfg. Franz. Diſp. de Indulg. p. 2. Abr. Scultet. Dec. I. Annal. Evang. p. 14. *t)* nempe 1517. Vid. Leonh. Krentzheim Part. I. Chronol. f. 44. & Part. II. f. 361: Abr. Bucholc. Ind. Chronol. p. 8. & 470. ed. Francof. A. 1634. Cunrad Dietrich Part. I. ſonderb. Pred. p. 7.

qvando reperiam dicendi, hoc unicum memorabo. Induravit DEUS cor Pharaonis, ut licet non nisi sacrificandi per dies aliqvot veniam peterent Israelis posteri, eos tamen ipse dimittere nollet. Induravit qvoqve cor Leonis Decimi, ut, cùm initiò Lutherus non nisi manifestissimorum abusuum in Indulgentiis correctionem flagitaret, nihil tamen ageret, ac potiùs proscriberetur pro hæretico omnium, qvos unqvam Sol vidisset, pessimo *u*). Sed qvid lucratus es hâc pertinaciâ tuâ, Pharao? Qvid hæc ferocia tibi profuit, Leo Decime? Exiit Israel in manu forti de terrâ servitutis. Evasit Ger-

u) Confer illud Chemnitii Exam. Concil. Trid. f. 743: 744. *Qvoniam qvidam animadvertebant, Lutherum minis & maledictis non posse à sententiâ dimoveri, nec populum placari acerbâ defensione impudentissimarum nundinationum: aliâ igitur viâ hoc tentarunt, & per Carolum Miltitium multis actum fuit cum Luthero, ut, qva pacis essent, consuleret. Hæc ratio agendi Lutherum ita moverat, ut ostenderet se pacis cupidum. — Et sanè si hanc viam prosecuti tunc fuissent Pontificii, potuissent omnes illas turbas sanare. Sed aderat fatalis terminus indulgentiarum, & totius regni Pontificii. Constituerat enim Deus propulsatis Ægyptiacis tenebris lucem verbi sui rursus accendere. Vociferabantur itaqve ii, qvi columnæ Regni Pontificii videri volebant, non decere majestatem Pontificiam, tam molliter & abjectè rem illam agere: sed effecerunt, ut Pontifex promulgaret condemnationem Lutheri. — — Secuta posteà sunt condemnationes Lutheri doctrinales à Lovaniensibus & Coloniensibus. Atqve ita data fuit Luthero occasio, ut subinde plures errores in doctrinâ Pontificiâ detegeret.*

mania è jugo Tyrannidis Pontificiæ. Nobis verò, Auditores, qvotqvot hîc adestis, Optimi Honoratissimiqve, nihil jam aliud agendum superest, nisi ut inclinatis DEO vultibus pro hoc beneficio, non meritis tantùm nostris, sed exspectatione qvoqve temporum illorum majore, devotas persolvamus gratias. Tibi ergò, DEUS misericors, Pater Luminum, qvi per ultimam mundi noctem accendisti nobis lampadem Tui verbi, genua flectimus, Tibi laudes canimus, Tibi grates dicimus. Qvòd in umbrâ mortis palpitantibus derepente novum lumen exoriri voluisti, *Misericordiæ* fuit Tuæ. Qvòd robur eorum, qvi gravissimi non tàm capitibus, qvàm animabus nostris imminebant, confregisti, *Justitiæ* Tuæ fuit. Qvòd opportuno tempore auxilio venisti propè desperantibus, qvòd à parvis initiis opus maximum perfecisti, *Sapientiæ* Tuæ fuit. Qvòd per unius hominis despicati calamum, qvò hæc eruptura tandem essent, minimè sibi conscium, gladios, hastas, balistas, catapultas repressisti, *Potentiæ*. Te, qvæsumus, Pater omnipotens, conserva nobis, qvod dedisti! Tuere sub alis Misericordiæ Tuæ Potentissimum Electorem Saxoniæ, cum Fratribus Celsissimis, qvorum Antecessores primum renascenti Evangelio hospitium præbuere! Conserva nobis hanc urbem, & in eâ Magistratum tùm Academicum, tùm Oppidanum! Floreat Evangelium! floreant

ant bonæliteræ! floreant mercimonia! floreant opificia! floreant pax & tranqvillitas in ædibus, in vicis, in urbibus, in provinciis nostris! Ita benedicemus Tibi, Domine, in omni tempore: Semper laus Tua erit in ore nostro, Amen!

ORATIO XIX.

De Congressu Lutheri A. 1518. cum Cardinale Cajetano.

Habita A. 1668. d.31. Octobr. in Templo Paulino,

in anniversariam B. Lutheri memoriam.

DUm ex hoc loco, Academiæ nostræ nomine, anniversariam religionem auspicaturus os aperio, valdè vereor, ne peccem, si qvenqvam compellavero priùs, qvàm eum, cujus mandato nova hæc nuper lex in hanc urbem est perscripta. Qvanqvam enim Potentissimus Elector Saxoniæ, Dominus noster Clementissimus, felicitatis novæ blandissimis vinculis in suâ metropoli alligatus, copiam sui nobis hîc non facit: pietas me tamen omninò jubet Ispum qvasi præsentem intueri ac salutare. Enimverò si tanta ejus alioqvin est majestas, ut vel ad nomen ipsius auditum non minùs qvàm ad conspectam faciem detegere caput, inclina-

re cervicem debeamus: qvantò magis oculos mentis ad illum elevare fas est, ubi ceremoniæ, qvam ipse ab hoc anno perpetuam esse voluit, nunc primùm, si superioris anni præludia excipimus, dandum venit exordium. Tibi ergò, JOHANNES GEORGI SECUNDE, Princeps Optovir Illustrissime, Domine Benignissime, gratias nuncupat alumna Tua Lipsiensis Academia, qvòd ut memoria sanctissimi operis, cujus instrumentum DEUS T. O. M. Atavorum Tuorum ætate Lutherum esse voluit, sacra deinceps qvotannis esset nobis, imperio Tuo perfecisti. Eqvidem Ecclesiis inscriptæ sunt mandati Tui literæ, non Scholis: arbitrati sumus tamen, Tibi displicere non posse, si ad Ecclesiæ exemplum Academiam qvoqve componeremus. Utiqve qvam Religioni divinitùs repurgatæ pacem Majores Tui, cùm id hostium crudelitas exigeret, armis pepererunt, qvam post eos simili necessitate adactus Parens Tuus recuperavit armis, qvam Tu successor felicissimus per tranqvilliora DEI beneficio Reipublicæ tempora, (qvæ perpetua Tibi Tuisqve Posteris optamus,) non armis, sed Cæsaris amicitiâ, sed Regum necessitudinibus, sed Principum fœderibus confirmasti, ea non minus fructuum in Auditoria spargit nostra & cathedras, qvàm in Templa & sacella. Ergò qvod præire nobis voluisti concionatores sacros, id nunc subseqvor Academicus declamator.

Igno-

Ignoſce verò, Princeps indulgentiſſime, ſi, anteqvam, qvod hoc die fieri voluiſti, de Luthero verba faciam, priùs Tibi Nepotem gratuler, qvem ex unigenito Sereniſſimo primum Tibi hic menſis perqvam auſpicato ſidere attulit. Non alio menſe, qvem DEUS his provinciis Rectorem ſuo tempore futurum deſtinavit, lucem debuit poſt elapſum à reſtitutâ nobis cœleſti doctrinâ ſesqviſeculum aſpicere, qvàm qvo lucem eâ tempeſtate aſpexiſſet olim ſana religio; non alio menſe naſci, qvàm qvo renatum foret Evangelium; non alio maternorum viſcerum è tenebris emergere, qvàm qvo caput è diuturnâ tot ſeculorum caligine ſincera in DEUM erexit Fides. Crevit ex illo tempore à parvis initiis fœtus ille ſacroſanctus, & obſtupeſcente mundo in eam denique magnitudinem adolevit, qvæ non terrarum modò latè patentium, ſed marium qvoqve dominiis circumſcriberetur. Creſcat ille pariter ſangvinis Regii Nepos, & inclytas Majorum laudes novis acceſſionibus locupletet, futuris temporibus miraculi materiam ſuppeditaturus! Accipe hoc omen, Ave Sereniſſime, accipe Illuſtriſſime Pater, accipe & Tu Infans Dulciſſime! Niſi me omnia fallunt, Elector Clementiſſime, jam anteqvam venire nobis in mentem hujus comparationis potuit, Ipſe Tu gaudium puerperii novi cum conſilio veteris in memoriam ſolennem revocandi beneficii divini copulaviſti

visti *a*). Eâ re factum ut idem nuncius simul indiceret nobis genituram Principis, simul exspectare juberet mandatum anniversariæ de Luthero celebritatis. Arrigant aures, qvi exstinctam cupiunt religionem nostram; qvi vaticinari audent fore, ut intrà qvadragesimum abhinc annum pleriqve omnes Imperii Romani Proceres ad illa pristina, qvæ Lutherus excidit, Occidentalis Antichristi, sacra revertantur. Servet nobis DEUS Celsissimam Saxonicam Domum! Servet Avum! servet Patrem! servet Nepotem! servet harum Ecclesiarum Scholarumqve Nutricios reliqvos! servet nobis hujus diei recursûs annuos! & illos oscines sinistros cum infausto ipsorum augurio abire jubebimus ad scalas Gemonias, ut illo cantu Tarpejum potiùs Væjovem oblectent suum, qvàm injuriam non magis auribus faciant nostris, qvàm Constantissimorum Principum innocentiæ. Tibi verò, DEO dilecte Domine, hæc cœlitus eveniat felicitas precamur, ut qvod in cunis jam dissvaviaris æqvè Filii Augusti delicium ac Tuum, aliqvando provectum in eam ætatem videas, qvæ Te proavum reddat ex Avo! O qvibus Augusta Tua, (nam & hanc pietas nostra unà tecum complectitur,) lætitiis tùm incedet, cùm ipsam qvoqve dulce

Proaviæ

a) Natus est Serenissimi JOHANNIS GEORGII III. Primogenitus A. 1668. d. 18. Octobr. Mandato Electorali inscriptus est dies 19. Octobr.

Proaviæ nomen titillabit! Nunc posteaqvam versus Te officio sum perfunctus, patere qvæso, Princeps Mitissime, ut reliqvum Orationis meæ cursum, qvi se ex præcepto Tuo intrà debita huic diei spacia continebit, ad præsentem concionem fidelissimorum Tibi Civium convertam! *Rector Academiæ Magnifice, Nobilissimi Consules, Proceres gravissimi, Amplissimi Doctores, Licentiati Excellentissimi, Magistri Præstantissimi, Studiosi ornatissimi, Patroni observandi, Collegæ honorandi, Amici & Fautores colendi:* de Luthero mihi jam ad Vos dicendum est aliqvid. Qvid ex hujus Viri historiâ decerperem, non diu deliberandum fuit mihi. Cùm ante annum hanc orandi provinciam suscepissem, de Indulgentiis verba feci, quòd eo die ipsi elapsi essent anni centum & qvinqvaginta, ex qvo affixis publicè adversus Tecelianas indulgentias thesibus arietem primum admovere Babylonici regni muris cœpisset Heros DEO plenus. Exqvisitè totidem annos confecimus hodiè *b*), postqvam Lutherus idem ex Augustano cum Thomâ Cardinale congressu salvus est ac sospes ad suos reversus Witebergam. Rem Vobis non injucundam esse me facturum credidi, si, qvasi negotio præsenti post annorum tot intervalla interessemus, (& animo profectò ac recordatione

b) die videlicet 31. Octobris, seu in vigilia omnium Sanctorum. Vide Luth. Tom. I. Epist. p. 101. Eber. Calendar. p. 349.

ne historiæ sæpiùs auditæ interesse nostrûm qvilibet potest,) ita vos unà mecum in occursum desideratissimi Patris abductos coram ipso sisterem, ut satis periculoso itinere solutum exciperemus, qvidqve toto illo absentiæ tempore cum eo gestum sit rerum, cogitando repeteremus. Sanè, qvod ad me attinet, nescio an huic diei magis congruum reperire acroama potuerim: nam & tempus exactissimè convenit, & superioris anni historia sic pulchrè continuatur, & is, cum qvo confligendum Augustæ Luthero fuit, non multum absimilis est Tecelio: Dominicanus uterqve; Romani Pontificis mancipium uterqve. Tantùm hoc interest, qvòd monachus ille fuit, hic Cardinalis; cucullatus ille, hic purpuratus; ille Decimi Leonis Papæ emissarius, hic à latere Legatus. Itaqve sic faciam: primò simplicem certaminis cum Cajetano (hoc enim illi Cardinali non incelebre nomen fuit,) narrationem contexam; deinde divinæ in hoc prælio providentiæ momenta tentabo inqvirere. A Vobis, Auditores Honoratissimi, enixè peto, ne verborum à me phaleras exspectetis. Simplex veritatis juxtim atqve pietatis, (atqve in has duas partes sermonem meum divisi,) oratio est. Id agite potiùs, & sanctissimum in cœlo Numen invocate mecum, ne qvod mihi vocabulum excidat, qvo vel offuscari veritas historiæ possit, vel Christiana pietas labefactari! Cum inclinante an-

no ſuperioris ſeculi decimo ſeptimo electum illud organum DEI Martinus Lutherus inſanas, & omnem non Chriſtiani dicam ſed humani pudoris modum prætergreſſas Indulgentiarum fraudes, ac Religioni intolerabiles ulteriùs injurias diſputando vellicaviſſet: non optabat modò optimus qvisqve, ut Præſul Romanus manifeſtariam improbitatem ſi non compeſceret planè, at ſaltem intrà modum aliqvem revocaret: verùm ita fore ſperabat ipſe Lutherus qvoqve, cùm culpam hîc omnem penes circumforaneos iſtos nundinatores hærere crederet. Itaqve anno ſeqvente, qvi fuit à nato Chriſto ſuprà ſesqvimilleſimum decimus octavus, non dubitavit libellum ſuum, qvi Reſolutionum titulo prodiit *c*), Leoni Papæ inſcribere *d*), totamqve cauſam, in qvâ qvidem retractare, qvæ ſcripſiſſet, negat ſe poſſe *e*), illius definitioni ſubmittere *f*). Verùm aliter evenit planè. Ut alios, qvi flagitioſiſſimæ neqvitiæ patrocinium ſuſceperunt, omittam, acerbè ſcribens in Lutherum Jacobus Hogoſtratus, & ipſe Dominicanus, Pontificem ad vim atqve flammas exhortatur *g*). Ipſe Pontifex Leo Hieronymo Epiſcopo Aſculano negotium dat evocandi Romam Lutheri *h*). Satis apparebat, hoc agi, non ut legitimo judicio, ſed ut laqveo,

c) Tom. I. Oper. Luth. Lat. Witeb. f. 102. *d*) ibid. f. 100: *e*) ibid. f. 101: lin. 1. *f*) ibid. ſub finem dedicatoriæ. *g*) Sleidan. lib. I. p. 5. *h*) Idem ib. p. 7.

laqveo, ferro, flammâ causa hæc disceptaretur. Qvare Luthero justissima ratio fuit, ut pro Italiâ Germaniam sibi dari, ubi causam diceret, precaretur: qvod &, annitente cumprimis Friderico Electore Saxoniæ obtinuit. Agebantur eo tempore comitia in urbe Vindelicorum Augustâ: qvibus autoritate Pontificis cùm interesset Thomas De Vio Cardinalis Cajetanus, perfecit apud eum Fridericus Elector, ut necessitate Romam proficiscendi liberatus Lutherus coram ipso controversiam hanc agitaret *i*). Qvid hîc exspectatis Auditores? Immutatam Pontificis voluntatem? Nihil, credite, minùs. Exstant ad Cajetanum literæ Leonis *k*), qvibus ei mandat, det operam, ut Augustam perducatur Lutherus, adducto custodias ponat, qvò, ubi primùm libuerit, sisti Romæ qveat *l*). Non scrutabor nunc, num Papa, qvod haud levibus indiciis suspicatus posteà est Lutherus *m*), conceptam suo nomine in Germaniâ

i) Idem p. 9. *k*) harum mentio apud Sleidanum p. 7. Integras exhibet Tomus I. Luth. lat. Witeb. f. 204: seq. *l*) Verba Epistolæ: *mandamus, ut — dictum Lutherum, hæreticum — declaratum, ad personaliter coram te comparendum — cogas atqve compellas, & eo in potestate tuâ redacto eum sub fideli custodiâ retineas, donec à nobis aliud habueris in mandatis, ut coram nobis & Sede apostolicâ sistatur.* *m*) qvi Tom. I. lat. Witeb. f. 214: Lectorem sic alloqvitur: *In Germaniâ fuisse confictum* [Breve hoc Apostolicum] & *aliqvâ deinde industriâ ad Romam*

niâ epiſtolam ſibiqve miſſam Româ ilicò remiſerit. Sive nervis alienis mobile lignum hic fuit Pontifex, ſive ſuo rem arbitratu egit, certè, qvæ præparata Luthero fors fuerit, ſic apparet. Apparebit magis ex iis, qvæ dicentur deinceps. Jam finitis Comitiis abierat Elector Fridericus. Remanſerat Cajetanus, ut de Luthero mandata Pontificis exeqveretur. Longum iter Witebergâ verſus Auguſtam pedeſter confecit Lutherus, curru demùm vehi cœptus, ubi tertium ab urbe lapidem attigiſſet *n)*. Ut ingresſus eſt, parum afuit, qvin ſe inermem Cajetani manibus tradidiſſet, niſi monitores illi fuiſſent amici, ut à Cæſare ſalvum conductum exoraret priùs *o*). Horum ille conſilio ratus obtemperandum, ſubſtitit aliqvot dies, donec literæ ſecuritatis afferrentur. Cardinalis intereà miniſtri (haud dubium qvin ipſius juſſu) qvotidiè Lutherum urgere: qvid ita reſtitaret? nihil eſſe Cardinale manſvetius, cupidiorem ejus cum Pontifice conciliandi eſſe neminem. Hîc tamen miniſtrorum aliqvis, (ſive qvòd eum innocentiæ caperet miſeratio, ſive qvòd Italici

Ee inge-

mam miſſum, & forte ſolo nutu alicujus magnatis Romæ remiſſum ad Germaniam, — te vel certum, vel ſuſpicioſum ſaltem faciam. *n*) Ludov. Rabus Hiſtor. der Martyr. Part. II. f. 114. *o*) Sleidan p. 9. Matheſ. II. Pred. von Luth. p. 13: Paul. Seidel. Hiſtor. Luth. p. 34. Vid. & Lutherum ipſum Tom. I. Lat. Witeb. f. 221: & Tom. I. Epiſt. p. 83.

ingenii levitatem ac præcipitantiam continere non posset,) in aurem insusurrare ipsi: ne fidem his haberet *p*). Eqvidem nihil certius futurum creditur fuisse, qvàm ut vinculis constringeretur Lutherus, qvò victima immolaretur adversariorum libidini, ubi primùm, non munitus securitate publica, intra limen Legati Pontificii posuisset pedem. Ergò mittitur ad eum à Cardinale Urbanus *q*), Ducis Montisferratensis Orator, qvi blandis eum verbis in nassam pertraheret: nihil enim esse, cur adeò cunctaretur; tàm cupidum esse comparandi absqve strepitu negotii Legatum, ut salvo conductu nullo sit opus; imò verò si conductum acciperet ille, causæ suæ nociturum potiùs. Excusavit se modestè Lutherus, cùm integrum sibi negaret esse, qvibus ipsum amicis Serenissimus Elector Princeps suus commendavisset, horum aspernari in gravissimo negotio consilia. Ægrè hoc responsum ferens Urbanus, *An putas*, inqvit, *fore, ut tuâ causâ bellum sit ulli hominum indicturus Elector?* Excipiebat Lutherus: *Ego verò neqve sic fore puto, neqve si haberem in potestate Electorem, autor ipsi esse velim ullius belli pro me suscipiendi.* Hîc alter: *Ubinam ergò loco-*

p) Lud. Rab. d. l. f. 114: Selnecc. Orat. de Luth. p. 8. ed. Jen. A. 1592. *q*) Hæc de Urbani & Lutheri hujus colloqvio referunt inprimis Lud. Rabus & Selnecc. d. l. Conf. Mathes. II. Pred. von Luth. p. 13: Scultet. Annal. Evangel. Dec. I. p. 29.

locorum tibi receptum fore speras! Intrepidè Lutherus: *Sub cœlo.* Tùm Urbanus: *Age verò, hoc etiam mihi responde: si Papam & Cardinales manu tuâ conclusos haberes, qvid illis per te fieret?* Respondit absqve fuco Lutherus: *Omnem illis, mihi crede, reverentiam exhiberem.* Incredenda hæc res visa est Urbano: cumqve ad extremum nihil agere se neqve blandiendo neqve terrendo animadverteret, non rediturus ipsum reliqvit. Paulò pòst perfertur securitatis publicæ diploma Cæsareum. Qvin & ipse Imperator nunciari Legato jubet, ne qvid in Lutherum grave statueret. Qvi qvidem sic annuit, ut facturum se (nihilominùs), qvæ haberet ab Hero suo in mandatis, responderet *r)*. Atqve sic qvidem propulsata est ab innocenti homine violentia, mittendiqve Romam Lutheri consilium disturbatum. Supererat, ut aliâ parte voluntati Pontificis obsecundaret Legatus. Enimverò sic accepimus, Auditores, Cajetanum, cùm paulò antè nescio qvod Decimarum negotium minùs ex voto Pontificis perfecisset, omnes in id jam ingenii nervos intendisse, ut offensionem illam feliciùs expediendâ Papæ adversùs Lutherum causâ redimeret *s)*. Primùm ergò enixè laboravit, ut eum ad se, anteqvàm illi caveret Imperator, verborum fallaciis pellectum fideli custodiâ constrictum ablegaret Romam, objiciendum

r) Lud. Rabus d. l. f. 115. *s)* Id. ibid. f. 119:

endum Papæ Leoni, hoc est, bestiæ carnivoræ. Ea spes ubi decollavit, tentandum fuit omnibus modis, ut comparenti jam & fide publicâ munito persvaderet suorum dogmatum recantationem. Nam & hoc Pontificis mandato comprehendebatur, si resipisceret Martinus, errorumqve veniam precaretur, ut Ecclesiæ ipsum, alioqvi resecandum, restitueret Cardinalis *t*). Multa memorare hîc possem, Optimi Auditores, qvæ ultrò citroqve diversis Lutheri cum Cajetano congressibus & postulata sunt & responsa, partim etiam à Luthero per epistolas exposita: sed compendium ipse mihi verborum imperabo, summaqve tantùm rerum memoriâ dignarum capita perstringam. Exspectaverat omninò Lutherus, ut controversia cognosceretur, & argumenta vincerentur argumentis, iisqve idoneis. Neqve aliud erat, qvod vel Elector pro Luthero intercedens impetravisse se crediderat, vel huc usqve scriptarum ultrò citroqve disputationum conflictibus suspensus orbis præstolabatur. Verùm Cardinalis, ubi primùm sui copiam ipsi fecisset Lutherus, qvasi jam condemnatus ille esset judicio, aut suâ confessione victus, nihil aliud exigere, verbis eqvidem initiò ad inusitatam civilitatem compositis, qvàm ut ejus doctrinæ, qvam scribendo hactenus & concionando ac dispu-

t) Vide ad Cardinalem hunc Epistolam Leonis Tom. I. Oper. Luth. lat. Witeb. f. 205.

disputando disseminavisset, palinodiam caneret; tùm ut ne qvid simile tentaret in posterum, sed ab hujusmodi concertationibus abstineret penitus. Negante Luthero, se sibi ullius erroris esse conscium, qvem revocando expiari par foret, duos demùm ex magno, qvi alioqvi jactari solebat, cumulo articulos illi objecit, tanqvam penitus intolerabiles Ecclesiæ Romanæ: unum, qvòd negavisset, Christi Servatoris merita esse thesaurum indulgentiarum; alterum, qvod docuisset, accessuris cum fructu ad sacramentum necessariam esse fidem, ita qvidem, ut certò statuant, peccata sibi condonari *u*). Atqve ut in pauca rem conferam, de hoc posteriore non adeò se rigidum fore Cardinalis præ se tulit: prioris autem non revocandi veniam negavit ullo modo gratificari se Luthero posse. Tametsi verò sæpiùs testatus ipse est, non habere se in mandatis, ut cum reo rationum argumentis contenderet: fieri tamen in illis animorum contrariis nixibus non potuit, qvin, ne absurdus planè haberetur flagitator, telum aliqvod, qvo Lutheri assertio configeretur, vibraret. Verùm hîc ridicula res contigit. Causæ suæ potissimum præsidium locaverat Legatus in sanctione qvâdam Clementinâ, qvæ in Extravagantibus habetur, cujusqve prima vox est, *unigenitus* w). Eâ subinde dictitabat, apertè con-

u) Sleidan. lib. I. p. 9. Ludw. Rab. Histor. der Martyr. II. f. 115. *vv*) de Lutheri cum Cajetano controversiâ super

confirmari, *Meritum Christi esse thesaurum Ecclesiæ*, illum putatote, qvem ærufcatores Indulgentiarii nummis aureis argenteisqve divenderent *x*). Lutherus,tametsi negabat,si qvid esset in Pontificum decretis, qvod à sacræ scripturæ rationibus abhorreret, illi concedere se qvicqvam posse, tamen qvi textum ipsum Clementinæ inspiciet, inqviebat,facilè is intelliget, pro meâ eam citiùs sententiâ facere, qvàm ut illi qveat opponi. Qvid multis? venitur ilicò in rem præsentem, aperitur Codex, leguntur verba. Hîc verò clarè perscriptum erat, non, passionem Christi *esse* thesaurum, qvod affirmaverat Cardinalis, sed *acqvisivisse* thesaurum. Differt autem omninò, inqviebat Lutherus, thesaurus ipse ab eo medio, cujus virtute is acqvisitus est. Satis tùm patuit, alienis Legatum oculis potiùs, qvàm suis hanc litem arbitratum fuisse. Ac fuit qvidem ille, qvod & scripta ejus & inter sectatores Thomæ Scholasticos nomen Cajetani famosum demonstrant, plurimæ vir & lectionis, ut illa ferebat ætas, & doctrinæ: verùm in hâc qvidem controversiâ non satis eum præparatas cum Heroe nostro manûs conseruisse nimis manifestum casus iste reddidit. Qvamobrem cùm in hunc scopulum

hâc sanctione legatur inprimis Lutherus ipse Tom. I. Epist.p.86. Conf. Tom.I.Latin.Witeb.f.207: 209: 210:224. Lud. Rab. d. l. *x*) de hoc fictitio Ecclesiæ thesauro vide qvæ dissero Orat. præcedente p. 405. lit. c.

lum allisisset, jam saltu retrogrado declinare eum conatus est, cùm è disputatione statim se revocaret ad mandatum Pontificis proseqvendum, qvo non argumentari, sed erranti palinodiam imperare jussus esset, jam rixari cœpit, & verborum tonitrua pro rationum ponderibus explodere: non continente se vicissim Luthero, qvin facilè responderet, haud usqve adeò Grammatices oblitos esse Germanos, ut non animadverterent, qvid inter duas voces, *esse* & *acqvisivisse*, discriminis interjaceret. Etiam hoc proditum est memoriæ, cùm in eo perseveraret Lutherus, si canones Pontificum obtorto collo verbum DEI traherent in sensûs improbos, minuendam illis esse autoritatem: restitisse Cajetanum, & omninò Pontificibus omnium rerum solutissimam potestatem detulisse; excipiente vicissim Luthero, *salvâ scripturâ*; per contemptum, & vocis vultûsqve habitu in ludibrium conformato, reddidisse voces suas Luthero, *salvâ scriptura*, statimqve hoc insuper subjecisse: *An ignoras, etiam scripturis atqve conciliis superiorem esse Papam y*)? Hoc nimirum illud est, qvod Johannes Sleidanus z) noster, dum historiam præsentem exeqvitur, narrat, à Cajetano sic Pontificis dignitatem fuisse prædicatam, ut omnibus eum scripturis atqve conciliis anteponeret. Molestè hoc Sleidani

y) Lud. Rab. Histor. der Mart. f. 115. Selnecc. Orat. de Luth. p. 9. *z*) lib. I. p. 9. 10.

dani dictum fert Laurentius Surius *a*) Carthusianus, & calumniam vocat ac mendacium. *Qvis verò*, ait, *unqvam credat illum virum in catholicâ religione tàm insigniter eruditum, ausum affirmare, Pontificem etiam scripturis divinis esse anteponendum, cùm certum sit, ea qvæ divinitùs in sacris literis vel jussa vel vetita sunt, etiam Pontificem tùm facere tùm cavere debere?* Non hîc illud à me audiet Surius, Cajetano multos objici gravissimos errores ab Ambrosio Catharino *b*), ejusdem ordinis Episcopo; non item illud, dignum eum Alphonso Castrensi & Gabrieli Prateolo visum, cui locum assignarent in Catalogis hæreticorum: adeóne incredibile est, qvod factis demonstrant Pontifices Romani, ut immani fastu efferant se super qvidvis, qvod verbo suo constituit DEus, id fieri potuisse, ut in illo constringendi Lutheri fervore vel incautus effutiret Papæ Legatus, vel seriò etiam sic doceri posse haberet persvasum? Certè qvàm parum ipse in his fidei controversiis scripturæ sacræ tribuerit, vel hinc potuit intelligi, qvòd ex eâ firmamentum suæ causæ pollicitus, adigi tamen à Luthero nunqvam potuit, ut vel syllabam pro se facientem inde produce-

ce-

a) Comment. rer. in orbe gest. p. 97. 98. *b*) *Catharinus scripsit contrà Cajetanum Cardinalem, — & in ejus opusculis plus qvàm 200. puncta, tanqvam impia & antichristiana refutavit & damnavit.* Flac. de sect. Pontif. p. 137.

ceret *c*): nisi hoc impotentiæ tribuendum putemus potiùs, qvàm voluntati obstinatæ. Qvid hîc ergò tandem ageret Lutherus? Revocare jubebatur errores suos: error ipsi nullus demonstrabatur, (aliud enim accusare est, aliud convincere.) Contrà ipsum è scripturis sacris apex nullus, è Decretis autem Pontificum lex qvidem aliqva proferebatur, sed qvæ in conspectum veniens reclamaret proferenti. Rogabat invictus Christi miles, ne qvid agere contrà conscientiam cogeretur; sanctè affirmabat, nullius hominis vel odio se vel gratiâ motum, solius conscientiæ stimulis adactum pro veritate propugnâsse; ipsam de indulgentiis controversiam ejusmodi esse, de qvâ, qvoniam determinata lis Pontificum decretis nondum foret, in utramqve partem disserere per Academias liceret. Sic enim habete, Auditores Inclyti; Per illa reformationis initia nondum planè condemnabat indulgentias Lutherus, Papæ ipsi plus etiam adhuc tribuebat, è tenebris videlicet tot seculorum ante se nondum eluctatus, qvàm expediret causæ. Placuit enim DEO, ut suum robur ex eventu clariùs appareret, instrumento uti, si primum ejus impetum consideres, haud firmo satis, sed qvod vires paulatim pertendendo acqvireret. Petiit ergò Lutherus (ut frui qvasi Academico privilegio posset) tamdiu de re nondum definitâ dubitandi licen-

c) Luth. Tom. I. Witeb. lat. f. 212. & 222.

centiam, donec Pontifici placeret interpositâ decisione finem facere litigiis. Id obtinere si non posset, ad alia duo se offerebat, ut aut obduceretur sibi, cum qvo vel publicè, vel privatim decertaret argumentis *d)*, aut adversariis suis, qvi hæreticum eum proclamare non desinebant, injungeretur silentium *e)*: in priore, si prælio excederet inferior, cessurum se veritati, & ejuraturum errores; in altero paria facturum cum adversariis, & unà cum ipsis arma literaria depositurum. Mira res dictu, petitionis tùm moderatæ, tùm justæ neutrum exoravit. Paulò antè qvàm urbem ingrederetur, non defuerant, qvi adversus Lutherum detonarent & in concionibus publicis, & in colloqviis privatis; evocabant ipsum in aciem; gladios rationum, argumentorumqve hastas jactabant, qvibus hæreses ejus confoderent. Ut primùm ipse campum ingressus est, omnes se aut subduxerant, aut piscibus ilicò facti erant magis muti *f)*. Neqve induci potuit Cardinalis, ut advocaret aliqvem undecunqve, cum qvo Lutherum committeret. In mentem, opinor illi, venit, qvid ipsi Leoni Pontifici contigisset. Congregaverat ille septem, qvos habebat Romæ, do-

d) Lüdov. Rab. f. 116: *e)* Sleidan. p. 11. *f)* Tom. I. Lat. Witeb. Luth. f. 208. *Nemo prætereà hîc est, qvi publicâ disputatione cum Luthero congredi audeat. Monachi, cæteriq; adversarii omnes, qvi plurima contrà ipsum in his comitiis scripserunt, jam nusqvam apparent.*

doctiſſimos viros, qvi articulos Lutheri vocarent ſub examen. Hi tandem profeſſi ſunt, vera ſcripſiſſe monachum, tantùm id reprehenſionem mereri, qvod ſcandaloſa ſint. Sed cur ſcandaloſa? nempe qvia Pontificis ærarium perforarent *g)*. Non errabit magnoperè opinor, qvi ex hoc aut ſimili argumento rationem reddet, cur Papa nihil aliud Legato permiſerit, niſi Lutheri aut vinciendi aut ad revocationem adigendi poteſtatem. Habuit ergò cauſam & Legatus, cur caveret, ne de veritate dogmatum Lutheri rationum aliqvis conflictus inſtitueretur. Id qvod adeò ſanctè obſervavit, ut nec ipſe diſputatorem, qvi qvidem congrederetur ex profeſſo, ageret, nec Magiſtrum Ceremoniarum ſuum, cùm procacis homo ingenii, qvaſi ſuppetias hero prælianti laturus, ſermonem ejus ac Lutheri ſubinde interpellaret, in certamen cum Luthero venire pateretur, ſed continere lingvam juberet. Fuit tamen eo in homine tanta diſputandi prurigo, ut dimiſſum à Cardinale Lutherum in aream usqve ſecutus neſcio cujus objectiunculæ argutiis impeteret: ſed ab eo facilè ſe noſter, ut erat in hoc genere exercitatiſſimus, extricavit *h)*. Qvid ergò tandem? Perſeveravit in eo Cardinalis, ut absqve diſputatoriâ luctâ revocandi propoſitum Luthero vel perſvaderet, vel extorqveret. Igitur jam lenociniis utens verborum delinire homi-

g) Lud. Rab. f. 119. *h)* Id. f. 116.

minem tentavit, multa de suo, multa de Pontificis in ipsum tenerrimo affectu prædicans; jam ad severitatem conversus dictis increpuit, & à se abegit, ne rediret unqvam denuncians, nisi cum animo revocandi; jam qvasi pœniteret præcipitis iracundiæ, cum Staupicio *i*), (nam & is eo tempore aderat,) placidissimè egit, ut Lutherum, qvem ipsi sciret, suprà quam dici potest, amicum esse, ad præstanda sibi obseqvia flecteret. Sed rationes suas jam diu sic disposuerat Lutherus, ut aheneâ mentis obfirmatione nulli rei nisi veritati ac justitiæ cedendum putaret sibi. Itaqve & coràm & per litèras plus unâ vice obtestatus est Cardinalem, ut ipsæ conscientiæ misertus alienæ aut meliora doceri se curaret, aut recantandi necessitatem remitteret, etiam Academiarum de se censuras venerari parato *k*). Vel saxum emolliant hæc verba, qvæ leguntur in ejus ad Cardinalem Epistolâ *l*): *Rogo humiliter Reverendam Tuam Paternitatem, dignetur clementissimè mecum agere, & conscientiæ meæ compati, ac demonstrare lucem, qvâ possim hæc aliter intelligere, & non cogere ad revocationem eorum, qvæ etiam teste conscientiâ non alia duco, qvàm ea, qvibus me necesse sit consentire. — Velitq; Reve. Paternitas tua apud Sanctissimum Dominum nostrum Leonem X. pro me intercedere, ne tantâ rigoris inclementiâ*

i) is est, qvi Tom. I. Luth. latin. Witteb. f. 224. Pater Vicarius vocatur. *k*) Luth. ibid. f. 209. *l*) ibid. f. 212.

tiâ in me permoveatur, ut in tenebras projiciat animam, qværentem non nisi lucem veritatis, & paratissimam cedere, mutare, revocare omnia, ubi aliter intelligenda esse edocta fuerit. Nec tàm arrogans & vanæ gloriæ studiosus sum, ut hâc causâ pudeam revocare malè dicta, imò gaudium meum primum fuerit, victricem fieri veritatem: solùm ne qvid contrà conscientiæ meæ sensum tentare cogar. Nam sine omni scrupulo hanc esse Scripturarum sententiam credo. Cautem profectò Marpesiam hæc verba moveant. Cardinalem non moverunt. In eo perstitit, ut revocaret Lutherus, nî faceret, Ecclesiasticas sibi censuras paratas crederet. Qvis tandem exitus causæ fuerit, divinare in proclivi est. Cùm nec responderet ad Epistolas Cardinalis, nec Lutherum ad se denuò vocaret, suspectum in re tantâ tantum cœpit esse silentium, timeriqve, ne maris hanc improvisam malaciam procella ingens exciperet. Relictis igitur novis ad Cardinalem literis *m*), relictâ item appellationis formulâ *n*), qvæ à malè informato Pontifice ad meliùs informandum provocans, pòst suum discessum publicè affigeretur, Augustâ digressus est Lutherus. Qvod qvidem clam non fecisset, nisi rumusculi monuissent, qvi futurum prædicabant, ut ipse, ubi primus ex Italiâ nuncius rediret, jussu Cardinalis comprehen-

m) Eas habes Tom. I. lat. Witeb. f. 216. *n*) hæc seqvitur mox ibid. f. 217.

henderetur captivus. Nec levis est conjectura, nihil vani in eo augurio fuisse. Sanè Cardinalis, ubi disparuisse Lutherum, atqve ad suos rediisse cognovit, ab Electore ausus est postulare *o)*, ut vel in vinculis Romam mitteret Lutherum, vel ditionibus expelleret suis. Justissimum Principem credo mensus est ex ingenio suo. Verùm nihil impetravit. Non is erat Elector, qvi damnaret inauditum. Itaqve cùm Luthero Cardinalitiæ Epistolæ fecisset copiam, ejusqve responsionem *p)* cognovisset, rescripsit *q)* Cajetano, cùm se in locis tutis disputationi offerat Martinus, polliceaturqve, cognitâ causâ passurum, ut doceatur, arbitrari se, meritò admittendum esse, aut saltem ostendendos ipsi suos in scriptis errores. Intereà dum hæc geruntur, Leo Pontifex novo qvodam edicto sancit Indulgentias, crediqve ab omnibus, qvi nolint ab Ecclesiâ resecari, jubet, non vivis modò prodesse Indulgentias, sed & (qvod qvidem hactenus nemo Pontificum apertè decreverat,) mortuis in purgatorio *r)*. Lutherus, qvoniam è Cajetani ad Electorem literis acceperat, contrà se Romæ, utut auditus judicio legitimo nunqvam fuisset, pronunciatum iri, novam Witebergæ appellationem interjicit, qvòd illius, qvam Augustæ reliqvisset, nullam sic habitum iri rationem prospiceret, coactus ni-

o) Epistolam hanc habes ibid. f. 219: *p)* ibid. f. 221: *q)* ibid. f. 220: *r)* Sleidan. lib. I. p. 17.

nimirum provocare à Papâ ad Concilium *s*). Recitavi hactenus, Auditores omnium Ordinum Spectatissimi, historiam eorum, qvæ in religionis negotio seculi superioris anno decimo octavo gesta sunt. Nunc alteram orationis meæ partem qvantâ potero verborum parsimoniâ complexurum oro Vos ne grave sit audire. Spectaculum qvasi hactenus edidi, in qvo partes suas agerent Imperator, Elector, Papa, Cajetanus, Lutherus. Non dubium est, personis hujus fabulæ omnibus moderationem Supremi Numinis ita intervenisse, ut improborum etiam machinationes præter ipsorum consilia in salutarem finem inclinarentur. Qvod si jucundum fuit externos eorum, qvi hâc in scenâ comparuerunt gestûs velut intueri: qvantò svavius erit mentis oculum in arcanos Divinæ Sapientiæ nervos, qvibus pro suâ qvisqve indole tractus fuit, immittere! Ne Vos longis ambagibus morer, sic habete: Tria sunt personarum, in qvas hic Ludus dividitur, genera. Classem unam Leo Pontifex constituit cum satellite suo Cajetano; Lutherus alteram; Cæsar & Elector tertiam. Papam DEUS & ministros ejus cœcitate percussit in consiliis; Lutherum constantiâ veritatis agnitæ armavit; Imperatorem & Septemvirum prudentiâ instruxit ac justitiâ. De Papâ ac Ministris ejus primo mihi dicendum loco est, non merito virtutum, sed quia

s) id ibid.

qvia sic exigit series argumenti. Qvi hos actûs paulò curatiore sunt ingenio perscrutati, non dubitant, rectiùs consulturum rebus suis Papam fuisse, si circà venalitias Indulgentias fecisset, qvod Potentibus qvibusdam solenne est, qvi omni crimine in ministros conjecto, emendant ea, qvæ nec excusationem admittunt, et oppressorum omnem patientiam exsuperant. Ergò si Papæ libuisset, qvod maximè tunc penè totius seculi convicio flagitabatur, tùm nummulariorum impotentes illas planeqve effrenes libidines compescere, tùm dogmatum intolerabilem impudentiam moderari: futurum verosimile est fuisse, ut ignis ille velut in fomite exstingveretur. Nam & Lutherus per ea tempora, qvod suprà memoravi, magni faciebat autoritatem Pontificis, & ipsas Indulgentias non penitùs eliminabat, ut videretur, si æqvissima petenti, qvi poterant, annuissent, de cætero fuisse qvieturus. Ipse profectò non silentium promiserat modò, si similiter clamores inimicorum rabiosi coercerentur, sed & hoc erat pollicitus, qvæ inclementer in Pontificem dixisset hactenus, ea se per omnia pulpita in vulgus deprecaturum *t*). Verùm hîc, Sapientissimi Viri, unà mecum agnoscite opus DEI. Tenebras Papæ intellectui offudit, ut cùm sopire flammam vellet, pro aqvâ oleum infunderet.

t) in epist. ad Cardinal. Cajetan. Tom. I. Oper. lat. Witeb. f. 215.

ret. Planiſſimè hoc intellexerunt homines illi, qvorum tamen nunqvam comperta ſunt nobis nomina, qvi Carolo V. & Ferdinando Fratri mutam exhibituri comœdiam *u*), cùm intromiſſi eſſent, perſonatos aliqvot repræſentarunt, qvi qvod ſingulis affixæ ſchedæ docuerunt, Capnionem, Eraſmum, Lutherum, Leonem Papam, Imperatorem ſimularent. Fecerunt enim Leonem, cùm lignis, à Capnione illatis, ab Eraſmo fruſtrà componi, qvòd curva rectis eſſent permixta, tentatis, ſubjectam à Luthero flammam delere cogitaret, circumſpexiſſe, duabusqve è lagenis, qvæ fortè præſtò erant, plenam oleo alteram, cùm ex præcipantiâ errans aqvam ſe deprehendere crederet, in ignem effudiſſe, atqve ſic incendium auxiſſe. Sic enim eſt: opinabatur Pontifex, cùm in morâ periculum videret, non eſſe remedium præſentius qvo Lutherum everteret, qvàm violentiam. Itaqve causâ non cognitâ condemnatum comparere juſſit Romæ, ut pro hæretico mitteretur in rogum. Qvanqvam autem vereri poterat, ne Germani obluctarentur: ſpem ipſi tamen hoc faciebat viciſſim, qvòd altiſſimas radices in animis plerorumqve ſciret egiſſe ſuperſtitioſam Romanæ ſedis venerationem. Adhæc noverat Moguntinum Archiepiſcopum ſibi favere:

u) de qvâ Piccart. obſerv. hiſtorico-polit. Dec. IX. c. 3. p. 146. ſeqq. qvi ſatis prolixè hanc fabulam recenſet.

nam cum hoc spolia indulgentiarum *w)* diviserat; qvem ut magis obstringeret sibi, his ipsis Comitiis, qvæ memoravi, Augustanis Cardinalitio galero per Cajetanum solenniter donavit *x*). Hæc animum furiosi dementarunt, ut crederet omnia sibi contrà Lutherum ex animi sententiâ confectum iri. DEO aliter visum: qvi violentis consiliis exitum negavit, satisqve læsam Germaniæ patientiam in fortitudinem exacuit. Etiam id hâc Papæ pertinaciâ est effectum, ut non illud modò Indulgentiarum ulcus, sed reliqva tandem omnia procedente tempore detegerentur, de qvibus initiò Lutherus ne per somnium cogitaverat qvidem. Omninò id evenit Romano illi Antichristo, qvod claudo, de qvo est in fabulis *y*). Constitutum erat

w) Huc refer illud Lutheri præf. in Tom. I. oper. lat. 4: ed. Witeb. A. 1545. *Tota culpa est Moguntini, cujus sapientia & astutia eum fefellit, qvâ voluit meam doctrinam compescere, & suam pecuniam per Indulgentias qvæsitam, esse salvam.* *x*) Sleidan. lib. I. p. 6. *Ad hoc tempus Leo X. Cardinalem creavit Archiepiscopum Moguntinum Albertum, & hoc in Conventu per Cajetanum inaugurari jubet ceremoniis & sacris in eâre consvetis. — — Hunc autem honorem ei detulisse Leo creditur, ut Ecclesia Romana defensorem haberet in Germaniâ nobilitate generis & dignitate conspicuum.* *y*) Fabula hæc non ab omnibus eodem recitatur & exponitur modo. Autor libri, qvi Gesta Romanorum inscribitur, his eam inchoat verbis cap. 157. p. 611. ed. Lugd. A. 1555. *Qvidam Imperator erat, qvi janitorem prudentem habebat, qvi à domi-*

erat in oppido qvodam, ut ingressurus, si qvo laboraret vitio corporis, pro eo solveret nummum unum, si pluribꝰ, plures. Advenit claudus. Qvibus hoc mandatum erat officium, ab eo exigunt nummum. Ipse renititur. Cùm cominùs cum eo agerent, etiam scabiem deprehendunt; poscuntur nummi duo. Recusanti mitra detrahitur; tùm & oculorum apparuit lippitudo; ergò tres nummos pendere jubetur. Ille pugnam offert pro nummis: sed hæc lucta herniam qvoqve detexit. Sic ille morosus qvatuor nummos ærario inferre coactus est, qvi u-

domino suo instanter petiit, ut eum janitorem civitatis per unum mensem esse concederet, ita qvòd ab omni gibboso, monoculo, scabioso, impetiginoso ac hernioso denarium haberet. — De sensu autem morali p. seq. sic differit: *Per istum gibbosum, scabiosum, impetiginosum &c. peccatorem intelligere congruit, plenum vitiis & concupiscentiis, & præcipuè qvi in septem peccatis mortalibus est involutus, qvi pro qvolibet vitio unum denarium solvat, scilicet avarus largitatem, gulosus sobrietatem, luxuriosus castitatem, superbus humilitatem, iracundus mansvetudinem, & sic de cæteris peccatis ad contraria procede.* Inepta expositio. Aptior illa, qvam Abraham. Scultetus (qvem & hìc in ipsâ fabulæ narratione seqvor,) exhibet Annal. Evangel. Dec. I. p. 28. *Fabula narratur contrà pertinaces & propugnatores vitiorum suorum. Narratur & contrà eos, qvi renitendo & resistendo malis levibus, graviora sibi ipsi accersunt.* Ait autem ibi Scultetus, fabulam hanc venire sibi in mentem solere, cogitanti de iis, qvæ cum Luthero acta sunt A. 1518. Conf. Qverelam Lutheri seu somnium (cujus autorem constat esse Joach. Camerarium,) A. 3.

no redimere potuisset urbis visendæ licentiam. Si sapuisset Leo Pontifex, unius articuli de Indulgentiis non jacturâ, sed emendatione qvalicunqve mercari potuisset cæterorum omnium, qvibus scatet Papatus, errorum indemnitatem. Sed justâ ultione permisit illi DEUS hunc, qvem ipsi Satanas inspiraverat, reluctandi furorem, ut à Luthero, sacræ civitatis custode fidelissimo, deprehensus pedem claudum, scabiosas manus, lippientem oculum, herniosum ventrem cùm perpetuâ sui ignominiâ toti orbi despuendum ostenderet. Atqve sic jam & de Luthero dicta causa est. Fingamus illum, Augustæ cum degeret, vel blanditiis vel minis penetrabilem fuisse. Nihil sic per ipsum promovisset negotium religionis. Ergò heroicum animo ejus robur instillavit DEUS, ut nec canendo nec tonando perficere posset Cajetanus, tantùm ut tres syllabas pronunciaret, REVOCO. Sed hîc occurrendum est sannis adversariorum. O fortem, inqviunt, Lutherum! qvi Romam citatus, ne in ignem iret, in Germaniâ postulavit audiri z); qvi ne in Germaniâ qvidem salutare Cardinalem,

z) Fontan. lib. I. Histor. p. 64. *Consternatus Lutherus, & non mediocriter perturbatus hâc citatione, toto pectore laborabat Principum animos, & qvotqvot illi patrocinari possent, inflectere, qvatenus à Pontifice Maxi. impetrare vellent, ut liberè posset suam agere causam alicubi in Germaniâ.*

nalem, nisi à Cæsare cataphractus, fuit ausus *a*). Hi profectò homines, qvæ vera sit fortitudo, ignorare mihi videntur. Non fortis est, qvi cuilibet se periculo miscet absqve gravi causâ: sed qvi, cùm & ratio svadet, & necessitas imperat, nullum discrimen detrectat. Leo Decimus in speluncâ suâ sedens invitabat ad se Lutherum. Fecit hîc Lutherus, qvod apud Æsopum *b*) vulpes, qvæ antrum Leonis ingredi dubitavit. Laudatur hæc prudentia in Rudolpho Imperatore *c*), cui nunqvam persvaderi potuit, ut Papam Romæ salutaret: cur vituperatur in Luthero monacho? Animositas ejus satis in eo demonstrata est, qvòd meritò suspectum sibi Dominicanum judicem non recusavit, qvòd tam longinqvum iter nondum armatus publica fide suscepit, qvòd Italis hominibus, qvorum non ignotæ sunt sicæ, tamen se permisit. Itaqve ad Philippum Melanchthonem, cùm Augustam pervenisset, inter alia hæc rescripsit *d*): *Ego va-*

a) Sufius Comment. rer. gest. p. 99. *Timebat Lutherus, ne à Cardinale in custodiam traderetur. Itaqve multum anxius à Cæsareanis per amicos impetravit fidem publicam.* *b*) Camerar. fab. Æsop. p. 145. *c*) Chron. Carion. Part. III. p. 874. (ed. Francof. A. 1581.) *Solitum illum* [Rodolphum Habspurgensem] *ferunt, ad mentionem itineris Italici recitare illos Horatii ex apologo Æsopico desumtos versûs*: sed me vestigia terrent, Omnia te vorsum spectantia, nulla retrorsum. Vid. & Mich. Sachs. Keyser-Chron. Part. IV. f. 94. *d*) Tom. I. lat. witeb. f. 207.

do immolari, si Domino placet. Malo perire, & qvòd unum mihi gravissimum est, etiam vestrâ conversatione dulcissimâ carere in æternum, qvàm ut revocem bene dicta, & studiis optimis perdendis occasio fiam, apud hos, ut insipientissimos, ita acerrimos literarum & studiorum hostes. Plenæ talium vocum sunt ejus epistolæ; pleni talium documentorum reliqvi ejus per omnem vitam actûs. Verùm, inqviunt adversarii *e*), faltem

e) Fontan. lib. II. Histor. p. 95. 96. *Anno millesimo qvingentesimo decimo nono, fato cessit Invictissimus Cæsar Maximilianus, qvo qvidem adhuc superstite modestiùs atqve submissiùs sese gesserat Lutherus, qvòd intellexisset, eum non satis gratum gloriosissimo huic Cæsari fore: nam Cæsarea majestas læsa Lutheri perniciosâ hæresi, contrà authorem istius literas ad sedem Apostolicam dederat. Qvamprimùm autem obitus nimirum Imperatoris Maximiliani certior factus est, cepit cristas suas erigere, sese Pontificem nihil facere palàm declarans, cum usurpatione singularis alicujus excellentiæ.* Qvod hîc, ait Fontanus, Maximilianum dedisse literas *contrà Lutherum*, id cum grano salis accipere nos oportet. Eqvidem in Epistolâ illâ ad Leonem X. suâ (qvam habes Tom. I. Luth. lat. Witeb. f. 203.) Lutheri causam non approbat Imperator: veruntamen neqve adversariorum ejus patronum agit, qvin potius ipsorum ulcera satis aperit. Ad hos enim hæc pertinent istius Epistolæ: — *necesse est, interdum hallucinari, somniare, & cæcutire Magistros istos, qvibus debetur, qvòd non solùm Doctores hactenus ab Ecclesiâ recepti solidiores non lecti, sed pleriqve depravati sunt atqve mutili redditi. Tacemus iis autoribus pullulâsse longè plures, qvàm unqvam damnatas fuisse hæreses. Tacemus Renchlinianam infamationem,*

tem hoc negari non poterit, vivo Maximiliano Imperatore trepidum eum fuisse, qvo mortuo, (cùm & Imperium aliqvandiu Rectore careret, & Elector Saxoniæ Fridericus in participationem veniret interregni,) statim volunt illi cristas crevisse. Dicendum ergò hîc de Imperatore est, dicendum de Electore. Qvorum profectò utriqve gravissimam inferunt injuriam, qvi vel Imperatorem credunt magis Pontifici favisse, qvàm Luthero, vel Electorem, per ea qvidem tempora, magis Luthero, qvàm Pontifici. Uterqve ad hanc religionis controversiam sensûs integerrimos, nulliqve parti, soli veritati addictos, attulit. Porrò cùm perviderent, à Papâ per vim & fraudem omnia geri, Lutherum contrà obtestari per omnia sacra, ut audiretur, ut rationibus ageretur secum, ut argumentis pugnaretur, non ferro aut flammis: qvis est, qvi non utrumqve statuat rectissimè fecisse, ut ne finerent inauditum damnari Lutherum? Itaqve Cæsar fidem ipsi publicam circumdedit. Qvin & hæc ejus ad Degenhardum Pfeffingerum, Electoris Consiliarium excepta aliqvando vox est de Luthero:

 con-

nem, & nunc præsentem hanc periculosissimam de Indulgentiis atqve censuris Apostolicis disceptationem his perniciosis Autoribus in mundum emanâsse. Qvibus nisi Beatitudinis vestræ, & reverendissimorum Patrum autoritas legem finemq; imposuerit, brevi non solùm imperita imponent multitudini, sed & principum virorum sibi auram & favorem in mutuam perniciem comparabunt.

conservarent sibi monachum istum, nec ab se dimitterent; fieri enim posse, ut ipse qvoqve ejus operâ indigeret. *f)*. De Friderico autem Electore affirmari hoc potest, eum, Lutheri nec ullam concionem, qvæ has controversias attingeret, nec vulgata typis de hoc argumento ejus scripta defendisse ante ipsius cum Cardinale congressum *g)*; eo autem finito, qvoniam causa ipsius nondum erat cognita, neqve Lutherum hæreticum, neqve se Apostolicæ sedi inobedientem haberi voluisse *h)*: videlicet ut liberas planè omni præjudicio aures reservaret futuræ, qvam ipse qvoqve exspectabat, cognitioni. Qvis non hoc etiam DEI Sapientissimi opus fuisse intelligit, ut in Germaniâ Lutherus Cæsarem & Electorem non nisi incorruptissimos arbitros nancisceretur? Plura possem in hanc sententiam afferre: sed finiendum est. Tibi, DEUS æterne,

DEUS

f) Mathes. II. Pred. von Luth. p. 15. Selnecc. Orat. de Luth. p. 12. *g)* Sic enim Elector ipse in Epistolâ ad Raphaelem, Tituli S. Georgii Cardinalem, scriptâ Augustæ 5. Aug. A. 1518. (Tom. I. lat. Witeb. Oper. Luth. f. 228.) *Neqve etiam hactenus unqvam mihi sumsi vel scripta vel conciones Doctoris Martini Lutheri tuenda, imò ne hodiè qvidem.* *h)* Idem in Epistolâ ad Thomam Cardinalem, scriptâ ejusd. anni d. 8. Decemb. Aldenburgi, (ibid. f. 221.) *Neqve enim nos ita nondum convictum* [Lutherum] *pro hæretico reputandum & scribendum sentimus. Deniqve non libenter permitteremus nos in errores pertrahi, neqve ut inobedientes à sanctâ sede Apostolicâ inveniri.*

DEUS juste, DEUS misericors, gratias agimus toto pectore, qvòd hostes veritatis cæcitate percussisti, Lutherum armasti constantiâ, Principes justitiâ instruxisti. Perfice qvæsumus, ut in posterum qvoqve, qvicqvid Ecclesiam Tuam infestat, vanis consiliis deludatur! Doctores ac Theologos nostros spiritu fortitudinis robora porrò, ut intrepidè veritati consulant! Principibus verò nostris, Imperatori invictissimo, Electori potentissimo, Ducibus Saxoniæ illustrissimis, universæ Domui Saxonicæ celsissimæ conserva sapientiam, justitiam, magnanimitatem, concordiam, ut sub illorum patrocinio tuta Ecclesia Tua vigeat, crescat, perennet! Dixi.

ORATIO XX.

Opposita illorum errori, qvi asserunt Præexistentiam animarum humanarum,

Habita A. 1674. die 29. Januarii,

cùm Candidatis XIX. Magisterii conferenda esset supremi hujus in Philosophiâ gradûs Licentia.

Rector Academiæ Magnifice, Viri dignitate variâ conspicui, eruditione luculentâ celebres, clarissimarum virtutum famâ illustres, Collegæ honorandi, Tuq; Studiosorum Adolescentum nobilis corona:

Produximus in conspectum vestrum Juvenes novendecim, copiâ doctrinæ, morum elegantiâ & probitate insignes, qvi ut sibi unà mecum gratulantur benevolentiam singularem, qvam erecti vultûs vestri, attentæ aures pollicentur: sic ab hoc sibi faustissimo sole illud exspectant, ut qvi matutinus Baccalaureos ingredientes vidit, (sunt enim omnes, licet distinctis temporibus Academicorum primitiis donati,) idem meridianus egredientes ex hoc Auditorio videat Magistros, atqve adeò Philosophiæ Doctores. Priùs tamen à me renunciandi erunt Licentiati. Solet enim hoc ex veteri consvetudine fieri à Procancellario, cujus mihi muneris facultatem *Reverendissimus Administrator Episcopatûs Martisburgensis, idemq; Saxoniæ Dux Serenissimus, Academiæ nostræ Cancellarius perpetuus*, in hunc actum gratiosissimè detulit. Obseqvar igitur imperio *Domini mei Clementissimi*, obseqvar simul prisco ac laudabili mori, ut anteqvàm ej9, qvem dixi, honoris titulos præsentibus Candidatis conferam, de argumento, uti spero, nec inutili, neqve vel auribus Vestris, vel personâ, qvam tueor, indigno, faciam aliqvid verborum. Confligam autem cum novatoribus duobus, Christophoro Sandio, & nescio qvo tenebrione, qvi per tot secula damnatum de animarum, qvam vocare solemus, præexistentiâ heresin ab orco revocant,

cant, scriptisqve pestilentibus *a)* persvadere orbi conantur. Hi nimirum, qvanqvam aliàs non per omnia satis concordes, in eo tamen utcunqve conspirant, qvòd credi volunt, animas hominum, qvotqvot unqvam vixerunt, vivunt, victuri sunt, unà cum æthereo mundo ortas olim fuisse universas, cumqve in habitaculis cœlestibus constitutæ felicissimo statu fruerentur, meruisse peccando, ut ex illâ cœlesti patriâ in hunc ærumnis plenissimum orbem, è maximâ libertate in corporum hæc variis casibus, morbis, ipsi deniqve morti obnoxiorum ergastula dejectæ, pœnas luerent admissorum. Qvantam labem portentum hoc dogmatis inferat Christianæ fidei omnibus (ausim dicere) articulis; qvantùm nobis, qvi philosophiam docemus, scientiæ naturalis partem eam, qvæ hominis contemplatur essentiam, corrumpat, exprimi verbis non potest. Interest igitur omninò studiosæ Juventutis, ut illi cumprimis, qvi nimis avidè, nimis incautè gustare solent, qvicqvid opinionum vel monstrosissimâ novitate provocat gulam, admoneantur de veneno, qvò contactum ejus fugiendum sibi potiùs, qvàm cum pericu-

a) Libellorum tituli sunt, unus: *Christoph. Christophori Sandii tractatus de origine animæ. Cosmopoli apud Libertum Pacificum, 1671.* alteriùs: *Dissertatio singularis de existentiâ animarum, anteqvam in aspectabili hujus vitæ theatro compareant, jam primùm è tenebris eruta, & doctorum virorum exposita judicio. Anno salutis 1672.*

periculo experiendum ſtatuant; vel ſi lectione peſtilentium chartarum interdicere ſibi non qveunt, ſaltem antidoto armentur, cujus efficaciâ ſuum veneno robur pereat. Hanc videlicet orationi meæ materiam præſcripſi. Neqve enim exſpectari hoc à me volo, ut ſingulas Novatorum, qvos dixi, paginas minutim perſeqvar, ſingula, qvibus ruinoſam cauſam fulciunt, tigna diſcutiam, ſingulos teſtes, ad qvos ipſi provocant, interrogem, aut ſingulorum vel dignitatem ponderem, vel examinem teſtimonia: nam qvis tantæ laborem operæ ſpacio includat unius non horulæ dicam, ſed diei vel ſeptimanæ? Id unum agam potiùs, ut, dum perverſiſſimi dogmatis prima incunabula perveſtigo, dum hiſtoriam ejus qvalemcunqve contexo, ſimul aperiam ultima erroris fundamenta: qvibus fortiſſimæ veritatis robore concuſſis atqve ſubverſis, ipſam qvoqve molis inſanæ ſtructuram ruere ſit neceſſe. Videtis, Patroni Venerandi, Fautores, Collegæ, Amici ſpectatiſſimi, qvæ dicturus ſum, ea non ad Vos docendos pertinere, ſed ad præparandos ſtudioſæ, qvâ videtis hoc Auditorium ſtipari, pubis animos, ut ſi qvi fortaſſe in libellos ex iſto genere periculoſos incidant, notitiâ pravitatis contenti, qvæ legunt, eveſtigiò refutare, ſaltem pectus illis præcludere ſciant. Qvare à Vobis, Graviſſimi Viri, hoc unum rogo, ut qvanqvam polliceri minimè poſſum, optimâ cauſâ dignam advo-

advocationem me præstiturum, qvippe qvi tantùm non extemporaneâ scriptione, adhoc divulsis temporibus, qvicqvid jam sum recitaturus, in has pagellas conjecerim, tamen ubi senseritis, justæ me sententiæ adversus improbam hæresin patrocinari, dicenti autoritatem benignis vultibus vestris conciliare dignemini. Nam Vos qvidem, studiosissimi Adolescentes, vel ultrò mihi faventem aurium operam præstituros confido. Dabitis autem mihi, Auditores, ex utraqve parte lectissimi, hanc veniam, ut ubi res ita feret, scholis etiam familiares loqvendi formulas usurpare, atqve adeò perspicuitatem sermonis elegantiæ ac venustati anteferre liceat.

In qvæstionem hoc venit, an animæ nostræ inde usqve ab exordio mundi extiterint, sibiqve extrà corpus peccando corporum hos carceres, & qvicqvid in iis miseriarum sustinendum est, divinâ ulciscente justitiâ attraxerint? Si oculos circumferimus per eas, qvæ in orbe Christiano maximè florent, in Imperio Romano solæ pace publicâ gaudent, religiones, nulla earum est, qvæ sic percontanti respondeat affirmatè. Interroga è nobis aliqvem, qvi sinceræ fidei repurgationem post DEUM beato Luthero acceptam ferimus, interroga Pontificium, interroga Calvinianum: omnes consentient, neqvaqvam esse corporibus nostris antiqviores singulorum animas, sed vel ipso conceptionis momento

tra-

traduci eas ex animabus parentum, (qvæ purioris notæ Doctoribus nostris approbata est hodiè, & haud dubiè sola vera sententia,) vel tùm demùm, qvando corporis membra figurantur in utero, divinâ qvâdam vi singulari, aut è potentiâ seminis educi, aut creari ex nihilo. Ne Sociniani *b*) qvidem, gens nomine Christianorum penitus excludenda, eò profanitatis abierunt, ut illud in cœtu Christiano nunqvam toleratum præexistentiæ animarum dogma suum facerent. Ut omninò, qvi hoc idem nunc defendunt, & Christianos tamen haberi se postulant, religionis inusitatæ hæreticos esse fatendum sit. Non abnuo, fuisse olim inter gentiles, fuisse primis Ecclesiæ Christianæ seculis, fuisse consecutis ætatibus minorum qvoqve, ut ita loqvar, gentium sectarios *c*), qvos eadem opinandi vesania occupaverit: hoc ajo, in eorum cœtibus, qvi se Christianos hodiè profitentur, nullum recordari me gregem distincti nominis posse, qvi doctrinæ caput illud in suis numeret. Qvid ergò tandem? Negari non potest, jam aliqvot intermortuam seculis hære-

b) Hos ipse Sandius p. 4. lin. 2. iis annumerat, qvi animam per traducem seminari doceant. *c*) Qvales hæretici de Barulo. De qvibus Gvido Carmelit. summ. de hæres. f. 130. *Dicunt, qvòd animæ sunt creatæ à Deo ante mundi constitutionem, & qvòd tunc peccaverunt.* Annum illis 1180. assignat Eder. Babylon. hæret. class. XI. p. 214. *Baralitas* vocat Liv. Galantes comparat. Christ. Theol. cum Platon. lib. XIII. f. 360.

hæresin ab istis Novatoribus resuscitari. Qvibus adeò non incommodè temporis tàm diuturni præscriptio, Concilii non unius anathematismi severissimi, tot Ecclesiarum sanctissima præjudicia possent à nobis opponi. Sed ne videamur ex qvâdam causæ diffidentiâ negotium subterfugere tùm adstruendæ doctrinæ nostræ, tùm evertendæ suis è fundamentis contrariæ: age, inqviramus in prima totius controversiæ principia.

Cardines ejus, in qvibus tota movetur, duo sunt: unus, an DEUS, cùm hoc universum conderet, simul animas qvoqve nostras, perinde ut angelos, creaverit universas? alter, an sic à DEO creatæ animæ extrà corpus peccaverint? Qvæstio utraqve facti est: è factis autem duobus alterum DEI haberi, alterum animarum nostrarum, res ipsa loqvitur. Qvid fecerit DEUS, aliunde meliùs, certiùs, evidentiùs qvàm ex ipso, rescìscere non possumus. Qvid animæ nostræ fecerint anteqvàm corporibus nostris illaberentur, (permittite mihi qvæso, A. H. ut juxtà mentem adversariorum loqvar interdum,) qvanqvam sanè consentaneum est, DEUM, ut testis pariter & judex adfuit, sic & hoc ipsum haud secus atqve illud, qvod rebelles angeli peccaverunt, sacris consignatum literis voluisse: tentandum tamen non absurdè dixeris, num & repetere qveamus è memoriâ nostrâ. Hunc enim ipsum in finem

conscientiæ tabulas mentibus nostris inseruit DEUS, ut ipsa peccantes accusaret, volentes inficiari convinceret, convictos, si nulla interveniat expiatio, condemnaret. Verùm hîc, sive rerum à DEO & gestarum & scriptarum annales evolvamus, sive nostræ conscientiæ sinum executiamus, altissimum de utroqve facto silentium est. Eqvidem primæ creationis historiam manu *Mosis* fidelissimè descriptam ad nos detulit Numen sanctum. In eâ homines ab initio non plures duobus, atqve hos corpore non minùs qvàm animâ constantes, à DEO efformatos esse clarè legimus; tot mentium humanarum myriadas, nullis dum vestitas corporibus, ipso jubente prodiisse, nuspiam invenimus. Qvòd si memoriam consulimus nostram, tantum abest, ut ea de rebus ab animâ nondum corpus ingressâ gestis qvicqvam narret nobis, ut eam potiùs autorem habeamus, ne somnia hæc digna putemus assensu. Novi, qvid isti fabulatores, qvando vel historiæ sacræ, vel nostræ memoriæ fides ipsis opponitur, occinere soleant. Sed has eorum nænias explodendi opportunior se dabit occasio, ubi sententiæ tùm veræ tùm falsæ narrationem priùs absolvero. Est autem omninò initium ducendum à veris. Veritatis enim luce perfusus animus errorum tenebras uti faciliùs deprehendet, ita vitabit curatiùs. Adesdum ergò Moses! adeste Prophetæ! adeste Apostoli, qvæqve ex revelatione

tione divinâ de DEI pariter & hominum factis, in diſceptationem præſentem venientibus, cognoviſtis, qvæ inqvam de generis humani creatione, lapſu, reparatione ſciri à nobis & credi DEUS voluit, enunciate nobis! Adſumus, inqviunt, & bonâ fide teſtamur, qvæ ignorari ſine ſalutis æternæ periculo non poſſunt. Eorum hæc eſt ſumma. Creavit initiò DEUS hominum par unicum diſpari ſexu, Adamum & Evam, cui generandi facultatem, qvam in aliis qvoqve animantibus parem deprehendere licet, ſic indulſit, ut ex eo tota proaganda eſſet paulatim humani generis univerſitas. Creavit autem eâ lege, ut, qvandoqvidem in iſto conjugum primo ac ſolo pari tota deliteſcebat virtualiter, qvantacunqve futura erat, progenies, ſi perſiſterent illi duo in concreatâ juſtitiâ, ſanctitatem hanc; ſin eam violando vetiti fructûs interdicto amitterent, peccatum originale, ſeu hæreditarium vitium, hujusqve pœnas in omnes poſteros propagarent. Eventus is fuit, ut fraude diabolicâ circumventi miſeri peccarent, labe hâc & calamitate in propaginem univerſam pervagatâ. Miſertus tamen generis noſtri DEUS ſtatuit miſſo in mundum unigenito Filio, qvi obediendo pariter ac patiendo pro nobis divinæ ſatisfaceret juſtitiæ, conculcare caput ſerpentis inferi, ut adeò qvisqvis in hunc Filium, excitante fiduciam Spiritu Sancto, credit, neutiqvam pereat,

sed æternâ qvondam vitâ, resuscitato à mortuis inqve gloriosum statum evecto corpore, potiatur, gaudia ejus post beatum statim animæ à corpore discessum delibaturus. Hæc ergò totius doctrinæ cœlestis, qvam pro incredibili misericordiâ sua revelare nobis DEUS dignatus est, extrema sunt lineamenta. In qvibus qvid ad arduam illam variisqve aliàs opinionibus vexatam de origine animarum qvæstionem sit respondendum, satis est clarè, nisi qvis lippientem oculum afferat, demonstratum. Enimverò hoc ipsum, qvod animantibus cæteris, à Creatore primis etiam hominibus dictum est: *Crescite & multiplicamini d*). Utqve cætera etiam viventia, ne plantis qvidem atqve arboribus exceptis, qvibuscunqve naturali fœcunditate procreare sibi simile datum est, in fœtûs suos non membra tantùm corporis, sed animam ipsam ex essentiâ suâ diffundunt: sic hominem qvoqve totum DEUS voluit ex toto homine procreari, parentumqve animas non minùs esse ipsis corporibus fœcundas. Non ignoro, maximo discrimine ut plantam ab animali, sic vel nobilissimum bruti genus ab homine distingvi; qvòd ratio data sit nobis, qvâ in Divini Numinis contemplationem erigere nos possumus, qvod de animante bruto, non nisi qvalemcunqve rationis umbram adepto, nemo, si studeat proprietati sermonis, commodè dixe-

d) Genes. cap. I. v. 22. 28.

dixerit. Verùm & hoc viciſſim apprimè tenendum eſt, eſſentiam noſtram medio qvodam loco inter iſtas rationis expertes animantes, & corporeâ mole omni liberos ſpiritûs ita eſſe ſapientiſſimo DEI conſilio conſtitutam, ut utriusqve naturæ qvædam partes in nobis copulentur. Ergò ut ad geniorum cœleſtium ſublimitatem accedimus in eo, qvòd capacem divinæ notitiæ intellectum ſortiti ſumus, qvòd virtutes æterni Numinis, qvantum Creaturæ fas eſt, imaginari animoqve apprehendere, qvòd, qvæ beatitudinis noſtræ meta ultima eſt, laudes ipſius æternis iisqve ſic ſatis accuratè expreſſis præconiis celebrare poſſumus; cùm reliqvæ creaturæ, (ſi à loqvendi figuris abſtinendum ſit,) occaſionem laudandi Creatoris præbeant magis, qvàm laudent ipſæ: ſic viciſſim cum terrenis animalibus commune illud habemus, qvòd aſpectabili corpore veſtiti, dupliciqve ſexu diſtincti, qvamdiu qvidem hoc in orbe commoramur, animalem vitam degimus, cibo ac potu indigemus, in familiam & propaginem creſcimus, qvorum nihil angelicæ naturæ congruit. Qvam ob cauſam & placuit DEO, angelorum qvidem univerſum exercitum ſimul producere, humanum verò genus in anguſtias duorum tantummodò conjugum contrahere: qvi ſciret, ab hoc uno pari terrarum omnem ſuperficem ſuccedentibus temporum ſpaciis impleri poſſe. Habemus ergò,

ut ad superiora redeam, animas ex animabus parentum traductas. Qvæ doctrina, qvamvis ad philosophiam pertinere cumprimis videatur, dici tamen non potest, qvantum commoditatis, accedente verâ hominis lapsi, restituti, consummandi historiâ, sacræ Theologiæ dogmatibus afferat. Enimverò si animam ipsam traximus à parentibus, qvis non videt, iisdem nos originalis peccati morbum hæreditarium debere? Jam si morbus hic, qvod scriptura sacra clamat, qvodqve, nisi blandiamur nobis, fateri omnes cogimur, tantus est, ut à nobis ipsis remedium petere neqveamus: necesse est, nisi convalescere nolimus, alienâ benefici ac potentis Medici operâ nos niti. Medicus ille Christus est, æterni Patris Filius unigenitus; qvi sic feliciter curationem hanc peregit, ut non modò hâc in vitâ meliùs habere anima nostra, in fiduciam se reconciliati DEI certissimam erigens, occipiat, sed in illâ etiam, qvam exspectamus, æternitate polliceri nobis, ut animam labe omni purgatam, sic immortale corpus, & admirandis ornatum dotibus, possimus. Hanc de homine creato, lapso, redempto, restaurando notitiam in verâ Ecclesiâ inde usqve à primorum Parentum ætate viguisse tàm certum est nobis, qvàm hâc horâ, qvâ dies est, lucere solem. Sed eadem vicissim in civitate, qvam Divinæ Reipublicæ Satanas opposuit, densissimis op-

pressa

pressa tenebris jacuit semper. Agite, Auditores Optimi, exite mecum in castra hæc, non transfugæ, sed exploratores! Principium errandi hoc fuit, qvòd qvi veram DEI civitatem deseruerunt, iidem simul splendidissimam lucem historiæ sacræ ultrò abdicarunt. Hâc destituti non mirum est, si palpantes in tenebris, qvicqvid vel malesana mens tetigit impingendo, vel fraudulentia spiritûs impostoris objecit, id ipsi apprehenderunt pro vero. Ac videte mihi obsecro neqvitiam Cacodæmonis. Expunctâ ex animis miserorum historiâ verâ, falsam commentus est ejusmodi, qvæ in speciem suæ simillimam transformaret hominem, qvasiqve nondum satis esset spirituum transfugarum, ex homine qvoqve faceret spiritum rebellem, sed incorporatum. Summa enim diabolici mendacii, qvod sacræ veritati olim oppositum, inqve gentilium scholas disseminatum, hodiè exosculatur Sandius cum Anonymo altero scriptore, hæc est: creavisse Deum initiò totum, qvantus est, animarum humanarum exercitum, sic ab omni corporeæ molis onere secretum, ut inter ipsas & angelos nulla foret essentiæ disparitas *e)*: hoc in statu positæ cùm peccavissent, tùm demùm sed epoto priùs oblivionis nescio qvo poculo, certè deperditâ vitæ prio-

e) Sandius p. 58. *Pauca saltem addam de animarum & angelorum homousiâ specificâ.* Confer qvæ disserit p. 168.

prioris memoria *f*), corporibus tanqvam carceribus inclusas fuisse: atqve hinc patere, qvodnam sit illud originis peccatum, qvod ipsa nempe hominis cujuslibet anima, diu anteqvàm damnaretur in corpus, admiserit *g*): jam uti ex his conseqvitur, non alienam nos, sed simplicissimè propriam culpam luere, sic nec alienis, sed propriis meritis *h*) adjutos in cœlum, unde lapsi simus, redire posse; qvo qvidem in statu nulla sit animabus futura cum distinctis corporibus, qvippe qvibus non nisi in pœnam illigari qveant, societas *i*).

Qvis

f) Idem p. 77. *Scientiam primævam secuta est privatio scientiæ, i. e. oblivio.* Et p. 160. *Rem simili qvodam declarabo. Hominem inebriatum vino cepit somnus, profundissimo somno dormientem transtulerunt in locum peregrinum, & in carcerem tenebrosum indiderunt, ille experrectus non recordatur, qvid ante somnum in statu ebrietatis dixerit aut egerit: — Ista oblivio est imago oblivionis animæ.* *g*) Anonymus p. 14. n. X. *Qvæcunqve opinio sola sine omni difficultate explicat naturam peccati originalis, illa cæteris est præferenda; Hæc est talis. E. Min. prob. qvia juxtà hanc hypothesin qvilibet ipse statuitur auctor peccati sui primordialis, nec opus est, ut recurramus ad peccatum pœnamq; Adami.* *h*) Sand. p. 161. ad 4. *Qvia libero arbitrio peccaverant* (animæ,) *conveniebat, ut rursus per liberum arbitrium pristinum sibi statum acqvirerent, qvem habuerunt in paradiso.* *i*) Idem p. 164. *Respondeo, animæ esse naturale sine corpore esse terrestri, neq; resurrecturum corpus terrestre, sed ætherium, qvale est anima, etiam anteqvam corpori immergatur.* Hoc qvid aliud est, qvàm verbo qvidem fateri resurrectionem, re autem negare?

Qvis non videt, hoc portentoso mendacio effecisse dæmonem, ut nihil aliud esse homo censeretur, qvàm diabolus incarnatus? Neqve adeò, si hoc nunc agerem, difficile foret mihi, tàm bellam scilicet hominis definitionem è Philosophiâ Sandii demonstrare *k*). Sed hîc sat habebo, vel paucis ostendere, qvemadmodùm qvæ de se verissimè dici poterat, fabulam in hominem falsò cuderit Cacodæmon. Ipse cum innumeris spirituum turmis initiò peccavit, nanc ob caussam Cœlo ejectus, inqve mundum inferiorem velut in carcerem detrusus. Credi hoc idem voluit hominibus evenisse, ut ipsorum infinito numero creatæ animæ cùm à Deo defecissent, his corporum terrenorum veluti compedibus includerentur; hoc videlicet illud esse primævæ peccatum originis. Salvatorem ipse nullùm habet, cujus virtute restitui possit in statum felicem. Idem & hominibus de ipsorum genere persvasit: hinc ad propriorum operum merita est perventum: qvorum qvidem non magis uberem nobis proventum, non magis lætam messem, qvàm sibi sic fore prævidit. Tandem qvod ad futuri ævi statum attinet, qvemadmodùm & sibi & beatis Angelis absqve

k) *Homines enim* Sandio p.38.39. *sunt animæ rationales incarnatæ.* Jam animæ eidem sunt Angelis ὁμοούσιοι per ea, qvæ ex ipso. lit. e. citavimus. Angelus verò peccans est diabolus. Qvid ex his seqvatur, nemini obscurum esse potest.

corpore suam æternitatem degendam esse novit: sic & corpora nobis nostra tantum in contemptum adducere laboravit, qvasi qvorum nulla sit uspiam futura in æternâ beatitudine opportunitas. O horribile dogma, cujus vel solo illapso auribus fragore intima nobis viscera contremiscant! O execrandum errorem, qvi nihil in Anthropologiâ, nihil in Theosophiâ nobis relinqvat sani; certè qvicqvid de mundi exordio, de labe originali, de Mediatore Christo, de Resurrectione carnis credendum est nobis, funditùs evertat! Sed qvibus mediis portentosum adeò delirium inducere in hominum animos potuit Satanas? Longum eqvidem sit memorare, qvicqvid ad fabulæ seriem pertinet: ideò summa rerum fastigia seqvar; sic tamen, ut de animæ nostræ origine non ejus tantùm investigem sententiæ falsæ primordia, qvam hucusqve narravi, qvamqve *Plato* maximè propagavit in Græciâ, sed cæterarum qvoqve inter Græcos trium celebrium sectarum, qvibus principes extiterunt *Aristoteles*, *Zeno*, *Epicurus*. Sciendum initiò, qvicqvid inter gentiles Philosophorum fuit, in eo conspirâsse, ut omnipotentiam DEO suam omnes labefactarent. Hoc enim ipsorum animis instillaverat pater mendacii, tantum DEO roboris non esse, ut ex purè nihilo creare qvicqvam posset. Finxerunt ergò, materiam illam, cui primæ nomen indiderunt, suapte vi non

mi-

minùs qvàmDeum ipsum subsistentem, præsto illi fuisse ab omni æternitate, substantiam corpoream incorporeæ, mali omnis, certè corruptionis, fontem principio cujuscunqve boni. Qvâ è persvasione consecutum illud porrò est, ut qvicqvid præter DEUM & materiam est rerum cæterarum, proles qvædam haberetur vel ex Deo, vel ex Materiâ, vel ex utriusqve congressu prognatâ. Hîc jam *Epicurus* animam hominis putavit è crassâ seminis materiâ generari, fecitqve, perinde ut brutorum animalium, morti obnoxiam. Cæteri tres Magistri homini animas dederunt unâ plures, & in his immortalem mortali, (uni an duabus, disputare hîc nihil attinet,) copulatam: qvarum ut hæc materiæ corruptibili, sic illa Numini æterno natales deberet suos. Sed hi sunt iterum scissi in factiones. Nam *Aristoteles* universo generi humano non nisi unicam numero animam, qvæ qvidem sit immortalis, hærere opinatus est, qvam vocavit ipse agentem Intellectum. *Plato* & Stoicorum pater *Zeno* singulas hominibus singulis inesse permiserunt: minùs qvidem hâc in re aberrantes à vero, sed in eo tamen lapsi, qvòd mori nescias hominum animas ex ipsâ DEI substantiâ efflorescere censuerunt. Stoicos mitto. Nam *Plato* inprimis hîc vocandus sub censuram, qvi solus animarum illam à condito mundo præexistentiam, & in corpora, cùm sanctitatem, qvam habuerint primùm natæ,

decoxissent, descensum, partem fecit philosophiæ suæ. Ac diffiteri sanè haud velim, è qvatuor illis Græcorum famosissimis sectis Platonicam maximè, qvòd tùm de providentiâ divinâ, tùm de animarum nostrarum immortalitate illustriorem præ se speciem ferret veri, antiqvissimis Ecclesiæ Christianæ Patribus qvibusdam placuisse: sed hoc tamen ejus à sanitate cœlestis doctrinæ divortium, qvo negavit nasci cum corporibus nostris animas, minimè dissimulandum duco. Causa verò, qvæ in illos errorum scopulos hominem allisit, ex iis, qvæ jam sum dicturus, poterit æstimari. Videbant illæ extra Ecclesiam gentes, nullum esse in tantâ specierum varietate animal, qvod & homine esset divinius, & eo tamen nihilominus, sive morbos corporis, sive casûs infortuniorum exputes, proportione servatâ infelicius, ut omninò, nisi omnem abnegare penitus velimus Numinis providentiam, fateri cogamur, luere ipsum aliqvam, nec levem culpam. Hîc *Epicurus*, *Aristoteles*, *Stoici* eò se insaniæ abripi sunt passi, ut de Divinâ Providentiâ pessimè philosopharentur. Apertè sustulit eam, non minùs atqve mentium nostrarum immortalitatem, ex hoc universo toto *Epicurus*; *Aristoteles* orbibus cœli circumscriptam è terrâ exulare jussit; reliqverunt eam verbo qvidem *Stoici*, reverâ tamen, qvia gravissimum onus illi appenderunt inevitabilis Fati, effecerunt isthâc ratione, ut

fau-

faucibus interclusis respirare misera non posset: porrò ne fateri cogerentur, & indigna pati hominem, si cum brutis animantibus comparetur, & injustum esse Deum, qvi tantis calamitatibus in primâ etiam infantiâ constitutum, eoqve nihil mali meritum, (nam hæreditariam ab Adamo culpam cœci homines ignoravére,) vexaret: eò venerunt stultitiæ, ut qvicqvid nos pœnas & vocamus & esse sentimus, id ipsi, ne qvidem exqvisitissimis in Phalaridis tauro cruciatibus exceptis, negarent esse malum, rem indifferentem esse dicerent, qvæ appellari nec bona nec mala debeat, qvòd mali vocabulum nihil mereatur, nisi qvod sit inhonestum. Redeo ad *Platonem*. Hic cùm in terris etiam regnare providentiam omninò crederet, interim tantâ verè malorum lernâ, (neqve enim pro indifferentibus illos dolores habuit,) premi hominem etiam vix natum cerneret, qvem utiqve in hâc mundi scenâ nihil dum peccasse ipsum constaret; ignarus rerum à primis humani generis parentibus in paradiso gestarum, & ab his ad omnem posteritatem derivatæ culpæ, non difficulter in eam concessit sententiam, ut crederet, animas nostras, anteqvam his corporibus induerentur, alibi peccavisse. Cognoscitis ita, Benevolentissimi Auditores, ultimam delirii radicem: deprehenditis prima errorum per omnes Græcanicæ Philosophiæ qvatuor sectas incunabula. Qvæ tamen non ita

ita velim accipi à Vobis, qvasi aut hoc eodem ordine Philosophi, qvos memoravi, successerint sibi, (qvem enim ultimum nominavi, Plato, cæteros omnes antegressus est,) aut primus etiam hic idem Plato animarum illam præexistentiam orbi invexerit, (nam & ante ipsum eadem Pythagoræ mens fuit, & facilè patiar, antiqvissimos Chaldæorum, Persarum aut Ægyptiorum magos hanc utriqve insanientem sapientiam præivisse:) sed, cùm decrevissem, (qvod libenter soleo,) qvatuor qvas dixi familiarum de ortu animæ nostræ sententias inter se comparare, visus mihi ad argumentum præsens commodissimus ille est ordo, qvi ab Epicuro incipiens in Platone desineret. Porrò valdè consentaneum vero est, qvicunqve primi animas nostras censuerunt in cœlo qvondam positas peccavisse, illâ, qvam delienea-vi, ad errorem viâ, svadente Mercurio infernali, processisse, neqve aliis argumentis eandem se opinionem Platoni atqve aliis approbavisse. Facilimus dabo interim, longè vetustiorem Platone fabulam istam extitisse: qvanqvàm ad Zoroastrem Persam, & Hermetem Ægyptium qvod attinet, viros Platone antiqviores, norunt eruditi, qvæ horum nominibus circumferuntur scripta & supposititia esse & ævi recentioris *l)*. Opinioni Platonis & Pytha-

l) Post Adrianum Imp. — ut Sibyllina pleraqve & Hermetica,

thagoræ, illud adjiciendum insuper, qvò integram ejus historiam teneamus, censuisse ipsos, animas hominum vicibus non unis mutare corporum habitacula, ita qvidem ut eadem anima temporibus distinctis non modò diversa figuræ humanæ corpora habeat, (qvomodo Pythagoras Euphorbum se olim Trojani belli tempore fuisse jactabat,) sed etiam, si mores parum humani hoc meruerint, in suem, hircum, leonem, asinum aliudve brutum migret. Hæc nimirum illa est μετεμψυχώσις, (transanimationem latinè, aut vocabulis duobus transmigrationem animarum reddas,) doctrina, qvæ isti de animabus ante corpora in æthere vagantibus delirio, dignum patellâ operculum, accessit. Tametsi verò sunt, qvi negent, placuisse Platoni animarum nostrarum in bruta qvoqve corpora transitiones, qvæqve apud ipsum in hanc leguntur sententiam, allegorico sensu exaudienda esse disputent: certum est tamen, huic qvantumvis absurdo furori non defuisse basiatores suos; nostrâ verò hîc nihil refert magnoperè, exqvisitâ investigatione singula infelicis philosophiæ membra certis autoribus alligare: qvi satis habemus, rationibus, ut opinor, minimè ineptis ostendisse, qvicqvid hîc peccatum est opinando, ad primum mendaciorum omnium parentem, adversarium

metica, ita & Zoroastræa conficta sunt oracula. Jo. Henr. Ursin. de Zoroastre p. *64*.

rium veri DEI, esse deniqve referendum. Atqve hic non conqvievit, donec venenum hoc in DEI qvoqve civitatem, qvam scimus sub Lege veteri circumscriptam fuisse finibus Hebrææ Reipublicæ, spargeret. Et verò satis constat, Rabbinos Judæorum, uti non pauca traxerunt è lacunis Philosophorum gentilium, sic ab iisdem qvoqve sententiarum illas ineptias tùm de animarum præexistentiâ *m*), tùm de metempsychosi *n*) saltem illâ, qvâ per varias humanorum corporum formas vagentur animæ, ab se tamen interpolatas, accepisse. Nam qvòd Menasseh Ben Israel *o*) opinionem hanc, qvæ animas humanas priores esse corporibus asserit, qvamqve ipse communem vocat omnium Hebræorum, ab his ad gentiles manâsse persvadere nobis cupit, frustrà cupit. Qvam enim ipse veram esse existimat, nos compertissimam habemus falsitatis. Non ergò à populo DEI ad scholam Satanæ, sed itinere contrario ab hâc ad illum transiit. Sapuerunt in eo tamen Cabalistæ, qvòd perversi dogmatis non omnia ad se capita transtulerunt. Nam primùm, qvod Ethnici affirmarunt, peccavisse animas, anteqvam ingrederentur corpora, suum hoc gens Judæa non fecit. Deinde consentaneum est, si

m) Vid. Slevogt. Disp. Theoret. XXII. p. 497. seqq. Voysin. not. ad cap. 9. R. Isr. de animâ p. 194. *n*) Vid. Slevogt. Disp. p. 819. seqq. de Metempsf. Jud. *o*) Lib. I. de creat. probl. 15. p. 61.

ſi qværas ex Rabbino, censeátne animas noſtras ex ipsâ naturæ divinæ eſſentiâ prodiiſſe, qvod gentilibus perſvaſum fuit, an creatas ex nihilo fuiſſe, etiam hîc minimè ſecuturum eſſe næniam gentilium. Cæterùm qvod ad ipſam animarum multitudinem attinet, in eo neſcio an non qvidam ipſorum propiora Stoicorum placitis defendant, qvàm Scholæ Platonicæ. Intelligo enim eſſe, qvi ſic diſſerant, ſimul qvidem animas omnes eſſe creatas à DEO, non diſtinctas tamen, ſed in unam veluti molem confuſas, peculiarium individuorum tùm demum naturam adepturas, cùm ex illo velut oceano in corporum ſingularium rivos deductæ fuerint *p*). Qvæ profectò ſententia ut à Platone ſatis apertè recedit, ita parum abeſſe à Stoicorum philoſophiâ videtur, qvi ſingulorum animas hominum ex illâ mundi animâ univerſali tùm demum egredi, cùm novus homo naſcitur, ſunt arbitra-

p) Archang. de Burgonovo Comment. in Cabaliſt. dogm. (apud Piſtor. Tom. I. Artis Cabal. f. 854.) *Omnes animæ à principio ſimul creatæ fuerunt; etſi non diſtinctæ & ſingularizatæ: tamen creatæ ſimul dicuntur fuiſſe, qvia maſſa una, ex qvâ omnes decerpuntur & ſingularizantur, à principio creata eſt: hoc eſt: æternaliter ideata (ſecundùm modum Cabaliſtarum.) Diſtingvuntur tamen per materiam ſeu per corpora: radicaliter tamen & originaliter omnes una ſunt, licet maſſâ ideali.* Atqve huc fortaſſe & illud pertinet Cabaliſtarum dogma, qvod ibidem legitur f. 752. *Magnus aqvilo fons eſt animarum omnium ſimpliciter.*

arbitrati. Sed hæc judicanda iis permitto, qvibus Rabbinorum scripta qvàm mihi familiariora sunt. Qvicqvid autem sit hujus, illud utiqve manifestum est, insano gentilium dogmati Hebræos haud parum turpitudinis detraxisse, dum animas, anteqvàm in corpora nostra mitterentur, peccavisse, ipsis assentiri erubuerunt. Qvid ergò movit illos, ut corporibus antiqviores facerent, ipsiqvè mundo ætate pares? Nimirum cùm negarent, animas filiorum ex parentibus traduci, novas autem qvotidiè creari à DEO, asserere nollent, qvòd illud putarent animarum immortalitati repugnare, hoc sacro codici contradicere, qvi die sexto Deum ab omni opere cessavisse pronunciat *q*): nihil putaverunt esse reliqvum, nisi ut vel distinctas singulas, vel massam universarum unicam *r*) sub ipsum mundi exordium creatam à DEO asseverarent. Eqvidem qvomodo defendi tradux hodiè citra periculum

q) Gen. 2. v. 2. Atqve hinc à Menass. Ben. Isr. animarum præexistentiam probari, (qvanqvam non tàm è scripturâ, qvàm ex ratione petitum velit hoc argumentum,) docebit Slevogt. Disp. p. 503. *Nec enim videtur*, inqvit Franc. Georg. Venetus (passim judaizans) probl. Tom. III. sect. 9. n. 493. p. 202. 203. *qvomodo opinio illa de novâ animarum creatione defendi possit cum dicto scripturæ, qvòd cessavit Dominus Deus ab omni opere, qvod creaverat ad faciendum.* *r*) Idem Venetus ibid. n. 492. p. 202. *An igitur creata fuit moles qvadam animarum simul, adeò, ut nullam ampliùs animam Deus creet? sicut scriptum est: Cessavit Dominus &c.*

lum immortalitatis rectissimè qveat *s)*; novimus: neqve ignota distinctio *t)* est, qvâ ad illum, qvem dixi, sacri codicis locum responderi ab iis solet, qvi qvotidianam animarum creationem defendunt. Verùm Hebræos illos veteres uti abalienatos fuisse à traduce verosimile est per infamiam velut inevitabilis doctrinæ, qvæ nostras animas corruptioni obnoxias facit: sic veritatem sermonis divini de DEO ab operibus suis cessante custodire maluisse dixeris expositione planâ & simplici, qvàm artificio distinctionis. Qvo pacto solum hoc superfuit, ut à Gentilibus doctrinam de animarum origine simultaneâ mutuarentur, sed expolitam qvodammodò, & insigni purgatam nævo: neqve enim necesse sic fuit, ut animabus admissorum ante corpora criminum notas inurerent. Sanè verò Gentilium erroribus efflictissimè constat inhiasse Scholas Judæorum: ut adeò non peccet fortasse, qvi ab hâc potiùs insanâ cupidine morbi totius, (qvem tamen, ut discerni ab Ethnicis possent, circumcidendâ erroris haud exiguâ parte, non nisi temporatum admiserint,) originem arcessat. Verùm hæc alii disceptent. Illa interim erroris alioqvi sat crassi, ut ita pergam loqvi, circumcisio perfecit, ut hoc in argumento Ægyptiis vel

Hh Græcis

s) Vid. Disputat. nostram de Orig. animæ hum. sect. IV. §. 33. *t)* inter creationem novæ speciei, & novi individui.

Græcis tolerabiliores haud paulò censeantur Hebræi *u*). Certè duas ita sententias distingvere juvabit in posterum, unam, qvæ animas ex ipsâ Divinitatis essentiâ deductas, easqve peccatrices, nec aliâ de causâ corporibus, qvàm qvia peccaverint, immergendas; alteram, qvæ creatas ex nihilo, statimqve divino consilio destinatas corporibus, neqve anteqvam his primùm socientur, peccantes asserit. Posterior Hebræorum fuit: priorem à Gentilibus acceptam ipsi Ecclesiæ Novi Testamenti inferre qvondam conatus est Hæresiarcha Priscillianus *x*). Eo modestior aliqvantùm Origenes

u) Sixt. Senens. lib. V. Biblioth. sanct. annot. 208. f. 439. *Sunt qvi existiment, assertionem hanc,* [puta Gregorii Nysseni, (qvæ & ipsa Hebræorum fuit,) non solùm primi hominis animam, sed omnium qvoqve hominum animas ante corpus Adæ simul creatas fuisse affirmantis,] *citrà ullum hæreseos periculum & credi posse, & defendi, dummodò non putemus, animas antè, qvàm illaberentur corporibus, peccasse, & propter peccata detrusas in corpora, tanqvam in carceres: qvod in Origene, & in Origenistis & Priscillianistis Conciliorum decreta damnarunt. Neqve ab his discrepare videtur Petrus Parisiorum Episcopus, hanc rem sub dubio relinqvens libro 2. sent. distinct.* 17. *x*) De Priscillianistis Augustinus c. 70. de hæresibus: *Hi animas dicunt ejusdem naturæ atqve substantiæ, cujus est Deus.* De Priscilliano Concilium Bracarense, (cit. Elmenhorst. ad c. 14. Gennad. de Eccles. dogm. p. 131.) *Si qvis animas humanas dicit priùs in cœlesti habitatione peccâsse, & pro hoc in corpora humana in terram dejectas, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.*

genes *y*), tertiæqve autor sententiæ, cùm cætera retineret, hoc unum expunxit, (Hebræorum in eâ re modestiam secutus,) qvòd animas non ex Oceano divinæ substantiæ effluxisse, sed (qvod homine Christiano minus indignum erat) ex nihilo conditas fuisse docuit: qvâ ratione mediam qvandam inter Gentilium & Hebræorum placita viam reperire voluisse censeri qveat. Triplex ergò sic tandem in universum de animarum præexistentiâ error numerabitur. Qvo è numero crassissimum cum Gentilibus defendit Priscillianus; minori aliqvantum crassitie deformem Origenes; temperatum Cabalistæ Judæorum, cum qvibus ante qvatuor circiter secula sensisse dixerim Flagellantium sectam *z*). Damnavit omnes Ecclesia Christia-

Hh 2 na.

y) Augustinus lib. XI. de Civ. Dei c. 23. *Animas* (qvidam) *dicunt, non qvidem partes Dei, sed factas à Deo, peccâsse à conditore recedendo: & diversis progressibus pro diversitate peccatorum, à cælis usqve ad terras, diversa corpora, qvasi vincula meruisse. Et hunc esse mundum, eamq; causam mundi faciendi, non ut conderentur bona, sed ut mala cohiberentur. Hinc Origenes jure culpatur. In libris enim, qvos appellat περὶ ἀρχῶν, id est, de principiis, hoc scripsit.* *z*) Nam qvi horum de animarum præexistentiâ errorem commemorant, (Scriptor magni Chronici Belg. f. 538. Bernard. Lutzenburg. Catal. hæret. G. 5: ed. Colon. A. 1529. Sebast. Franc. Chron. f. 400. Eder. mataeol. hæret. p. 13. Jo. Crisp. Gallipol. de Ethn. cautè leg. distrib. I. lib. V. f. 95.) nihil addunt de animabus eo in statu peccasse creditis. Cæterùm hæresin eorum circà annum Domini 1273. viguisse intelliges è Prateol. Elench. hæres. lib. VI. p. m. 513.

na. Contradixit hæresi (cumprimis crassæ) Concilium Bracarense *a*); contradixerunt Sancti Patres, è Græcis Cyrillus Alexandrinus *b*), è Latinis Hieronymus *c*), ex utrisqve præter hos alii *d*). Qvid ergò est, qvòd sepultam refodiunt hodiè novatores duo, Sandius & Anonymus tenebrio? Inter qvos tamen ipsos, si oculo curatiore utriusqve scripta inspicias, non major intercedere concordia videtur, qvàm inter fratres Cadmæos. Qvod pluribus nunc ostenderem, nisi cavendum esset mihi, ne Vestrâ, Honoratissimi Auditores, auscultandi abutar benevolentiâ. Paucis tamen hoc monuisse sufficiat: Origenem nobis renovat Sandius, qvem ipse videlicet pro maximo habet Ecclesiarum post Apostolos magistro *e*); Priscillianum Anonymus, emanantes à Deo animas introducens *f*): qvod qvid aliud est, qvàm ex ipsâ Dei essentiâ illas cum Priscilliano derivare? Qvid, qvòd haud obscurè æternas easdem sic facit, ut non fine modò, sed & principio careant *g*)? Sandius anima-

a) respice ad lit. x. *b*) è qvo multa profert Sixtus Senens. lib. V. Bibliothecæ sanct. annot. 185. f. 428. *c*) hunc ex epist. ad Pammachium citat idem Senensis d. l. *d*) Cyrilli Hierosolymitani locum habes apud Elmenhorst. p. 131. not. ad Gennad. de Eccles. dogm. Ex Augustino qvædam dedimus lit. y. *e*) p. 85. *f*) p. 3. 14 *animæ humanæ omnes simul emanarunt à Deo in universali creatione.* *g*) p. 18. 19. *Qvicqvid capax est infinita*

marum & angelorum ὁμοουσίαν propugnat specificam *h)*: Fatetur Anonymus *i*), esse ipsas per suam naturam Spiritûs, sed addit, essentiæ heterogeneæ, cui triplex vehiculum conveniat, æthereum, aereum, terrestre *k*); ut omninò videatur ad ipsam, nescio an hominis dicam, an humanæ animæ essentiam, reqvirere conjunctionem cum qvalicunqve corpore. A Metempsychosi alienus est Sandius *l*): non perinde ab eâdem abhorrere dixeris Anonymum, ut qvi non neget, hominem eundem sæpiùs mori, qvanqvam tenebrosa hîc ejus assertio est *m)*. Committamus ergò

 par

nitæ durationis à parte post, illud etiam est capax durationis infinitæ à parte ante per suam naturam, qvæ in se nihil continet, qvod anteriori huic durationi repugnet. Talis autem est anima. E. *h)* p. 58. *i)* p. 4. *Anima humana per suam naturam est Spiritus, sed essentiæ heterogeneæ, cujus partes sunt centrum vitale, & radii substantiæ secundariæ: illi facultas superior rationis & sensuum, his facultas plastica inferior inest, qvæ sedes est triplicis aptitudinis in vehiculo triplici.* *k)* p. 43. 44. vult, *animam fuisse in unione cum vehiculis purioribus, æthereo nempe & aereo, atqve ab istis separatam demùm descendisse in hoc terrestre.* *l)* p. 106. *Ex praexistentiâ non necessariò vel μετενσωματώσις, vel μετεμψύχωσις Pythagorica infertur. Qvare & Origenes, qvi praexistentiam acriter defendit, μετενσωμάτωσιν ejusmodi apertè improbat in lib. contrà Cels. & comm. in Matth.* *m)* p. 54. 55. ubi respondet ad objectionem: *Si hypothesis de praexistentiâ est vera, seqvitur hominem*

sæpiùs

par hoc Andabatarum, ut in tenebris ipſi ſuis dimicantes, mutuisqve vulneribus confoſſi, minùs operoſam de ſe nobis victoriam relinqvant. Imò Sandium opponamus Sandio, neqve cum ipſo priùs certamen ineamus, qvàm è ſuis ipſe fluctibus emerſerit. Alibi enim ait, nullam ſtatûs animæ in corpore cauſam juſtam aſſignari poſſe præter culpam ipſius animæ *n*); neqve propterea eam creari, ut uniatur cum carne, ſed unionem accidere propter culpam *o*): alibi ſui oblitus negat, ſufficientem eſſe cauſarum incarnationis enarrationem, pœnam vel inclinationem; nam poſſe etiam animas ſe ipſas ſponte humiliare, ut præmium mereantur, vel, ſi antè peccaverint, ut per

ſæpiùs poſſe mori, qvàm ſemel: ſi enim excedente homine ex hâc vitâ vitalis aptitudo ad corpus terrenum nondum exſpiravit, neceſſum erit, illum ad ſimile corpus redire, donec in ipſo evigilet aptitudo vitalis ad corpus aëreum, atqve hâc ratione ſæpiùs mori deberet, qvod contrà Heb. 9, 27. Reſpondet autem his verbis: *Dictum Hebr. 9, 27. ut rectè intelligatur, diſtingvendum eſt [1.] inter hominis vocem latiùs acceptam pro animâ in qvocunqve ſtatu illa ſit, & ſtrictius pro animâ cum corpore ex humo facto unitâ. [2.] inter judicium univerſale & particulare. Paulus ergò ita explicandus: Qvæcunqve anima cum ſuo vehiculo terreno eſt unita, illi conſtitutum eſt ſemel ab hoc vehiculo diſſolvi, & deinde ſtandum eſt ipſi coràm judice particulari, ubi Nemeſis divina disqviret, an ita vixerit, ut rèdeundum ipſi ſit ad primum ſtatum, an minùs? Judicium verò univerſale non ſeqvitur mortem ſingulorum hominum.* *n*) p. 25. *o*) ibid. paulò pòſt.

per victoriam contrà carnem se à pœnâ liberent; posse qvoqve animas uniri cum carne ex gratiâ DEI, ut per medium luctæ possint victoriam, & victoriæ præmium, pristinæ felicitatis statum acqvirere *p*). Qvid huic homini facias, qvi sic à se ipso diffidet, ut, qvod ante affirmaverat, mox neget? qvi opinando sic fluctuat, ut qvò tandem navem suam sit appulsurus, nemo magis ignoret ipso? Nimirum decebat hoc falsissimæ causæ patronum. Ut enim unica est veritas: sic errorum voragines infinitæ; qvibus qvi semel se commisit, invenire, ubi firmo pede consistat, nunqvam possit. Decebat hoc eum, qvi Platonis discipulum se mallet exhibere, qvàm Mosis aut Christi. Nam & Plato cum suis adeò discrepantia hoc de argumento disserit *q*), ut è tot sententiis nescias, cui assensum minore cum veri periculo accommodes, aliis animas hominum suâ, aliis alienâ voluntate, aliis turbine qvodam cæcæ necessitatis impulsas in hæc corpora descendisse clamantibus. Nobis verò religio est veritatem cœlestem aliunde, qvàm ex Mosis, Prophetarum, Christi, Apostolorum limpidissimis haurire fontibus. Religio nobis est illis nomen hæreticis addicere, qvi ex animâ hominis angelum faciunt, ex homine Diabolum incarnatum,

p) p. 157. Conf. p. 159. 160. *q*) Vide Liv. Galantem lib. XII. Compar. Christianæ Theolog. cum Platonica f. 327. seqq.

rium veri DEI, esse deniqve referendum. Atqve hic non conqvievit, donec venenum hoc in DEI qvoqve civitatem, qvam scimus sub Lege veteri circumscriptam fuisse finibus Hebrææ Reipublicæ, spargeret. Et verò satis constat, Rabbinos Judæorum, uti non pauca traxerunt è lacunis Philosophorum gentilium, sic ab iisdem qvoqve sententiarum illas ineptias tùm de animarum præexistentiâ *m*), tùm de metempsychosi *n*) saltem illâ, qvâ per varias humanorum corporum formas vagentur animæ, ab se tamen interpolatas, accepisse. Nam qvod Menasseh Ben Israel *o*) opinionem hanc, qvæ animas humanas priores esse corporibus asserit, qvamqve ipse communem vocat omnium Hebræorum, ab his ad gentiles manâsse persvadere nobis cupit, frustrà cupit. Qvam enim ipse veram esse existimat, nos compertissimam habemus falsitatis. Non ergò à populo DEI ad scholam Satanæ, sed itinere contrario ab hâc ad illum transiit. Sapuerunt in eo tamen Cabalistæ, qvòd perversi dogmatis non omnia ad se capita transtulerunt. Nam primùm, qvod Ethnici affirmarunt, peccavisse animas, anteqvam ingrederentur corpora, suum hoc gens Judæa non fecit. Deinde consentaneum est, si

m) Vid. Slevogt. Disp. Theoret. XXII. p. 497. seqq. Voysin. not. ad cap. 9. R. Isr. de animâ p. 194. *n*) Vid. Slevogt. Disp. p. 819. seqq. de Metempsf. Jud. *o*) Lib. I. de creat. probl. 15. p. 61.

ſi qværas ex Rabbino, cenſeátne animas noſtras ex ipsâ naturæ divinæ eſſentiâ prodiiſſe, qvod gentilibus perſvaſum fuit, an creatas ex nihilo fuiſſe, etiam hîc minimè ſecuturum eſſe næniam gentilium. Cæterùm qvod ad ipſam animarum multitudinem attinet, in eo neſcio an non qvidam ipſorum propiora Stoicorum placitis defendant, qvàm Scholæ Platonicæ. Intelligo enim eſſe, qvi ſic diſſerant, ſimul qvidem animas omnes eſſe creatas à DEO, non diſtinctas tamen, ſed in unam veluti molem confuſas, peculiarium individuorum tùm demum naturam adepturas, cùm ex illo velut oceano in corporum ſingularium rivos deductæ fuerint *p*). Qvæ profectò ſententia ut à Platone ſatis apertè recedit, ita parum abeſſe à Stoicorum philoſophiâ videtur, qvi ſingulorum animas hominum ex illâ mundi animâ univerſali tùm demum egredi, cùm novus homo naſcitur, ſunt arbitra-

p) Archang. de Burgonovo Comment. in Cabaliſt. dogm. (apud Piſtor. Tom. I. Artis Cabal. f. 854.) *Omnes animæ à principio ſimul creatæ fuerunt; etſi non diſtinctæ & ſingularizatæ: tamen creatæ ſimul dicuntur fuiſſe, qvia maſſa una, ex qvâ omnes decerpuntur & ſingularizantur, à principio creata eſt: hoc eſt: æternaliter ideata (ſecundùm modum Cabaliſtarum.) Diſtingvuntur tamen per materiam ſeu per corpora: radicaliter tamen & originaliter omnes una ſunt, licet maſsâ ideali.* Atqve huc fortaſſe & illud pertinet Cabaliſtarum dogma, qvod ibidem legitur f. 752. *Magnus aqvilo fons eſt animarum omnium ſimpliciter.*

arbitrati. Sed hæc judicanda iis permitto, qvibus Rabbinorum scripta qvàm mihi familiariora sunt. Qvicqvid autem sit hujus, illud utiqve manifestum est, insano gentilium dogmati Hebræos haud parum turpitudinis detraxisse, dum animas, anteqvàm in corpora nostra mitterentur, peccavisse, ipsis assentiri erubuerunt. Qvid ergò movit illos, ut corporibus antiqviores facerent, ipsiqve mundo ætate pares? Nimirum cùm negarent, animas filiorum ex parentibus traduci, novas autem qvotidiè creari à DEO, asserere nollent, qvòd illud putarent animarum immortalitati repugnare, hoc sacro codici contradicere, qvi die sexto Deum ab omni opere cessavisse pronunciat *q*): nihil putaverunt esse reliqvum, nisi ut vel distinctas singulas, vel massam universarum unicam *r*) sub ipsum mundi exordium creatam à DEO asseverarent. Eqvidem qvomodo defendi tradux hodiè citra periculum

q) Gen. 2. v. 2. Atqve hinc à Menass. Ben. Isr. animarum præexistentiam probari, (qvanqvam non tàm è scripturâ, qvàm ex ratione petitum velit hoc argumentum,) docebit Slevogt. Disp. p. 503. *Nec enim videtur*, inqvit Franc. Georg. Venetus (passim judaizans) probl. Tom. III. sect. 9. n. 493. p. 202. 203. *qvomodo opinio illa de novâ animarum creatione defendi posset cum dicto scripturæ; qvòd cessavit Dominus Deus ab omni opere, qvod creaverat ad faciendum.* *r*) Idem Venetus ibid. n. 492. p. 202. *An igitur creata fuit moles qvædam animarum simul, adeò, ut nullam ampliùs animam Deus creet? sicut scriptum est: Cessavit Dominus &c.*

lum immortalitatis rectissimè qveat *s)*, novimus: neqve ignota distinctio *t)* est, qvâ ad illum, qvem dixi, sacri codicis locum responderi ab iis solet, qvi qvotidianam animarum creationem defendunt. Verùm Hebræos illos veteres uti abalienatos fuisse à traduce verosimile est per infamiam velut inevitabilis doctrinæ, qvæ nostras animas corruptioni obnoxias facit: sic veritatem sermonis divini de DEO ab operibus suis cessante custodire maluisse dixeris expositione planâ & simplici, qvàm artificio distinctionis. Qvo pacto solum hoc superfuit, ut à Gentilibus doctrinam de animarum origine simultaneâ mutuarentur, sed expolitam qvodammodò, & insigni purgatam nævo: neqve enim necesse sic fuit, ut animabus admissorum ante corpora criminum notas inurerent. Sanè verò Gentilium erroribus efflictissimè constat inhiasse Scholas Judæorum: ut adeò non peccet fortasse, qvi ab hâc potiùs insanâ cupidine morbi totius, (qvem tamen, ut discerni ab Ethnicis possent, circumcidendâ erroris haud exiguâ parte, non nisi temporatum admiserint,) originem arcessat. Verùm hæc alii disceptent. Illa interim erroris alioqvì sat crassi, ut ita pergam loqvi, circumcisio perfecit, ut hoc in argumento Ægyptiis vel

Hh Græcis

s) Vid. Disputat. nostram de Orig. animæ hum. sect. IV. §. 33. *t)* inter creationem novæ speciei, & novi individui.

Græcis tolerabiliores haud paulò censeantur Hebræi *u*). Certè duas ita sententias distingvere juvabit in posterum, unam, qvæ animas ex ipsâ Divinitatis essentiâ deductas, easqve peccatrices, nec aliâ de causâ corporibus, qvàm qvia peccaverint, immergendas; alteram, qvæ creatas ex nihilo, statimqve divino consilio destinatas corporibus, neqve anteqvam his primùm socientur, peccantes asserit. Posterior Hebræorum fuit: priorem à Gentilibus acceptam ipsi Ecclesiæ Novi Testamenti inferre qvondam conatus est Hæresiarcha Priscillianus *x*). Eo modestior aliqvantùm Origenes

u) Sixt. Senens. lib. V. Biblioth. sanct. annot. 208. f. 439. *Sunt qvi existiment, assertionem hanc,* [puta Gregorii Nysseni, (qvæ & ipsa Hebræorum fuit,) non solùm primi hominis animam, sed omnium qvoqve hominum animas ante corpus Adæ simul creatas fuisse affirmantis,] *citrà ullum hæreseos periculum & credi posse, & defendi, dummodò non putemus, animas antè, qvàm illaberentur corporibus, peccasse, & propter peccata detrusas in corpora, tanqvam in carceres: qvod in Origene, & in Origenistis & Priscillianistis Conciliorum decreta damnarunt. Neqve ab his discrepare videtur Petrus Parisiorum Episcopus, hanc rem sub dubio relinqvens libro 2. sent. distinct.* 17. *x*) De Priscillianistis Augustinus c. 70. de hæresibus: *Hi animas dicunt ejusdem naturæ atqve substantiæ, cujus est Deus.* De Priscilliano Concilium Bracarense, (cit. Elmenhorst. ad c. 14. Gennad. de Eccles. dogm. p. 131.) *Si qvis animas humanas dicit priùs in cœlesti habitatione peccâsse, & pro hoc in corpora humana in terram dejectas, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.*

genes *y*), tertiæqve autor ſententiæ, cùm cætera retineret, hoc unum expunxit, (Hebræorum in eâ re modeſtiam ſecutus,) qvòd animas non ex Oceano divinæ ſubſtantiæ effluxiſſe, ſed (qvod homine Chriſtiano minus indignum erat) ex nihilo conditas fuiſſe docuit: qvâ ratione mediam qvandam inter Gentilium & Hebræorum placita viam reperire voluiſſe cenſeri qveat. Triplex ergò ſic tandem in univerſum de animarum præexiſtentiâ error numerabitur. Qvo è numero craſſisſimum cum Gentilibus defendit Priſcillianus; minori aliqvantum craſſitie deformem Origenes; temperatum Cabaliſtæ Judæorum, cum qvibus ante qvatuor circiter ſecula ſenſiſſe dixerim Flagellantium ſectam *z*). Damnavit omnes Eccleſia Chriſtia-

y) Auguſtinus lib. XI. de Civ. Dei c. 23. *Animas* (qvidam) *dicunt, non qvidem partes Dei, ſed factas à Deo, peccâſſe à conditore recedendo: & diverſis progresſibus pro diverſitate peccatorum, à cœlis usqve ad terras, diverſa corpora, qvaſi vincula meruiſſe. Et hunc eſſe mundum, eamq; cauſam mundi faciendi, non ut conderentur bona, ſed ut mala cohiberentur. Hinc Origenes jure culpatur. In libris enim, qvos appellat περὶ ἀρχῶν, id eſt, de principiis, hoc ſcripſit.* *z*.) Nam qvi horum de animarum præexiſtentiâ errorem commemorant, (Scriptor magni Chronici Belg. f. 538. Bernard. Lutzenburg. Catal. hæret. G. 5: ed. Colon. A. 1529. Sebaſt. Franc. Chron. f. 400. Eder. matæol. hæret. p. 13. Jo. Criſp. Gallipol. de Ethn. cautè leg. diſtrib. I. lib. V. f. 95.) nihil addunt de animabus eo in ſtatu peccaſſe creditis. Cæterùm hæreſin eorum circà annum Domini 1273. viguiſſe intelliges è Prateol. Elench. hæreſ. lib. VI. p. m. 513.

na. Contradixit hæresi (cumprimis crassæ) Concilium Bracarense *a*); contradixerunt Sancti Patres, è Græcis Cyrillus Alexandrinus *b*), è Latinis Hieronymus *c*), ex utrisqve præter hos alii *d*). Qvid ergò est, qvòd sepultàm refodiunt hodiè novatores duo, Sandius & Anonymus tenebrio? Inter qvos tamen ipsos, si oculo curatiore utriusqve scripta inspicias, non major intercedere concordia videtur, qvàm inter fratres Cadmæos. Qvod pluribus nunc ostenderem, nisi cavendum esset mihi, ne Vestrâ, Honoratissimi Auditores, auscultandi abutar benevolentiâ. Paucis tamen hoc monuisse sufficiat: Origenem nobis renovat Sandius, qvem ipse videlicet pro maximo habet Ecclesiarum post Apostolos magistro *e*); Priscillianum Anonymus, emanantes à Deo animas introducens *f*): qvod qvid aliud est, qvàm ex ipsâ Dei essentiâ illas cum Priscilliano derivare? Qvid, qvòd haud obscurè æternas easdem sic facit, ut non fine modò, sed & principio careant *g*)? Sandius anima-

a) respice ad lit. x. *b*) è qvo multa profert Sixtus Senens. lib. V. Bibliothecæ sanct. annot. 185. f. 428. *c*) hunc ex epist. ad Pammachium citat idem Senensis d. l. *d*) Cyrilli Hierosolymitani locum habes apud Elmenhorst. p. 131. not. ad Gennad. de Eccles. dogm. Ex Augustino qvædam dedimus lit. y. *e*) p. 85. *f*) p. 3. 14. *animæ humanæ omnes simul emanarunt à Deo in universali creatione.* *g*) p. 18. 19. *Qvicqvid capax est infinita*

marum & angelorum ὁμουσίαν propugnat ſpecificam *h)*: Fatetur Anonymus *i*), eſſe ipſas per ſuam naturam Spiritûs, ſed addit, eſſentiæ heterogeneæ, cui triplex vehiculum conveniat, æthereum, aereum, terreſtre *k*); ut omninò videatur ad ipſam, neſcio an hominis dicam, an humanæ animæ eſſentiam, reqvirere conjunctionem cum qvalicunqve corpore. A Metempſychoſi alienus eſt Sandius *l*): non perinde ab eâdem abhorrere dixeris Anonymum, ut qvi non neget, hominem eundem ſæpiùs mori, qvanqvam tenebroſa hîc ejus aſſertio eſt *m)*. Committamus ergò

 par

nitæ durationis à parte poſt, illud etiam eſt capax durationis infinitæ à parte ante per ſuam naturam, quæ in ſe nihil continet, qvod anteriori huic durationi repugnet. Talis autem eſt anima. E. *h)* p. 58. *i)* p. 4. *Anima humana per ſuam naturam eſt Spiritus, ſed eſſentiæ heterogeneæ, cujus partes ſunt centrum vitale, & radii ſubſtantiæ ſecundariæ: illi facultas ſuperior rationis & ſenſuum, his facultas plaſtica inferior ineſt, qvæ ſedes eſt triplicis aptitudinis in vehiculo triplici.* *k)* p. 43. 44. vult, *animam fuiſſe in unione cum vehiculis purioribus, æthereo nempe & aereo, atqve ab iſtis ſeparatam demùm deſcendiſſe in hoc terreſtre.* *l)* p. 106. *Ex præexiſtentiâ non neceſſariò vel μετενσωμάτωσις, vel μετεμψύχωσις Pythagorica infertur. Qvare & Origenes, qvi præexiſtentiam acriter defendit, μετενσωμάτωσιν ejusmodi apertè improbat in lib. contrà Celſ. & comm. in Matth.* *m)* p. 54. 55. ubi reſpondet ad objectionem: *Si hypotheſis de præexiſtentiâ eſt vera, ſeqvitur hominem ſæpiùs*

per victoriam contrà carnem se à pœnâ liberent; posse qvoqve animas uniri cum carne ex gratiâ DEI, ut per medium luctæ possint victoriam, & victoriæ præmium, pristinæ felicitatis statum acqvirere *p*). Qvid huic homini facias, qvi sic à se ipso diffidet, ut, qvod ante affirmaverat, mox neget? qvi opinando sic fluctuat, ut qvò tandem navem suam sit appulsurus, nemo magis ignoret ipso? Nimirum decebat hoc falsissimæ causæ patronum. Ut enim unica est veritas: sic errorum voragines infinitæ; qvibus qvi semel se commisit, invenire, ubi firmo pede consistat, nunqvam possit. Decebat hoc eum, qvi Platonis discipulum se mallet exhibere, qvàm Mosis aut Christi. Nam & Plato cum suis adeò discrepantia hoc de argumento disserit *q*), ut è tot sententiis nescias, cui assensum minore cum veri periculo accommodes, aliis animas hominum suâ, aliis alienâ voluntate, aliis turbine qvodam cæcæ necessitatis impulsas in hæc corpora descendisse clamantibus. Nobis verò religio est veritatem cœlestem aliunde, qvàm ex Mosis, Prophetarum, Christi, Apostolorum limpidissimis haurire fontibus. Religio nobis est illis nomen hæreticis addicere, qvi ex animâ hominis angelum faciunt, ex homine Diabolum incarna-

 tum,

p) p. 157. Conf. p. 159. 160. *q*) Vide Liv. Galantem lib. XII. Compar. Christianæ Theolog. cum Platonica f. 327. seqq.

tum, ex carcere non carcerem, sed peccatorum officinam, qvæ malè agendi & consilia & potestatem non, qvod carceris est, coerceat, sed juvet atqve impellat. Religio nobis est ea insaniendi collocare cum Origene fundamenta, è qvibus ipsis qvoqve Gentilium sanioribus ridicula (opinor) seqvatur assertio, non modò corporis humani, sed totius qvoqve mundanæ fabricæ condendæ consilium ex eo demum eventu natum fuisse DEO, cùm extrà corpora creati spiritûs crimine rebellionis se adstrinxissent: ut ita compedes nimirum, ut vincula, ut ergastula nascerentur, in qvibus peccantium puniretur improbitas *r*). Religio nobis est ea fidei, non Christianæ sed semipaganæ, (imò rectiùs diabolicæ dixero,) cápita ponere, qvæ veram doctrinam de originali peccato pervertat, de salute per Christi meritum impetrandâ confodiat, de resurrectione corporum irrideat. Hæc si qvis accuratiore judicii lance expendet, is, si maximè forsan, ut furiosum dogma non contemneret, novitatis qvodam illectus aucupio fuit, sentiet sibi perire voluptatem absurdissimæ religionis: præsertim si illud cogitet, summo qvidem molimine conari hos homines pulcherrimam, sibiqve omni ex parte similem de nostri generis initio, ruinâ, restauratione tùm hîc jam inchoatâ, tùm olim in æternis habitaculis perficiendâ, historiam convellere;

r) regredere ad literam y.

vellere; ſed ſi viciſſim novam & accuratam, ſuisqve circumſtantiis illuſtri narrationis ſerie diſtinctam corporis doctrinæ, qvam ipſi profitentur, ſtructuram reqviras, nihil minus illorum ſcriptis contineri. Fateor, ligna paſſim vermiculoſa qvædam, & informes trabes, ac diſſecta ſaxa in iis reperiri: at verò juſtum ædificium, ubi omnes Novatorum paginas evolviſſem, nullum conſpicere uſpiam licuit. Imò verò ſuarum adeò rerum incurioſos ipſos deprehendi, ut appareat, nullam eos habuiſſe militum, qvos in caſtra vocaverunt ſua, delectum. Demonſtravi ſuprà, qvi animas univerſas ejusdem cum æthereo mundo antiqvitatis faciunt, non omnes id huic opinioni, qvod in præſenti qvidem negotio maximè tuendum adverſariis venit, aſſuere, ut in illo ſtatu primævo peccaviſſe ipſas arguant. At noſtri tamen Turbones absqve diſcrimine, qvotqvot vel hiſcunt de animarum præexiſtentiâ, ſuis ordinibꝰ adſcribunt, ſententias autem ipſarum, ſic ſatis inter ſe difformes, nullibi diſtingvunt. Qvàm metuo, ne, ſi ad prælium res proceſſerit, multi, qvos pro ſuis habent, non dicam ad nos transeant, (neqve verò ſatis idoneos etiam tales habemus, qvibus debere aliqvam victoriæ partem cupiamus,) ſed in ipſorum certè acie tumultum excitent, ſaltem vexilla deſerant, & eâdem cum cæteris lege confligere abnuant. Hæc cùm ita ſint, nihil eſt, cur illa ratiuncula-

rum, qvas cumulant novi jam diu occisarum hæresium promachi, congeries, illa testium, qvos citant, plurimorum nubes, qvenqvam moveat. Concute fundamentum erroris, ruet illa congeries. Sacræ Scripturæ radios immitte, evanescet illa nubes, neqve fallet ampliùs incautos pro Junone, nisi eos, qvibus decipi dulce est. At verò, inqviunt illi, pro nobis etiam sacer est codex. Longum hîc foret, omnia, qvibus abutuntur, divini verbi testimonia ponderare; neqve Theologorum hîc mihi invadenda provincia est. Liceat tamen unius tantùm teli, qvod è sacro petunt armario, robur explorare. *Nonne*, inqviunt, *Scriptura divinitùs inspirata corpus nostrum animæ carcerem atqve custodiam disertè vocat* s)? Ita est. *Ergò extrà corpus anima in meliore qvodam statu fuit: ergò extrà carcerem peccavit.* Nego hoc seqvi. Annon enim fieri potest, ut illa ipsa domus, in qvâ qvis peccavit, ipsi mutetur in carcerem t)? Obstrue fenestras, ut nulli è sideribus radii ingrediantur; extingve lumen; hibernum frigus nul-

s) Sandius p. 11. *Ut status ille deplorandus animæ incarnatæ magis elucescat, addimus, carnem dici sepulchrum, custodiam, carcerem & ergastulum, in qvo vinculis & tenebris captiva teneatur anima. Psalm. 142, 8. — 1. Petri 3, 19. — Thren. 3. 33.* &c. t) Prosper lib. sentent. ex Aug. n. 75. (p. 425. Oper. ed. Colon. A. 1609.) *Corpus carnis nostræ ornamentum nobis fuit: peccavimus, & compedes inde accepimus, ut vinculis mortalitatis omnis humanarum actionum cursus præpediretur.*

nullo foci calore pelle. E domo vel jucundissimâ carcerem habebis ilicò: nec erit necesse, ut mutet habitaculum, qvi eâ in domo peccavit. Talis autem omninò corporis qvoqve humani ratio est. Ante lapsum hoc ædificio nihil erat commodius: crystallinis aperti specularibus parietes radios divini solis admittebant; iidem dulcissimum in omne genus deliciarum prospectum adjuvabant; umbra fervori, focus frigori opponebatur. Post lapsum domus recreationis esse moles hæc desiit, tristis esse carcer incepit, non substantiam perdens, sed accidentia mutans. Sedemus in tenebris, qvia cœcus nobis intellectus est; frigidissimi sumus ad omne bonum opus, qvia divino amore calere voluntas desiit. Ruinam singulis momentis structura hæc minitatur, qvia ex incorruptibili corpore morbosum est factum ac mortale. Distingve ergò unius ejusdemqve corporis humani duplicem statum: videbis idem ex amœnissimo habitaculo transiisse in ergastulum infelix; nec erit causa, cur cum Origene dicas, extrà corpus peccasse hominis animam. Atqve hâc ratione consentiet sacra scriptura sibi: consentient inqvam omnia, qvæ passim de animæ carcere leguntur, cum primæ creationis historiâ. Mirum verò illud etiam, si tot animæ qvondam separatæ peccaverunt, nullam esse ex universis, qvæ noxæ hujus recordetur. Favent ergò veritati nostræ non modò

sacri

ſacri annales, ſed & propria cujusqve conſcientia. Hîc viciſſim illud urgebunt adverſarii, neqve creationis hiſtoriam obeſſe ſibi, neqve validum ſatis è reminiſcentiâ noſtrâ peti argumentum poſſe. Qvæ enim de homine primo narrat Moſes, allegoricè interpretanda eſſe, ut unius Adami nomine totum animarum exercitum intelligamus *u*): atqve hâc ratione pelliceas qvoqve illas tunicas, qvas feciſſe DEus lapſis legitur *x*), de ipſis, qvæ anteà non habuerint, corporibus exponendas venire *y*). Qvòd autem nemo noſtrûm, ſi maximè omnes memoriæ nervos intendat, redire in conſcientiam eorum poteſt, qvæ anima fecerit olim in ſiderum orbibus conſtituta, ex eo eſſe, qvia deſcendenti animæ poculum oblivionis fuerit hauriendum *z*), ſive, ut cum Anonymo loqvamur, experiendus ſilentii ſtatus *a*). O inſaniam hominum! Qvæ opinionum portenta non per-

---

u) Anonymus p. 65. *Adam in hiſtoriâ allegoricâ Moſis eſt figura totius humani generis.* *x*) Gen. 3, 21. *y*) Sand. p. 52. *Per pelliceas tunicas Origenes intellexit corpora noſtra.* *z*) tetigi ſuprà lit. f. è Sandio p. 77. & 160. *a*) Anonymus p. 6. *Deſcendentes* (animæ) — *tandem devenerunt in atmoſpharam globi hujus terreni, ubi degenerantes* — *tractu temporis omnem rationis uſum perdiderunt, moxq; & ſenſuum, adeò ut tandem in ſomnum qvaſi inciderint, ſtatumq; ſilentii.* Et p. 49. *In qvo* (ſtatu ſilentii & torporis) *conſopitæ jacuerunt omnes facultates ſuperiores, rationis nimirum & ſenſuum, qvò memoria pertinet.*

persvadeas, ubi semel commentis hujusmodi locum feceris? O neqvitiam dæmonis! qvi ut in suâ civitate religiones amavit fabulis, qvod patrem tenebrarum decebat, caliginosissimis involvere, sic eodem artificio Ecclesiæ qvoqve DEI illudere qvæsivit. At enimverò intersit aliqvid inter historiam sacram ipsius DEI, & fabulas Homeri, aut Ovidianas metamorphoses. Age autem, grex insana, qvoniam allegoriis delectari te video, audi vicissim apologum meum: qvem qvidem talem fore confido, ut, qvid ille occultet, ad hoc divinandum non opus sit Oedipo. A Vobis autem, A. H. rogo, ne fastidio sit Vobis hoc meum sub fabulâ occultandæ veritatis consilium. Eam ubi absolvero, mox finem contrà hos adversarios differendi faciam. Fuit in civitate qvâdam, qvi per fenestras irrepens maximi cimelion precii auferret Regi, cumqve pecuniâ mutatum dilapidaret. Cùm reddere non posset, damnatus unà cum sobole ad supplicium capitis, intercedente Filio Regis, & alienum debitum solvente, veniam est adeptus, sed eâ lege, ut & ipsi, & filii duo gratiam hanc à Regis Filio supplices agnoscerent. Interim ut memoria facinoris vigeret, stigma ipsi pariter & familiæ inustum est, res tota literis regiis publicè servatis comprehensa. Fecit imperata reus pater. Filii duo, cùm ista fierent, infantes erant: ab his postulatum, ut ubi ad ætatis annum

num duodecimum venissent, veniam & ipsi, qvam pater jam impetraverat, rogarent. Dum adolescunt filii, pater diem suum obierat. Ubi duodecennes esse cœperunt, parant se, ut Regem supplices adeant. Hoc in itinere obvium habent impostorem: à qvo interrogati, qvo tenderent, qvod res erat, ipsi enunciant. Híc ille ineptos vocat, qvi ista crediderint. Non enim, inqvit, pater vester, sed vos ipsi furati estis; neqve pro vobis Regius Filius satisfecit: vobis ipsis restituenda est res furtiva; neqve desunt facultates: aut si deesse vobis putatis, me seqvimini! artem vos docebo, qvâ paucis diebus ingens auri pondus lucrari qveatis. Reclamant filii: nam alia, inqviunt, omnia docent nos publicæ Regis literæ; neqve recordari nos possumus unqvam hoc factum ipsos patrâsse. Ille vicissim: nimirum obliti estis. Audite me, rem vobis aperiam. Scitis ex erucis papiliones fieri: qvod fecit eruca, nescit papilio. Ita vos, anteqvam homines nascaremini, aqvilæ fuistis, & per apertam casu aulæ regiæ fenestram sustulistis cimelion. Illi vicissim: Qvid verò literis regiis respondes? Impostor: An ignoratis Trithemii steganographiam? Nunqvamne audivistis, qvid anagrammatum artificio qvibuscunqve è scripturis elici qveat? Scitote ergò, literas regias aut secundùm steganographiam esse scriptas, aut adhibitis anagrammatismis interpretandas.

Cum-

Cumqve dicto literis regiis acceptis, (harum enim exemplum illi gerebant in sinu,) anagrammaticæ artis, ut erat ejus peritissimus, specimen edidit, & ex illis aqvilas exsculpsit, duas, regii cimelii fures. E duobus filiis alter credidit impostori, seqve socium illi dedit, alter valere ipsum jubens Filio Regis factus est supplex. Atqve hic consecutus est gratiam. Alter ille cum impostore pependit è patibulo.

Satis ita dictum esto adversus pestilentissimam opinionem, qvam de animarum præexistentiâ maleferiati qvidam, ut lenissimè dicam, homines diu damnatam revocare student ab inferis. Nunc postulat causa, id ut exeqvar, cujus gratiâ editiorem hunc locum conscendi.

ORATIO XXI.

De præstantiâ Theoreticæ vitæ:

Habita A. 1676. d. 16. Decembr.

in renunciatione IX. Baccalaureorum Philosophiæ.

VEtus verbum est, *Decane Spectabilis, &c.* nos, qvamdiu in utero degimus, plantæ vitam vivere; dum sumus infantes, animalis; hominis verò tùm demum, ubi ad justum rationis

tionis usum ætas nostra maturuit. Vetus inqvam hoc verbum est, nec minus verum. Sic enim utiqve res habet. Cùm in maternis visceribus hæremus, nihil aliud agit anima nostra, qvàm illa, cujus officio herbæ, frutices, arbores efflorescunt; rude semen partitur paulatim in membra dissimilaria, mox eadem nutrit, atqve incrementis auget; de cætero nihil habent nec oculi, nec aures, nec alia sensuum instrumenta, in qvò se exerceant. At verò, ubi è tenebris alvi atqve carcere in liberum aerem fœtus erupit, videre oculi aperti, audire non ampliùs obstructæ aures incipiunt, lingva evestigiò qvod glutiat qværit, nisiqve inveniat, vagitu desiderium prodit. Verùm in his omnibus nihil apparet ultrà ea, qvæ brutis etiam animantibus indulsit autor naturæ DEUS. In isto tamen jamdum ætatis tenellæ statu hominem paulatim prodit natura, præsertim ubi balbutire infans, mox etiam puer articulare vocem incipit. Tandem ita supervenit sua rationi ac judicio maturitas, eoqve progreditur adultus homo, ut brutis omnibus excellentior vim tanti nominis, qvod ipsi Creator indulsit, accuratè expleat. Hæc ergò triplex illa vita est, qvæ nobis omnibus, qvotqvot pueri esse non corpore modò, sed animo desiimus, experienda fuit, una plantæ, animalis altera, hominis tertia. Sed annon tribus his qvartam insuper addemus Angelorum seu Spiritu-

um?

um? Fecit hoc Anglus ille, qvi Religionem Medici scripsit, Thomas Browne, cujus verba qvoqve recitare vobis, A. O. placet. *Primò nihil aliud sumus*, inqvit *a), qvàm rudis & indigesta moles in rerum earum numero, qvæ ignavam qvandam & torpidam sortitæ* essentiam *nondum aut vitâ præditæ aut* sensu rationéve *donatæ sunt. Post illa* plantarum, *dein* animalium, *mox* hominum *vitam vivimus, postremò* spirituum: *ita tandem mysticâ naturâ nostrâ qvinqve illa existentiarum genera percurrentes, non tantùm cuncta totius terrarum orbis, sed etiam totius universitatis in nobismet ipsis creaturas complectimur.* Verùm necesse non est, sive partes humanæ vitæ, sive, qvod Anglo scriptori *b*) propositum fuit, Entium gradûs numerare velimus, ut angelicam vitam divellamus ab humanâ. Omninò sufficere nobis qveunt qvatuor Entium gradûs, qvi sunt, *esse, vivere, sentire, intelligere*, qvorum ultimum communem cum Angelis homines habemus. Porrò si brutorum vitam illi degere dicuntur meritò, qvi se carnis addicunt voluptatibus; cur non pariter Angelorum eos vitam censeamus æmulari, qvi DEO, qvi hominibus juxtà præscriptum veræ virtutis serviunt? Hoc enim ipsum non

Ii An-

a) Relig. Med. sect. 33. p. 203. *b*) Id enim agit eo loco, ut ostendat, hominem esse microcosmum, adeóqve omnes creaturarum, (sunt autem in Creaturis & Angeli,) gradûs complecti.

Angelorum magis qvàm hominis est officium: qvem sapientissimè DEUS medio qvasi loco inter cœlestes illos Spiritûs, & animantes in hæc terrestria abjectas collocàvit, ut ascendere potiùs ad altiora cum Angelis, qvàm in sordium se volutabra cum pecudibus demergere laboraret. Qvòd si maximè vivendi modum angelicum ab humano secludere placeat: beatæ potiùs illum, qvæ post animarum è corporibus emigrationem, maximè verò post corporum à mortuis resuscitationem proposita nobis est, vitæ reservemus, qvàm qvod Brownius egisse videtur, (qvanqvam non satis dilucida *e*) hîc ejꝰ sententia est,) mortalis curriculi nostri spaciis implicemus. Sanè citiùs futurum est, ut egressi vegetam ætatem, qvæ vitam homine dignam, eamqve suis absolutam numeris, agere valet, relabantur in pueritiam, (bis enim pueri senes,) cum eâqve in vitam animalem, qvàm ut cupiditatibus debellatis, qvarum exercitia magis qvàm libidinem restingvit senectus, Angelos incorporatos se præstent. Maneat ergò per me uti animæ nostræ triplex facultas, vegetatrix, sensitiva, rationalis: ita sors triplex vivendi, communis una nobis cum stirpibus, altera cum

e) neqve enim in verbis, qvæ ex eo recitavi, apertam vitæ humanæ vel solius mortalis, vel ad immortalitatem extensæ mentionem facit: ut adeò nescias, qvibus terminis eam circumscribere cogitaverit. Verosimile interim, respexisse ipsum ad solam hoc in orbe vitam nostram.

cum brutis, tertia cum Angelis, imò cum ipso, qvi sui qvandam imaginem in rationalibus expressit substantiis, DEO, qvatenus Creatori utcunqve fas est comparare creaturam. Jam cùm hæc ultima vivendi nobilissima species distingvi soleat ulteriùs in speculativam, & operatricem vitam, qvarum illam theoreticam Græci vocant, hanc practicam: visum est hodiernæ orationis meæ argumentum in utriusqve comparatione mutuâ occupare, planumqve facere, tametsi controversiâ res non caret, rectissimè tamen eos sentire, qvi theoreticam vitam multis nominibus antecellere statuunt practicæ. Neqve aliena erit hæc tractatio ab officio diei præsentis. Bonarum artium ac philosophiæ Baccalaureos renunciare sum jussus. Exploravimus autem horum profectûs non in practicis modò disciplinis, qvanqvam instrumentalibus illis tantùm, sed in theoreticis qvoqve iis, qvas primæ laureæ convenientes judicavit Antiqvitas. Agite ergò, A. H. deqve argumento rei, qvæ nunc agenda est, non incongruo verba facientem benevolentiâ vestrâ, qvam non minùs exploratissima documentis multis virtus vestra, qvàm aures attentæ mihi pollicentur, sublevate!

Dicendi campum sum ingressus non modò latissimum, (adeò multa se de hoc argumento, qvæ proponi qveant, offerunt,) verùm etiam mirè salebrosum, passimqve sentibus ita impli-

catum, ut, nisi cautio adhibeatur, labi facile sit. Qvid agam igitur? Ex uberi messe spicas vellam paucas admodùm; spinas ac tribulos, ne illis lædar, aut declinabo penitus, aut unius evulsione vel alterius prospiciam itineri meo. Ut, qvid velim, paucis complectar, tria mihi proposui. Primò certaminis, qvæ de præstantiâ theoreticæ vitæ cum practicâ intercedit, historiam utcunqve explicabo; deinde justæ utriusqve vitæ imaginem, rudi licet penicillo, sic delineabo, ut qvid inter veram earum &,qualem negari non potest à multis depictam fuisse, falsam intersit figuram, arbitrari oculus non planè lippiens qveat; tandem causas edisseram, qvæ cum utraqve vita plurimum laudis mereatur, theoreticam tamen seu contemplativam in majore habendam esse pretio svadeant. Ut ab historiâ exordiar, opinio illa, qvæ palmam speculatrici vitæ præ activâ defert, & vetustissima, qvod sciam, fuit, & in philosophiæ græcæ sectis præcipuis qvatuor, qvarum duces sunt Plato, Aristoteles, Zeno, Epicurus, regnavit sola. *Platonis* mentem vel è Maximo Tyrio cognoscere licebit. In hujus dissertationibus duæ leguntur *d*), adversæ qvidem illæ, cùm altera pro activâ pronunciet, altera pro contemplativâ, sed qvarum posterior ita decidat litem, ut haud obscurè vincat contem-

d) qvinta, qvæ activam p. 45. & sexta, qvæ contemplativam vitam p. 57. antefert.

templativa. In eâ enim hæc leges *e*) : *Practicum laudo, qvòd ubi necesse est, virum se præbet; theoreticum & laudo, & beatum judico.* Activa ergò vita, Maximo Tyrio judice, calculum unum, solius videlicet honestatis, meretur; duos contemplativa, ut qvæ honestati beatitudinem adjungat. Sed qvænam est illa beatitudo? Declarant hoc proximè seqventia: *Beatum* (theoreticum) *otii causâ judico.* Ideò igitur speculativam vitam anteponit practicæ, qvia otiosa, hoc est, qvia svavis, jucunda, omnibus negotiis, atqve adeò molestiis vacans. Nimirum ita est: practicam vitam comitari solent labores, defatigationes, tædia, dolores. Vicissim contemplari qvi didicit, hujus animum tantæ recreant voluptates, ut dum dies labitur, vix horam exegisse se putet. Atqve hæc causa discipulum qvoqve Platonis *Aristotelem*, (nam ad hunc progredior,) movit, ut, Deorum vitam solâ contemplatione metiretur, praxin illis omnem, qvippe qvos nefas esset implicare curis molestis *f*), aut alioqvi naturæ divinæ indignis *g*), abjudicaret. Ergóne, inqviet aliqvis, nihil operatur DEUS Aristoteli? non mundum ab se conditum gubernat? status siderum cursûs non disponit? non in hoc inferiore mundo temporum vicissitudines ordinat?

 Non

e) p. *66.* sub fin. *f*) Practicam vitam ut irreqvietam contemnit Aristoteles X. Nicom. 7. p. 429. Conf. VII. Polit. 2. p. 435. 436. *g*) Vide X. Nicom. 8. p. 434-435.

Non negat eqvidem hæc Aristoteles, negat tamen ea facere Deum liberè, cùm putet eum non nisi ex necessitate naturæ operari. Talis verò actio non ea est, qvam practica reqvirit vita, substantiæ nimirum rationali, qvatenus ea ex libertate arbitrii aliqvid extrà se molitur, propria. Eadem mens *Stoicorum* parenti Zenoni fuit. Nam in hujus porticu Fati necessitate tanqvam compedibus vincti Dii qvod agunt, necessitate naturæ agunt. Qvòd ergo beati sunt, non actionibus ipsorum imputant Stoici, sed contemplationibus. Hanc illorum beatitudinem tantò majorem sibi visus est deprehendisse *Epicurus*, qvòd ipsos planè absolvit ab omni hoc universum gubernandi sive necessariâ, sive liberâ curâ, ludosqve non nisi speculativos in intermundiis agere per otium jucundissimum est arbitratus. Venit hîc mihi in mentem ejus, qvòd Hieroni Siciliæ tyranno respondisse fertur Pythagoras *b*). Interro-

b.) Vid. Verulam lib. VII. de augm. scient. c. 1. p. 485. Simile qvoddam ejusdem Pythagoræ ad Leontem Phliasiorum principem responsum commemorat Cicero lib. V. Tusc. p. 229: sed satis prolixum. In breviora id contraxit Erasmus lib. VII. Apophth. p. 852. his verbis: *Pythagoras dicebat, vitam humanam esse similem panegyri, hoc est, solenni hominum conventui, ad quem alii conveniunt certaturi, alii negotiaturi, nonnulli spectatores modò futuri. Ac cæteros quidem omnes esse solicitos, solum spectatorem tranquillum frui celebritate: hunc spectatorem ajebat esse philosophum, qui non ob aliud in hoc mundi theatrum prodis-*

terrogatus enim ab eo, qvisnam esset? *Non te latet*, inqvit, *modò unqvam Olympicis certaminibus interfuisti, id ibi loci contingere, ut veniant eò alii fortunæ suæ in agonibus periculum facturi; alii ut mercatores ad merces distrahendas; alii ut amicos undiqve confluentes convenirent, & epulis atq; hilaritati indulgerent; alii deniqve ut cæterorum essent spectatores: Ego verò unus sum ex illis, qvi spectandi gratiâ advenerunt.* Hoc nimirùm voluit dicere, beatam se è speculatione naturæ agere vitam, cæteris vel molestias practicæ vitæ, vel indignarum homine voluptatum carnalium delicias relinqvere. Talem vitam Diis qvoqve suis concessit Epicurus, qvi videlicet hominum, aliarumqve in hoc universo substantiarum, velut ad Olympicos ludos confluentium, jucundo se spectaculo pascerent, aliarum actionum omnium securi. In eo interim, id qvod è dictis colligere licet, conspirant cum *Epicuro Aristoteles* pariter & *Stoici*, qvòd divini Numinis felicitatem non è praxi, qvam vel nullam DEO, vel absqve svavitate necessariam tribuunt, sed è solâ rerum præcipuè extrà se positarum speculatione metiuntur omnes. Atqve hinc porrò illud est, qvod & vitam speculativam veluti divinam planè laudibus evehunt super activam, & hujusdem vitæ sectatorem philosophum seu sapientem suum DEO comparant.

prodiisset, qvàm ut naturas rerum ac mores hominum contemplaretur.

parant. Qvâ in re modestiæ limites ita excessit Seneca Stoicus, ut sapientem non modò parem DEO pronunciet, sed etiam horresco referens) superiorem: nempe qvòd DEUS naturæ beneficio, Philosophus suo sit sapiens *i*). Itaqve continere se non potuit summus alioqvi Senecæ & Stoicorum assentator Lipsius, qvin ad hanc ejus blasphemam vocem despueret *k*). Videmus ita, qvàm fœdas labes opinioni alioqvi bonæ, qvæ vitam theoreticam practicæ anteponit, adsperserint philosophi gentilium. DEUM non nisi unum natura novit; illi multos imaginantur. Felix DEUS est non contemplando tantùm, sed etiam agendo; (nihil enim ipsi molestiarum, Numini potentissimo & simplicissimo, creant vel uno momento subeunda negotia infinita;) at illi negant, practicam DEO bea-

i) Senecæ Locus integer hic est Epist. 53. (al. 54.) sub fin. Tom. I. Oper. p. 368. edit. Amstelod. A. 1619. *Totam huc* [sc. ad philosophiam] *converte mentem, huic asside, hanc cole: ingens intervallum inter te & cæteros fiat. Omnes mortales multò antecedes, non multò te Dii antecedent. Qvid inter te & illos interfuturum sit, qværis? Diutiùs erunt. At mehercule magni artificis est, clausisse totum in exiguo. Tantum sapienti sua, qvantum Deo omnis ætas patet. Est aliqvid, qvo sapiens antecedat Deum. Ille naturæ beneficio, non suo sapiens est.*
k) lib. III. manud. ad Stoic. philos. c. 14. p. 139: Verba ejus, ubi Senecæ locum retulisset: *Sunt alia alibi tales voces: abhorreo, & despuo: & ah mei Stoici, qvàm à recto per elevationem ivistis!*

beatitudinem ac vitam competere *l*). Suo beneficio DEUS beatus est ac sapiens, non alieno; nos contrà qvicqvid habemus boni, DEO debemus, non nobis: qvid autem sumus vermiculi, si cum Divinâ Majestate comparemur? At Seneca sapientulum suum eò usqve evehit, ut infrà se DEUM despiciat. O insaniam horrendam! Super hæc omnia delirantes illi

l) In hunc eundem errorem ex amore in Aristotelem nimio videtur incidisse & Ernestus Sonerus, in oratione de vitâ contemplativâ, (qvam Felwingerus in Philosophiâ Altdorphinâ p. 552. exhibet) hæc scribens p. 554. 555. *Qvòd si igitur nihil in Deo imperfectum, si se ipso nihil habet perfectius aut sublimius, cujus aditu prohibeatur à perturbationum æstu, qvem prius virtute restingvere necesse habeat, si perpetuò degit vitam optimam, nunqvam cœptâ, nulloq; ævo finiendâ felicitate; vanitas est ipsi virtutes morales, aut vitam activam adsignare: insania autem prorsus, eundem ad vitam effectivam, sive ποιητικὴν deprimere, utpote qvæ multò adhuc, qvàm activa sit ignobilior, hominibus ad sublevandam humanæ fragilitatis & mortalitatis indigentiam concessa. Sed video hîc grandem mihi exoriri tempestatem à Theologis, qvi tantùm anathemate me non ferient, qvòd videbor illis justitiam Deo denegare, qvæ est activa, creationem mundi tollere, qvæ ποίησις videtur, &c.* Observa obiter, à Sonero in his activam vitam, (qvam aliàs tàm latè extendimus, ut ποιητικὴν sub se comprehendat,) strictè accipi sic, ut ab eâ distingvatur vita ποιητικὴ. Sed ferri hoc facilè potest: non item illud, qvòd Deo solam relinqvit vitam contemplativam. Noti autem sunt viri hujus lapsûs non pauci, à qvibus nec immunis est ejus in Metaph. Arist. commentarius, qvod nec Felwingerus diffitetur præf. ad Lectorem ejus.

gentilium disputationi præsenti aliam qvoqve maculam, licet notæ levioris, adjecerunt. Omne hominum laudabile genus in duas classes distinxerunt, in qvibus soli philosophi, contemplationi videlicet unicè dediti, verè jucundam agerent ac beatam vitam, cæteri dignam & ipsam qvidem laudibus, sed minùs beatam, qvia practicam. Aristoteles certè in Politicis non nisi duas agnoscit laudabiles vitas, & in his civilem opponit philosophicæ *m*), hoc est, activam speculativæ: qvasi non simul & civem agere liceat, & philosophum. Neqve pauca, si qvis id agat, in hanc sententiam congerere possit è Maximo Tyrio *n*). Ego verò haud inficior quidem, ita esse hominum ordines distinctos, ut aliis plus laboris impositum, aliis plus otii sit relictum, qvod otium sanè transigi nullâ

m) lib. VII. Polit. c. 2. inter alia his verbis p. 436. λέγω δὲ δύο [βίους] τόν τε πολιτικὸν, καὶ τὸν φιλόσοφον. In præcedentibus p. 435. ὁ πολιτικὸς καὶ πρακτικὸς synonyma sunt ipsi, qvibus opponitur βίος θεωρητικός. *n*) Is dissert. V. ubi pro vitâ practicâ pronunciat, cùm textores, fabros, pictores, ungventarios, & alios, qvorum est opus aliqvod, (adeoqve practicos,) attulisset p. 48. his omnibus opponit p. 49. philosophum, tanqvam contemplatorem, qvi de se, *otium ago*, inqvit, *solusq; mecum rerum naturam contemplor*. Idem in alterâ dissert. qvæ sexta est, ubi contemplativæ vitæ causam agit, p. 65. 66. vivendi genera vel pro natura singulorum, vel pro ætate, vel pro fortunâ sic distingvit, ut (1.) infirmi speculentur, firmiores agant, (2.) juvenes agant, senes speculentur, (3.) fortunati ac divites agant, pauperes speculentur.

lâ re honestiùs, qvàm dignis homine speculationibus potest; dabo igitur, alios plus temporis subtrahere negotiis posse, qvod speculationibus impendant, alios minus: veruntamen, qvis hinc inferat, sic esse partiendos generis humani, liceat ita loqvi, greges, ut alii velut jumentorum vivant vitam, continuis nec ullâ speculatione interruptis fatigati laboribus, alii avicularum instar haberi mereantur, qvæ caveis inclusæ tempus omne fallant canendo? hoc enim simile qvodammodo speculationi habent volucres. Omninò erroribus annumeranda venit illa hominum universorum in speculativos & practicos distributio. Verùm hic error adeò fuit fœcundus, ut è Scholis Gentilium in Christianas etiam sit propagatus, ac profundissimas egerit radices, eo præsertim ævo, qvod appellare, qvia monachis maximè scatebat, solemus monasticum. Nimirum eò rem deduxerat à vero DEI cultu deficientis Ecclesiæ Romanæ superstitio, ut illa cohors rasa, qvæ cœlibem agens vitam in claustrorum retinaculis velut in caveis qvibusdam svavi otio fruebatur, toto se vivendi genere ab illis divelleret, qvi in Republicâ civium, in domo patrumfamilias nominibus gaudentes non sine laboribus in suâ qvisqve conditione victum parabant sibi. His ergò, qvia negotiis obstringerentur, practicam vitam imputabant Monachi, sibi, qvòd divinis vacarent officiis, theoreticam

reticam sumebant, præqve se, tanqvam spirituales qvi essent, cæteros contemnebant ut seculares. Suam nimirum vitam jactabant speculativam illam esse, qvam in Mariâ, Marthæ sorore, optimam partem eligente, laudaverit Christus *o*); qvam Johannes nunqvam moriturus adumbraverit, cùm activæ typus fuerit Petrus Johanne inferior *p*); se deniqve cœlestes esse homines, aut potiùs angelos terrestres *q*) gloriabantur. Hæc & similia his plura temporibus istis ita inculcabantur passim. Viguit

o) Luc. 10. v. 41. 42. *Martha, Martha solicita es, & turbaris ergà plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, qvæ non auferetur ab eâ.* Durand. Rational. lib. VI. c. 108. p. 759. ed. Lugd. A. 1592. *Hæ duæ vitæ* [contemplativa & activa] *per Mariam & Martham significatæ sunt.* — Vid. & Tholosan. de Rep. lib. IV. c. 10. n. 18. p. 228. Danæ. Polit. Christian. p. 89. *p*) Depromptum hoc è Joh. 21. v. 23. *Discipulus ille non moritur.* Ad contemplativam hoc suo jam ævo traxerat Augustinus, uti patet è Luth. Kirchen-Postill Wintertheil f. 117: & ibid. Fest-Pred. f. 50. Cæterùm alia qvoqve scripturæ sacræ dicta pro vitæ speculativæ præstantiâ protulerunt, ut illud Psalm. 116. v. 16. *Pretiosa in oculis Domini mors Sanctorum ejus.* (vid. infrà lit. y.) Mortem nimirum illam interpretabantur vitam contemplativam, qvæ animam faciat mori corpori, & in se reduci. Sic Philosophis Gentilium placebat Philosophiam vocare μελέτην θανάτου. *q*) Petr. Blesens. Epist. 103. verba referens Abbatis Radingensis, ad qvem scribit: *Video in claustris cælestes homines, aut potiùs angelos terrestres: qvorum conversatio est in cælis.*

Viguit autem hæc opinio, qvæ Theoreticæ vitæ primas defert, in Scholis certè Theologorum. Nam è Jureconsultis fuisse Felinum, qvi dubitaret; fuisse alios, qvi activam vitam judicarent meliorem, docuit me scriptor Sylvæ Nuptialis Nevizanus *r)*. Verosimile est, contemplativæ vitæ, ne in hâc controversiâ calculos omnium mereretur, illud nocuisse, qvòd eam qvi sibi arrogarent monachi plus ex ignaviâ malisqve moribus dedecoris sibi pleriqve, qvàm bonæ famæ ex inculpabili probitate compararent. Itaqve nec miror, ubi fax Evangelicæ veritatis accensa fuisset à B. Luthero, repertos, qvi theoreticam vitam à possessione usurpatæ per tot secula dignitatis dejicere conarentur, Lambertum Danæum *s*), & recentiore memoriâ Franciscum Baconem de Verulamio *t)*. Reflexerunt oculos ad vitam eorum, qvi cum pigri ventres essent, aut suas modò delicias utilitatis publicæ securi venarentur, è contemplationis, qvod

---

r) lib. III. n. 19. his verbis: *Felin. tamen in rub. de ma. & obed. col. 4. dicit, qvod est magnum dubium. Et Hostiensis, Alber. & Jas. qvi eos refert in l. 1. col. 4. ff. de just. & jur. dicit, qvod activa melior est. Barbat. in cap. in præsentia char. 12. de probat. in c. causam matrimonii eod. titu. colum. 3. pulchrè Udalr. Zas. in oratione habitâ in doctoratu Francisci Pauli incip. non possum, ubi respondet ad illud: Maria optimam partem elegit.* *s*) lib. II. Polit. Christ. c. 3. p. 85. seqq. *t*) lib. VII. de augm. scient. c. 1. p. 484.

qvod ſibi circumjecerant, pallio venerationem qværebant. Sanè Danæus in illâ qvæſtione occupatus Monachatum & Eremiticam vitam non ſemel reprehendit *u)*: Verulamius autem tametſi Ariſtotelem initiò nominatim oppugnat *x*), paulatim tamen orationem ſuam & adverſus monaſticæ vitæ ſectatores flectit *y*). Verùm neceſſe non eſt,

u) p. 86. 87: *Vaga & eremitica vita, in qvâ ſunt homines ἀπόλιδες, —— eſt planè miſera, meritoq; ab omni hominum ſanorum recteq; judicantium genere damnata.* Ibid. p. 87. prope fin. —— *qvicqvid contrà diſputet Thomas Aqvinas, Chryſoſtomus, Baſilius, ac qvi de vitâ Monachali & Eremiticâ ſcripſerunt. Verùm hujusmodi hominum vagorum (qvales nunc habemus) vita minùs adhuc eſt, qvàm veterum philoſophorum, qvos Cicero taxat, fructuoſa.* Et p. 88. *Verùm extitére homines nonnulli, qvi otii potius, qvàm negotii voluptate delectati, & tamen nomen Chriſtianum, (ſi ita placet,) profitentes, vitam illam vagam & ſolitariam, (qvam Monachatum & Eremiticam vitam appellarunt,) prætulerunt huic vitæ, qvæ certum larem & focum, certam Remp. ſibi deligit, deniqve qvi contemplativam vitam, (ſic enim illam ſuam ſolitudinem & ἀναχώρησιν vocant,) practicæ ac negotioſæ, id eſt, inter reliqvos mortales verſanti, & communem Reip. utilitatem promoventi vitæ præſtare contenderent.* *y*) p. 484. —— *Omnes ſiqvidem rationes, qvæ ab illo* [Ariſtotele] *pro contemplativâ afferuntur, bonum privatum reſpiciunt, atqve individui tantùm ipſius voluptatem aut dignitatem.* Negat autem in præcedentibus Verulamius, bonum individuale præferendum eſſe bono communionis. *y*) p. 485. *Neqve ſanè fieri potuit, ut hâc de re dubitatio in Eccleſiâ unqvam ſuſcitaretur:* (*ut*

eſt, ut cùm diluendæ ſunt ſordes, qvas hominum improbitas vitæ contemplativæ allevit, unà cum ſordido hoc balneo (utar enim triviali proverbio,) ipſum infantem effundamus, qvod feciſſe Danæus & Verulamius videntur. Qvid ergò? Cuſtodiamus ſuam vitæ contemplativæ dignitatem z): ſed vitam illam, qvalem monachi, qvalem negotiorum honeſtiſſimorum fugientes agunt ignavi homines, vanam eſſe umbram doceamus, qvæ vitam verè contemplativam, cùm nihil ſit minus, mentiatur. Præivit hoc nobis artificium ipſe B. Lutherus, qvi duo illa vitarum inter ſe genera comparans, negat intellexiſſe Monachos, qvæ verè ſit contemplativa vita a), negat item divel-

(*utcunqve plurimis in ore fuerit dictum illud*: precioſa in oculis Domini mors ſanctorum ejus: *ex qvo loco mortem illam civilem & inſtituta vita monaſtica & regularis attollere ſolebant:*) *niſi illud etiam unà ſubeſſet, qvòd vita illa monaſtica merè contemplativa non ſit, verùm planè in officiis Eccleſiaſticis verſetur. Qvalia ſunt jugis oratio, & votorum ſacrificia Deo oblata, librorum item Theologicorum multo in otio conſcriptio, ad Legis divinæ doctrinam propagandam,* — *z*) Pro vitâ contemplativâ legitur & oratio Parte III. Orationum Calebi Trygophori, O. 6: oppoſita præcedenti pro vitâ activa, atqve illam adeò refellens. *a*) Kirchen-Poſtill (Wintertheil) Sontags-Pred. am S. Johannis-Tag fol. 117: (ed. Witeb. A. 1562.) ohn daß etliche von denſelben zweyen Leben ſo viel geſchrieben haben/ daß ſie es gar verdunckelt haben/ wiſſen

divellenda ea duo esse, sed in qvolibet homine conjungenda *b)*: breviter autem, sed nervosè circumscribit contemplativam qvidem vitam fide versùs DEUM, activam verò caritate versùs proximum *c)*. Ita enim est, contemplandi in homine facultas maximè versùs DEUM, perinde ut agendi versùs proximum officio fun-

wissen nicht mehr / was wircklich oder schaulich Leben ist. Ibid. Fest-Pred. f. 50. Die Geistlichen / sonderlich die in den Klöstern stecken / berühmen sich / daß sie ein beschaulich Leben führen / wissen wol so viel von einem beschaulichen Leben / als die Gans vom Psalter. *b)* Iterùm Sontags-Pr. f. 118. doch so / daß sie nicht gescheiden seynd von einander in einem Menschen. Et Fest-Pred. d. l. GOtt gehet nicht so mit seiner Lehre umb / daß sie so enge gespañet sey / daß sie sich nur auf ein theil Leute lasse ziehen / und nicht auf alle. *c)* d. l. Fest-Pr. Darumb wollen wirs anders deuten / daß das beschauliche Leben gehöre zum Glauben / das wirckliche zu der Liebe. In den Sontags-Pr. f. 118. rem ita elòqvitur: So lasset uns nun Johannem nehmen als den Glauben / oder das innerliche Leben der Seelen im Glauben / S. Petrum aber als die Werck / oder das eusserliche Leben in den Wercken. Refer huc illud Phil. Melanchth. Enarr. lib. I. Ethic. Arist. c. 5. (ed. Argentor. A. 1546. conjunct. cum Epit. Philos. moral. p. 258.) *Monendus est lector, in hunc locum invectam esse disputationem à Monachis de duobus vitæ generibus, activo & contemplativo. Activum vocaverunt gubernationem, contemplativum intellexerunt otium in studiis. — Melius est sumere genera vitæ ex Decalogo.* His adjungatur illud Tholosani Lib. IV. de Rep. c. 10. n. 18. p. 228. *Contemplativa consistit in dilectione Dei: Activa in dilectione proximi propter Deum.*

fungitur ſuo. Atqve in has ipſas partes duas Numen Sapientiſſimum deſcripſit Legis ſuæ Decalogum, cujus una tabula qvid DEO, altera qvid nobis ipſi ac proximo debeamus, exponit. Sed hæc ut paulò clariùs intelligantur, utriusqve vitæ qvaliscunqve delineatio inſtituenda jam nobis, atqve ſic membrum, ſuſceptæ Orationis alterum effingendum fuerit. Duplicis illius vitæ velut incunabula qvædam non alibi meliùs reperire poterimus, qvàm, in ipſius intellectûs, qvi rationalis animæ præcipuas functiones obit, facultate duplici. Solet enim & intellectus in theoreticum & practicum diſtingvi. Theoreticus id, qvod jam eſt, contemplatur; practicus conſilio qvaſi nos inſtruit ad efficiendum ea, qvæ nondum ſunt. Porrò earum, qvæ ſunt, rerum nobiliſſima citrà dubium DEUS eſt. In hunc ergò pulcherrimum campum excurrere mens noſtra debet, qvoties officio ſpeculandi rectiſſimè cupit atqve feliciſſimè perfungi *d*). Sapienterqve adeò Græci θεωρίαν, unde theoreticæ ſeu contemplativæ vitæ nomen eſt, appellaverunt, qvaſi τοῦ θεοῦ ſeu τῶν θείων ὅρασιν, hoc eſt DEI, rerumve divinarum conſpectum. Enimverò ſi maximè res etiam alias, qvæ ſunt præter Deum, contemplamur, niſi in illis tanqvam in

d) Huc refer illud Cantici: Von GOtt wil ich nicht laſſen/ ſtroph. 5. **Das iſt eine ſelige Stunde/ Darinn man ſein gedenckt.**

ſpeculo qvodam relucentes divinarum virtutum imagines intueamur, niſi qvicqvid eſt ſcientiarum Reginæ omnium Sapientiæ *e*) ſervire jubeamus, atque adeò contemplationis noſtræ delicias ultimas in illo Entium pulcherrimo, tribus verbis, ſummum bonum in DEO qværamus, inanis, irritus, imò periculoſus atqve noxius omnis ille ſpeculandi conatus eſt. Eo enim ipſo fine in hoc adſpectabilis mundi theatrum collocavit nos DEUS, ut per creaturas qvaſi per gradûs qvosdam enitantur animi noſtri in ſublimiſſimum atqve oculis corporeis impervium Divinitatis ſpectaculum. Qvid? etiam actionum noſtrarum, qvibus ea, qvæ nondum ſunt, efficimus, ſive Prudentia eas ſive Artium aliqva *f*) gubernet, ultimus finis DEUS eſſe debet, aut, ut clariùs loqvar, Nominis Divini gloria. Veruntamen qvoniam, qvæ ſic à nobis fiunt, uſum ſui tùm nobis ipſis, tùm aliis hominibus, qvibus vita nos ſocialis copulavit, aliqvem præbent, praxis illa noſtra non incommodè ad officium proximo præſtandum certâ ratione dicitur ordinari. Ab utroqve interim tùm contemplandi tùm agendi officio abeſſe debet qvicqvid hominis illam occupa-

e) In intellectualibus virtutibus theoreticis ſcientiæ multæ ſunt, Sapientia, cujus objectum DEUS, non niſi una, eaqve cæterarum omnium Regina. *f*) Prudentia nimirum & Ars virtutes ſunt ex intellectualibus practicæ:

cupationem vitiat. Vitiatur autem, theoria, qvidem, si inania speculeris atqve inutilia & frivola, si curiositate intempestivâ rimeris ea, qvæ occulta esse DEUS voluit, si falsorum imaginatione pascas animum; praxis verò, si turpia moliaris atqve illicita, si tuis commodis cum alieno damno consulas, si ultimum actionibus tuis, utcunqve aliàs probis, finem non DEI gloriam proponas, sed qvalecunqve bonum, tuum *g*). Secundùm hæc facilè qvis æstimare poterit vile pretium illius contemplationis, qvâ se beatos sive olim judicaverunt Gentilium philosophi, sive judicant etiamnum Monachi sub religione pontificiâ. Qvot enim erroribus obnoxia illa? qvot ineptiis? ut omninò, qvicqvid est ejus, somnium (ne qvid gravius dicam) haberi mereatur vitæ verè theoreticæ. Qvid? mors vitæ hujus appellari debet ipsa, non vita. Omninò longè magis DEO placet servi opus aut ancillæ *b*), in suâ vocatione stabulum

g) Itaqve secundæ qvoqve Decalogi tabulæ præceptis omnibus Lutherus in Catechesi sua hoc præfixit: Wir sollen GOtt fürchten und lieben. *h*) Luther. comment. in epist. ad Galat. c. 3. (Tom. IV. Jenens. f. 70:) *Pronunciamus ex verbo Dei certam sententiam, vitæ genus servorum, qvod coràm mundo est vilissimum, longè acceptius esse Deo, qvàm omnes ordines monachorum. Qvia servorum statum approbat, commendat & ornat Deus in suo verbo, non item monachorum.* Joh. Bugenhag.

bulum verrentis aut lavantis patinam, præsertim si hæc agens piis meditationibus vacet aut precibus, qvàm monachi canonicas, ut vocant, horas cum operis operati fiduciâ cantillantis, aut salutationes angelicas DEO ad pondera globulorum annumerantis. Admonet me servi & ancillæ hoc exemplum simul ejus erroris, qvo creditum est, ut jam suprà monui, non ejusdem hominis esse theoreticæ pariter & practicæ vitæ opus agere. Non igitur fas erit, interim dum officium in re domesticâ facis aut civili societate, de DEO cogitare saltem, aut pio cœlum suspirio pulsare? Columbæ licet, dum grana ex arvo colligit, simul oculum subinde in sublimia convertere, sive ut qvalecunqve signum gratæ animæ cœlo repen-

genhag. von dem Christl. Glauben und rechten guten Wercken §. 3: Wenn eine Frau das Kind seuget/ wiget oder weschet/ oder eine Magd die Stuben kehret/ oder den Stall mistet/ iso thut sie ein besser Werck und GOtt angenehmer/ so sie den Glauben hat aus dem Wort Gottes/ denn alle Nonnen/ Münche und Pfaffen mit allen ihren Ordens- oder Regels-Wercken/ die GOtt nicht geboten hat. Denn das Weib und die Magd haben für sich Gottes Wort. Die Frau dienet dem armen Kindlein/ das ihr GOtt befohlen hat/ und das Kindlein kan der Mutter Dienst nicht emperen/ es müste sonst sterben: Die Magd aber richtet treulich ihrem Herrn oder Frauen ihre Arbeit aus/ welches GOtt auch geboten hat/ und von ihr haben wil. Wo haben die Ungeistlichen ein solch Gottes Wort/ das ihnen befiehle Kappen und Platten zu tragen? oder wem ist ihr Thun nütze ohne zu Verführung der Leute?

pendat, sive ut vulturis caveat insidias? homini non licebit, cùm temperantiam, cùm liberalitatem, cùm alias exercet morales virtutes, cùm victum opere manuario qværit, piis meditationibus vel DEO imputare beneficium, vel Stygii vulturis maleficia declinare? Quis fœminam vetabit, dum ad colum sedet *i*), qvis matrem, dum infantulum lactat *k*), qvis rusticum, dum semina per agrum spargit, aut messem colligit *l*), qvis sutorem, dum fila soleis

i) Zach. Lund. teutsch. Apopht. (ap. Zincgräf. II. apopht. p. 136. Als Carolus Magnus ein altes Weib sahe an dem Rocken spinnen / und zugleich ihr Gebet thun / machte er darüber diesen Vers: *Nexti fila DEUS, & mentem jungit olympo.* Sie drehet mit der Hand den Drat / das Hertz sie in dem Himmel hat. Conf. Manl. Collectan. p. 206. Camerar. lib. III. Epist. Eob. Hess. P. 3. Luc. Loss. Epitaph. p. 170. Basil. Fab. Lexic. sub voce *Neo.* Alsted. Encyclop. lib. XXI. c. 13. reg. 3. (Tom. III. f. 59.) *k*) Vit. Winshem. Orat. in fun. Phil. Mel. (Orat. postr. Phil. Mel. p. 302. 303. ubi agitur de conventu Theologorum Witebergensium Torgensi A. 1503.) *Philippus —— surgit :— in reditu ingreditur conclave, in qva una erant miseræ mulierculæ, Parochi & duorum Diaconorum conjuges. —— Videt ex Diaconorum uxoribus unam lactantem filiolum, & simul pastinacam in prandium marito incidentem, atqve audientem alterum parvulum recitantem usitatas preces, & invocantem Deum. Exclamat, ô tres sanctos & Deo gratos labores!* Vid. & Dresser. de fest. p. 96. 97. *l*) Paul. ab Eitz. Postill. p. 279. *Agricola debet facere laborem ordinatum. —— Sed*

cum

admovet, qvis, inqvam, hos omnes, dum corporis membra suo qvisqve muneri accommodat, simul animum vetabit piis, qvantum illa negotia permittunt, contemplationibus pascere? Siccine ergò, inqviet aliqvis, fœmineo sexui, hominibus agrestibus, ultimæ plebi speculationem dabis? qvid viris, qvid literatis, qvid Theologis deniqve relinqves, qvo se illi sive suprà muliebre genus, sive fæcem vulgi efferant? Ego verò, satis, inqvam habebunt hi, qvo dotes ingenii, negatas promiscuo cœtui, exerceant. Nihil illis ereptum est eorum, qvæ doctos ab indoctis distingvunt. Retinebunt profundas de naturæ, ipsiusqve adeo DEI secretis, qvatenus ea scrutari fas est, cogitationes. Theologorum verò simul manebit officium enunciandi ad plebem, qvæ DEUS ignorari noluit. Qvin & eruditus qvilibet calamo, si volet, manum admovebit, cumqve exteris aut absentibus communicabit, qvicqvid ipsi singularium observationum vel experientia revelaverit, vel assiduus pepererit & accuratus cogitandi labor; nec metuet ut

cum labore debet conjungere invocationem. —— Cùm itaqve segetes metit, & eis fruitur, tunc non de suo labore gloriari contrà Dominum debet, sed de Dei benedictione debet gloriari, & pro eâ & tunc, & in omni fruitione gratias Deo agere debet, sicut Paulus dicit, cibos cum gratiarum actione percipiendos esse, I. ad Tim. 4.

ut hanc ſibi meſſem eorum aliqvis, qvi prata ſiciliunt, antevertat. Etiam ſic vides, in eodem homine amiciſſimis oſculis conſpirare cum praxi theoriam, in hoc certè negotii genere ita copulari, ut ne poſſint qvidem divelli. Theologus, dum ex umbone verba de rebus ſacris ad populum facit, neceſſe eſt ipſe mentem ſuam divinis habeat ſpeculationibus occupatam. Qvis autem literatum mihi dabit ſcribendis libris, qvibus ad ſcientiam lector ducatur, ita vacantem, ut, qvod in chartam fluit, non eo ipſo momento exundaverit è fœcundo cerebri amne? Adeò in his exercitiis conjuncta eſt actioni contemplatio. Dantur tamen, inqvies, exercitia practica, qvæ non patiuntur animum exſpatiari ad theorias. Dantur. Divide ergò ſeptimanam in dies, & ſeptimam da DEO, reliqvas tibi & proximo; divide diem in horas, & ſub diluculum, cùm evigilas, ſub ſilentium noctis, anteqvam dormias, DEO preces tuas ac meditationes allega; prandio etiam ac cœnæ momentorum aliqvam partem ſubtrahe, qvæ DEO ſacrificium laudis offerat. Quid? annon pietas jubet obtemperare Apoſtolo hortanti *m*), ut quicquid faciamus in verbo aut in opere, id omne faciamus in nomine Domini noſtri JESU CHRISTI gratias agentes DEO & Patri per ipſum?

 Omni-

m) Coloſſ. 3. v. 17.

Omninò si totam cujusqve hominis vitam exputes, non magis decet practicam vitam à theoreticâ, quàm secundam Decalogi tabulam à primâ discerpere *n*). Sic ergò habendum, ut rem paucis ac planis exequar: non duo vitæ humanæ genera sunt, sed vitæ unius partes binæ, una, quam speculando, altera, qvam agendo transigimus; imò evenit haud rarò, ut idem temporis momentum utroque occupetur officio. Superest, ut ex his duabus partibus, utra dignitate alteram superet, rationibus evincamus. Quis autem non videt vel ex iis, quæ hactenus non semel sunt inculcata, quantò humanis divina sunt superiora, tantò theoriam, quæ se divinis immergit, præstare praxi, quæ se humanis commoditatibus applicat. Ipse DEUS non aliâ re magis, quàm contemplatione sui beatus est. Exercuit hanc infinitis antè seculis, qvàm universi hanc machinam, (practicum hæc opus fuit ejus,) exstrueret; exercebit absque fine, ubi cœli terræqve molem destruxerit iterum. Nostra quoque qui sumus homines, beatitudo nullâ re magis perficitur, qvàm contemplatione vultûs divini, qvàm hîc rudem inchoamus, suis absolutam numeris in felicissimâ futuri ævi perpetuitate Angelorum socii consummabi-

n) Conf. qvæ in proximè præcedentibus lit. g. annotavimus è Catechesi Lutheri.

mabimus. Non contemno practicam vitam: honesta & ipsa est, societatem humanam pulcherrimo vinculo conjungens. At major theoreticæ honestas; hominem DEO conglutinat. Qvòd si jucunditatem æstimamus, non parum ex eâ re pretii uti practicæ decedet, sic theoreticæ accrescet. Multæ utiqve molestiæ devorandæ sunt nobis, cùm practicas exercemus virtutes, fortitudinem potissimùm, justitiam, harumqve similes alias. Qvid de iis activæ vitæ exercitiis dicam, qvæ corpus fatigant, macerant, enervant? At contemplando, si modum observes, tanqvam jucundissimis epulis pascitur animus, neque harum nos deliciarum satietas capit *o)*. Maximæ voluptati multis est exteras regiones, & qvæ in singulis mira sunt ac speciosa, intueri *p)*. Sed qvid oculorum illa voluptas, si cum eâ contendatur, quam inspiciendâ DEI facie haurit animus hominis pii? Umbra est. Sufficere poterant hæc in laudem contemplativæ vitæ: sed facere non

 pos-

o) Jubilus Bernhardi §. 19. *Tua J E S U dilectio, Grata mentis refectio, Replet sine fastidio, Dat famem desiderio.* *p)* Maxim. Tyr. Dissert. VI. p. 67. *Si qvis modò ex Europâ in Asiam trajicit, ut Ægypti situm, aut Nili ostia, aut altissimam pyramidum molem, aut aves peregrinas, aut bovem videat aut hircum, beatum propterea eum judicamus. Ut omittam, qvàm multi Istrum aut Gangem spectatum abeant, qvàm multi Babylonis rudera, Sardianos amnes, sepulchra Trojana, aut oram Hellesponti propriis usurpare oculis gestient,* &c.

poſſum, qvin & hoc addam, commodiſſimam nobis vivendi hanc partem eſſe. Nullus eam locus, nullum tempus excludit. Ne ſomnum quidem hîc excipio. An non enim per quietem Patriarcha deſcendentes vidit Angelos de cœlo, aſcendentesqve q)? Somnium fuit hoc, non nego, ſed divinum, & qvod vigilantibus etiam nobis dulciſſimas de Chriſto Salvatore cogitationes exprimat. Hic enim verè ſcala illa eſt Jacobi, qvam ſuis veſtigiis Angeli presſerunt. Ergò, in quo ſpeculatricem animæ facultatem nonnihil agere experiantur, etiam dormientes habent; in qvo practicam, non habent. Jam ſi ſtatum vigiliæ intuemur, ſæpe deſunt nobis inſtrumenta praxeos; ſæpe vires corporis, ſine qvibus certa ſunt negotia qvæ geri non poſſunt; ſæpe homines ipſi, quibuscum intercedere nobis queat, qvod cupimus, negotium. At verò DEUS, qvem contemplamur, nunqvam deſtituit animam ſui cupidam. Finge ligatum hominem catenis: bellicum robur exercere non poterit. Finge ſolum abſque ſocio conſtitutum in ſylvâ: utcunque abundet auro argentoque, liberalitatis certè officium non habebit cui præſtet. Finge denſiſſimis involutum tenebris; artem pingendi non exercebit. Sed nihil horum obſtabit homini, qvo minùs liberrimo animæ exſpa-

q) Geneſ. 28. v. 12.

ſpatiantis itinere *r)* DEUM ſalutet, ejusqve admiranda opera ſive vinculis alligatus, ſive in illâ ſolitudine, ſive per denſiſſimas etiam corporis tenebras intueatur *s)*. Antonius Eremita *t)* vitam agebat in deſerto: nihil ipſi præſtò erat ſupellectilis librariæ. Dolebat hanc ejus vicem neſcio qvis philoſophus, tanqvam ejus, qvi omni foret otii ſolatio deſtitutus. Imò verò, inqvit ipſe, librum habeo, tuis quos cogitas omnibus unum uberiorem longè atque magis commodum. Rerum is natura eſt, quam intuens ego non vereor, ne torpeſcam otio. Huic DEUS verba inſculpſit pleniſſima ſapientiæ. Ea qvoties lego, ipſum mihi DEUM audire videor loqventem. Eadem Auguſtino mens, vel qvisqvis autor fuit ſoliloqviorum, Hipponenſis illus Epiſcopi nomen

r) Huc facit illud Max. Tyrii Diſſert. IV. p. 67. 68. *Corpus eundem ſervat locum, animus totam circuit terram, è terrâ in cœlum fertur, mare univerſum circuit, univerſum humum pervagatur, univerſum aerem pervolitat: ubi cum Sole & Lunâ circumfertur, cum cætera aſtrorum populo conſiſtit, & propemodum cum Jove univerſa regit & ordinat. O peregrinationem beatam!*
s) Confer. illud Calebi Trygophori Part. III. Orat. P. 1: *Subtrahe liberali pecuniam, liberalis eſſe non poterit; adime viro prudenti ac juſto magiſtratum, clientelas, opes, omnis prudentiæ ac juſtitiæ peribit gloria. Mentem concede contemplatori, omnia concesſeris, nec ulla operandi deerit occaſio.* *t)* de qvo Hiſtor. Tripart. lib. VIII. c. 1. f. 524. Joan. Faj. manip. exempl. p. 326. Caſp. Tit. Exempelb. p. 124. edit. Witeb. A. 1657.

men præ se ferentium. *Dixi*, inquit *u*), *omnibus his, qvi circumstant fores carnis meæ: dixistis mihi de DEO meo, qvod vos non estis, dicite mihi aliqvid de illo. Et clamaverunt omnes voce grandi: Ipse fecit nos.* Ajunt Principem qvendam in Galliâ fuisse, cujus in ditione qvicqvid lignorum lapidumve gigneretur, findentibus aut eruentibus insignia Domini repræsentaverit *x*). Veriùs hoc de universis mundi substantiis affirmabimus: nulla est earum, qvæ non insigne exprimat Creatoris, longeqve nos lucidiore ac planiore semitâ vel ad abstrusa ejus cognoscenda miracula ducat, qvàm ad secretam sapientiam Ægyptii suos monstrosis & obscuris conati sunt evehere hieroglyphicis. Ut hâc in re meritò laudanda veniat industria Johannis Henrici Alstedii, qui in Theologiâ naturali vocem corporum hujus mundi ad hominem haud ineleganter conatus est mandare literis *y*). Neque minus hoc in genere commendandus Viri perqvàm Reverendi atque Clarissimi Christiani Scriverii liber meditationum incidentium vernaculâ scriptus lingva *z*), in qvo cum pietate

u) soliloq. c. 31. n. 5. p. 201. *x*) Sciver. zufäll. Andacht. Vorred. a. 7: *y*) vide ipsum p. 233. 245. seqq. *z*) sub titulo: Gottholds zufällige Andachten. Hujus operis Centuriæ tres primùm prodierunt Magdeb. A. 1663. & 1664. Qvarta accessit alteri editioni Lipsiensi A. 1679. Ejusdem notæ sunt Theod. Mülleri Meditationes Physico-Theo-

pietate ingenium, cum ingenio certat eloqventia. Omninò autem ita eſt, nihil in hoc aſpectabili cœli terræqve ambitu eſt rerum etiam viliſſimarum, qvod non poſſit hominem velut manu prehenſum eò ducere, unde cauſam habeat prædicandæ divinæ ſapientiæ, benignitatis, omnipotentiæ. Memorat Vincentius Bellovacenſis *a*), cùm fuiſſet aliqvando, qui negaret ſe qvicqvam aſpicere, unde non exerceri ſua poſſet pietas; quæſiviſſe alterum: qvid ergò tibi offert aſpectus bufonis? hunc reſpondiſſe: illud utiqve, ut gratias agam DEO, qvi me hominem potiùs quàm bufonem creare voluerit *b*). Qvid hominum allegandis exemplis tem-

Theologicæ, Geiſtlicher Andacht-Wecker aus der Natur/ Hamb. 1642. 8. item Joſephi Hali meditationes ſubitaneæ, & id genus ſcripta alia. *a*) Spec. Hiſtorial. lib. XXIX. c. 110. f. 1223. *b*) Refer huc & illud, qvod leges in Hondorfii Promtuar. exempl. (p. 193. ed. lat. Francof. A. 1590.) ſub exemplis III. præcepti: *Legitur in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, qvòd ſubulcus qvidam bufone inuſitatæ magnitudinis conſpecto plorare — cæperit. Forte autem iſthâc tranſibant duo Epiſcopi eqvis vecti, qvi iſto ejulatu audito accedunt, qværunt, qvæ cauſa ſit ploratus — ? Qvibus ille, In tetrum, inqvit, hunc bufonem — incidi, qvo viſo vehementer territus mea recordatus ſum ingratitudinis, — ut qvi nunqvam Deo Creatori meo gratias egerim, qvòd creaturam me voluerit eſſe adeò nobilem, — cùm penes ipſum fuerit, vel vermem inſtar venenati iſtius bufonis me formare. — — Epiſcopi his auditis tacitè ſe mutuò intuentes abierunt.* — Conf. Lùth. Tom. I. germ. Jen. f. 460.

tempus tero? Ipsa CHRISTI Salvatoris cum discipulis, cum plebe colloqvia nos docent, quàm proficuus ad piæ speculationis in animo provocandos motûs rerum vel fortuitò nobis occurrentium sit conspectus. Docebat è monte, prætervolabant aviculæ *c*): *Ecce*, inquit *d*), *neqve serunt hæ, neqve metunt, & eas tamen pascit Pater vester cœlestis. Qvod aviculis dedit, vobis denegabit?* veniebant in conspectum lilia: *Neqve laborant hæc*, ait *e*), *neqve nent, & Salomone tamen pulchriùs vestiuntur: annon vos qvoqve vestiet DEUS?* Cùm diuculo venisset in templum *f*), *Ego*, inqvit *g*), *sum lux mundi: Qvi seqvitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Plura *h*) possem hujus monetæ afferre, nisi tempus juberet ad illud progredi tandem, cujus gratiâ, Honoratissimi Auditores, estis convocati.

c) Vid. Abrah. Scultet. Exerc. Evangel. lib. II. c. 38. p. 102. *d*) Matth. 6. v. 26. *e*) Ibid. v. 28. 29. *f*) Joh. 8. v. 2. *g*) Ibid. v. 22. *h*) Plura hujus generis dabit Christ. Scriver. zufäll. Andacht. Erste Vorred. b. 1. seq.

INDEX

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM.

* Literæ cifras excipientes ad ſcholia iſti paginæ adjecta reſpiciendum eſſe indicant.

A.

Ll *Ambro-*

Augu-

B.

C.

Cle-

D.

E.

F.

G.

K.

Kecker-

M.

Pascen-

Popie-

R.

San-

S.

T.

Teceli-

V.

W.

de

Z.

FINIS.